ISAGOGE HISTORICA: MILLENARIUS SEXTUS ISAGOGES...

Matthaeus Dresser



Millenarius Sextus ISAGOGES HISTORICÆ

Matthæi Dresseri,

COMPLECTENS RES PRAECIPVAS, MAXIMEQVE memorabiles in Ecclesia & Politia, ab Othone III. vsq; ad annum 1591.

Addita est Oratio de bello Turcico, scripta anno 1593.



15 98.

LIPSIÆ

CVM GRATIA ET PRIVILEGIO.

MAGNIFICO, GENEROSOQVE DOMINO, DOMINO, ERICO SPARRIO, Equiti aurato, & Baroni in Sundby, regni Sueciæ Conſiliario, & Procancellario, gubernatori VVeſmanniæ, Delekarlorum, & Montanorum, Domino officioſè colendo.

Matthæus Dreſſerus
S. D.



Vatuor ſunt, generoſe Domine Sparri, quæ in omni procuratione negotij concurrere neceſſe eſt. Primum eſt mandatum à ſuperiori domino acceptum, ſine quo nec ſuſcipi vllum munus honeſtè, nec digeri ac confici rectè poteſt. Secundum eſt facultas, vt ad rem gerendam qui accedit, non modò conſideret, quâm honeſta illa ſit, ſed etiam vt efficiē-

di facultatem habeat. Tertium, est animus ad laborandum promtus & alacer. Postremum, iustitia, vt & propria agas, ab alienis verò abstineas, & cuiq; conuenientia tribuas. De singulis rationem etiam mihi in editione huius millenarij sexti reddendam esse video: vt & fidem maiorem rebus, quas expono, faciam, & nonnihil mihi etiam animos eorum, qui lecturi sunt, conciliem.

Mandatum inprimis tribuit mihi ipsa historiarum professio, quam vnà cum vtriusq; linguę interpretatione sustineo. Hæc cum explicare me rerum veterum & recentium monumenta iubeat: facilè intelligitur, operam mihi dandam esse magnam vt ad communem fructum aliquid afferam. Capitur autem vsus ex re quaque tum maximè, cum in proximum quemq; confertur. Itaque in primis Isagogen quandam ex vniuersa historia delibandam mihi esse putaui, quæ ordinem in legen-

do

do oſtenderet, & tempora annosq́; pene ſingulos indicaret, & ſuccum quaſi quendam, medullamq́; præberet. Hæc propoſiti ſuſceptiq́; conſilij mei ratio prima eſt: quæ cum ex officio vero manet, etiam maleuolis improbari non debebit. Mihi certè in quacunq; fortuna perfugium & ſolatium præbet: vt & læter, ſi bene poſitam eſſe operam intelligam, & minus commouear, ſi faſtidiosè aliqui iudicent, aut inimicè etiam & acerbè inſectentur.

Quantam verò facultatem ad conficiendum hoc hiſtoricum negocium attulerim, aliorum ſit iudicium, quod integrum & liberum eſſe volo, nullum interponens meum. Comparatur autem omnis facultas hiſtorica lectione ſcriptorum, & experientia propria, quarũ vtraq; vti me res coëgit. Quæ enim ab noſtra memoria propter vetuſtatem remota ſunt, ea ex authoribus, & antiquitate eruenda omnia fuerunt. In

quo quidem genere curam & iudicium adhibui tantum, quantum in me fuit. Nec tantæ tamen rei, tamq; difficilis facultatem me consecutum esse profiteor, sed secutum tamen esse præ me fero. Curæ profectò mihi fuit magnæ, vt fidem meam probarem omnibus, qui iudicare de conatibus honestis possunt.

Ac in veterum quidem rerum monumentis eos mihi proposui scriptores, qui vel vera narrasse mihi visi sunt, vel certè ad veritatem accessisse proximè. Ad recentiores verò cum venire oportuit, pontificios secutus sum, cum de pontificijs rebus scribendum fuit: Euangelicos verò cum de Euangelicis: sic tamen, vt æquo iudicio vtriusq; partis scripta ponderarem. De scholastica equidem theologia, quicquid initio huius libelli attigi, vel adumbraui potius, id omne ex eiusdem theologiæ authoribus tanquam ex fontibus hausi. Repurgatæ verò doctrinæ

initia

initia & incrementa ex scriptis & actis perpetuis ecclesiæ Euangelicæ depromsi. Quæ scripta & acta cum pleraq; omnia vsq; ad nostram memoriam remanserint, testari de studio & fide mea poterunt.

Pontificum verò Romanorum catalogum, omnemq́; de eorũ actis commemorationem non aliunde ferè quàm ex pontificijs scriptoribus, Martino Polono, Onuphrio, Platina, & id genus alijs sumsi: sic tamen, vt quod quisq; eorum commodissime scripsisse videbatur, excerperem. De concilijs porro & decretis, quæ in illis facta sunt, confido nihil à me vspiam esse positum aut aspersum, quod non in actis, quæ extant, reperiatur. In expositione autem rerum ab Imperatoribus gestarum, coniungere me cum Latinis Germanos oportuit scriptores veteres & recentes. In quo ipso tamen genere versari integrè casteq; conatus sum. In gentium & regno-

rum hiſtoria authoras in quaq; natione optimos & ſelectiſsimos ſectatus ſum, nec adeò multum me aberraſſe à re & veritate arbitror, ſi modò authores ipſi à religione officij non declinarunt. In Anglicis rebus me ad Iouij ductum applicui, qui ſi fidem,& religionem hiſtorici non vbiq; ſeruauit, ipſi, non mihi tribuatur, ſicubi erratum deprehendetur. Scio diſsimulaſſe eum quandoq; vera,& ſimulaſſe falſa, vt hoc facto amicis gratificaretur: quemadmodum ipſe ea de re interrogatus aliquando reſpondit: ſed non propterea tamen omnia eius, quæ ſcripſit hiſtorica, in ſuſpicione ponenda ſunt. Atq; hanc quidem facultatem ſatis forte fuerit attuliſſe ad eas res,quæ memoria mea ſuperiores ſunt.

Quæ verò memoria mea vſu venerunt,in his maiori etiam animaduerſione & cura opus fuit. Non enim ſatis fuit ex ſcriptis, quæ ia-

ctata

ctata ſunt, vel ex vocibus, quæ ad aures meas peruenerunt, narrationem contexere, ſed certius pleraq; omnia fuerunt exploranda. Itaque cum multis paſsim in ſingulis pænè orbis Chriſtiani partibus communicare oportuit, vt de ſingulis rebus ſingularum nationum teſtimonia conquirerem. Ita enim mihi perſuaſi de actis in Gallia, Gallos; de Polonicis, Polonos; de Vngaricis, Vngaros; de Anglicis, Anglos rectiſsimè poſſe narrare. Quod ſi tamen alicui deflexiſſe à veritate videbor, is moderationem, & æquitatem hanc adhibeat, vt non prius damnet id quod improbandum ducit, quàm accuratè explorârit, aut cum authoribus, vnde queq; decerpta ſunt, contulerit. Et ſi quidem authorum erratum deprehenderit, ipſos accuſet: ſin meum, humani à me, & ſe nihil alienũ eſſe meminerit. Multa & ego ab alijs dicta & ſcripta lego, quæ neq; probo, neq;

laudo, sed suis authoribus relinquo. Quemadmodum neque Herodoti historia omnibus placet, nec quæ à Platone tradita sunt in populis, & ciuitatibus, vt inquit Cicero, probantur. Quod igitur alius desiderat in me, id fieri facile potest, vt ego requiram in illo. Vetus enim est illud, & à Cicerone etiam vsurpatum : Aliud tibi ac mihi videtur.

Tertium erat voluntas & studium in re suscepta ; quod mihi non defuisse cum mihi ipse testis sum, tum, vt spero, alij testes erunt, quotquot pagellas meas legerint. Est autem propositi honesti ea vis, vt bonis placeat, etiamsi aliter, atq; cogitaueris, cadat. Quin DEVS ipse, vt est apud Platonem, eum deserere non solet, qui propositum habet rectè conficiendi id, quod munus officij exigit. Quocirca nec mihi meum studium, quod in hoc libello pro mea tenui, infirmaque, sed virili tamen

men parte posui, fraudi esse debebit. Ac si forte his iudicibus, qui nunc sunt, non satis fecero, ijs tamen satisfactum esse confido, qui post iudicabunt, & quidem incorruptius, sine amore & cupiditate, & rursus sine odio, & sine inuidia. Leuitatem profectò odi, nec ferè quicquam est, quod temeritate magis fugiendum censeam. Sed quotus quisq; est, qui adeo cautus esse possit, vt nulla in parte cernatur Suffenus? Quod si veritatem secutus sum, nec vbique tamen assecutus sum, an non venia magis, quàm odio & insectatione dignus videri debeo? Ad summam, consolatur me nescio quomodo non parũ id, quod Historicus quidã magnus inprimis & probatus dixit, se cognouisse neminem, cui veritatis studium in scribenda historia fraudi fuerit.

Quanquam interim non ignoro, quid Hutenus dixerit, neminem tam bonum aut clarum vnquam fuisse

isse, cui non nocuerit aliquando virtus sua.

Superest quarta res, Iustitia, quam in gerendo negotio lucere decet. In hanc profectò ita studiosè operam dedi, vt si cuiquā vel viuo, vel mortuo iniuriam feci, aut culpam vllam commisi, nemo plus offensionis, quàm ego ipse, ex eo habiturus sit. Solet enim angor & solicitudo conscientiam meam perpetuò vexare, si quid temerè, inconsideratéque egi: tantum abest, vt sciens prudensque offendere, vel saltem suboffendere quenquam cupiam. Sunt autem iustitiæ præcepta multa quidem, sed historiæ leges tantum tres â Cicerone numerantur, vt ne quid falsi dicere audeas, deinde, ne quid veri non audeas, tum, vt ne qua suspicio gratiæ sit, ne qua simultatis. Prima lex Veritatis est: secunda Cōstātiæ: tertia Integritatis, siue incorrupti inuiolatíq; Iudicij. Hæc iustitiæ munera siue historici officia quo

modo

modo executus ſim, paucis docebo. Ante omnia facies eccleſiæ pontificiæ ab Othone III. vſq; demonſtranda fuit, Itaq; narrare ſimpliciter ſtudui, quale doctrinæ genus pontificia eccleſia primum ſonuerit, quàm horrendi abuſus inuecti, quã impiè eccleſiaſticum miniſteriũ in politicum conuerſum ſit. Tum lætam cataſtrophen recitaui, quibus initijs, incrementisq́ue, per quos item viros reformata ſit Eccleſia, explanans. Quæ quidem commemoratio ſi quem forte offenderit, is non me, ſed veritatem accuſet. Non enim obſcurum eſt, cuiuſmodi tempora fuerint in initio millenarij ſexti, nec negari ab vllo ſine pudore poteſt, emendatione matura opus fuiſſe, eamque votis maximis à tot maioribus noſtris eſſe expetitam. Non igitur eſt quod quiſquam miretur, ſi factis dicta exæquata, quod Saluſtius in hiſtoria faciendum eſſe monet, videat; aut quod Ariſtoteles

les dixit, talem orationem esse, quales sunt res, perspiciat.

Nec hic verendum mihi est, ne acri & vehementi quadam incitatione inflammatus, vel veram laudem pontificiæ Ecclesiæ detraxisse, vel falsam affinxisse videar. De eo magis mihi laborandum esse video, vt excusem tenuitatem orationis meæ in exaggeranda, & deploranda tam tetra, tam horribili, tam infesta peste, quæ id temporis in Ecclesiam Christianam inuasit. Profecto monstrum immanissimum fuit dominatus ille ecclesiasticorum politicus tam superbus, tam auarus, tam crudelis, vt nisi diuinitus esset fractus & diminutus, omnes magistratus & subditos, tanquam Charybdis vorax absorpsisset. Si igitur peccatum est à me, in defectione peccatum est. Non enim libuit in hoc opusculo, neque etiam decuit, amplo & grandi orationis sono vti. Quid facilius mihi fuisset, quàm cũ

tot

tot authoribus inuehi in mores & tempora illa, & vel cum Guicciardino, vt alia prætermittam exempla, dicere ? Innocentium VIII. Papam, abiecta sui & suorum cura, animum prorsus ad ocium & voluptatem conuertisse. Quid magis in promtu, quàm cum eodem scribere ? Cardinales in designando Alexandro VI. suffragia precio vendita, atq; addicta tulisse, nec puduisse eos, vendere facultatem sacros thesauros nundinandi. In ipso autem Alexandro pontifice creato nihil sinceri, nihil pudoris, nihil veri, nihil fidei, nihil religionis, sed insatiabilem auaritiam, ambitionem immoderatam, crudelitatem plus quàm barbaram fuisse.

Vt autem tota mente in eam curã incubui, vt ne quid falsi scriberem: sic è contrario prouidendum mihi esse putaui, ne quid veri occultarem aut dissimularé. Iniustũ.n. hîc est, quicquid fingitur, dissimulatur, & obtre-

obtegitur. Sed minus mihi laborandum eſt, vt vitia, quæ in hoc genere committi ſolent, excuſam: cum non hiſtoriam, ſed Iſagogen hiſtoricam tantummodo contexam, quæ rem nullam neque copioſè, neque ornatè ſatis explicat, ſed vnamquamque tantum perſtringit. Vtinam in eo ſatis cautus & prouidus fuiſſe videar, ne cui ſuſpicionem dem, vel gratiæ, vel odij iniuſti. De quo quanquam teſtimonium mihi perhibet conſcientia mea, &, vt confido, ipſum etiam opuſculum: tamen palam etiam affirmo, me non ſolum crimen ipſum, ſed criminis etiam ſuſpicionem tenuiſsimam vitare conatum eſſe. Naſcitur autē ſuſpicio huiusmodi pænè omnis ex religionis diſsidio, quo iam horribiliter conuellitur, & labefactatur orbis Chriſtianus, vt facere non facilè poſsis, quin propendere in alteram partem pontificiam vel Euangelicam videaris. Ac fateor quidem liberè,

bere, nullam religionem mihi probari præter eam, quæ è tenebris, & tyrannide pontificia his vltimis tēporibus euocata in lucem, & ab abusibus, superstitionibusq́; ad impiū quæstum comparatis per sanctum Dei organum, Martinum Lutherum repurgata est. Sed in hoc opusculo neq; articulorum fidei defensio, neq; confessio aliqua à me postulatur.

Ac cum in ipsa etiam reformata Ecclesia fatalis quædam dissensio de quibusdam doctrinæ capitibus commota sit: profiteor me studuisse in hac quoq; parte sic mihi temperare, vt nusquam censor, sed vbiq; rerum narrator tantummodo esse videar. Confessionem Augustanam, quæ fundamentum est, & firmamentum religionis reformatæ vnam eandemq́; posui, exhibitam scilicet Carolo V. in comitijs Augustanis, & deinceps Electorum, principumq́; Euangelicorum voce

& literis ad Ferdinandum Imperatorem, in conuentu Numpurgico, confirmatam. De Luthero autem quicquid scripsi, id omne ex scriptis eius decerpsi.

Nec de Melanchthone verbum vllum posui, quod non ipsemet viua voce docuerit, aut scriptis mandârit. De quorum vtroq; nihil dubito, quin id, quod hominum tot millia, tot gentes & nationes docuerunt, & in orbis terræ memoriam sempiternam disseminarunt, verè constanterq́; senserint, voluerint, & præ se tulerint. Ii enim erant, qui quod animo sentirent, id magis quàm cæteri vultu promtum habebant, & lingua. Apertum verò est manifestumq́; Lutherum initio quædam concessisse pontificijs: sed ea ipsemet postea correxit. Et contra Erasmum scripsit: esse omnia absoluta, & necessaria: Sed simul addidit aspiciendum esse Deũ reuelatum in verbo, sicut ipse sese interpreta-

pretatur in commentario Geneſ. capite 26.

De cæteris verò theologis, quos hæc & ſuperior ætas tulit, in Pontificia & Euangelica eccleſia æquum me æſtimatorem præbere ſtudui, nec committere volui, vt in hanc vel illam ſententiam inclinare viderer. Quod peculiare in his dogma cuiq; fuerit, id penitus verbis ſui authoris extuli, vt extare, & eminere inter cætera poſſet: non vt odium, aut inuidiam, aut odij non diſsimilem offenſionem excitarem. Nec quenquam eſſe exiſtimo, quem ſententiæ ſuæ ita pudeat, vt eam obſcuram aut tectam eſſe cupiat.

Qua quidem in re ſuperare conatus ſum ſcriptores pontificios nonnullos, qui nimis inflammati cupiditate & odio in Euangelicos inuehuntur. Quod de Laurentio Surio inprimis, & Genebrardo Pariſienſi profeſſore, verè dici omnes

lectores intelligunt. Nec minus verè etiam in Robertum Bellarminum Iesuiticæ societatis sectatorem conuenit. Cuius ea est in scribendo vehementia, vt Carolo Molyneo propter falsum crimen hæreseos Euangelicæ fidem deroget, & ad pontificis sui voluntatem omnia loquatur, ad veritatem parum. Hunc quoties lego, venire solet in mentem id, quod Lutherus dixit: Papæ laudatores, deuoratores eius. Quid enim aliud est Papæ asscribere potestatem transferendi imperia, quod hic scriptor facit, quàm deuorare Papam? Num auditum est in orbe terræ vnquam eiusmodi monstrum, quod in imperia orbis tantum iuris habeat, vt eum libet, certis de caussis transferre illa possit? At tale profectò oportet esse pontificem Romanum, si transferendi imperia ius habet. Absit ab ecclesia pestis & furia, tam nefaria, tam monstrosa,

quam

quam nullus pontifex, nisi excors, agnoscere potest, aut admittere.)

Videat modò scriptor ille tam audax, quomodo labem, quam aspergit imperio Romano, eiusq; capiti, & membris, principibus Electoribus, deleat: dum tanta contentione pugnat, vt probet Carolum Magnum, & eius successores vel à pontifice imperium habere, vel omnino habere nullum. Libertate scilicet vtitur, vt impunius dicax sit, sed tacitum non feret, ne fortê putet omnes Germanos & Gallos ob os Bellarmini sua ora obuertere. Augustanam quoq; confessionem pro damnata habendam esse censet, quod ab Imperatore, ab Electoribus quinque, à principibus supra centum, & â liberis ciuitatibus nouem & triginta damnata sit. Mirum est scriprorem tantum nunquam legisse responsum, quod Liberius Episcopus Romanus

 olim

olim Imperatori Constantino dedit. Cum enim is quæreret, quota tu pars es orbis terrarum, qui solus facis cum scelerato homine Athanasio? Respondit Liberius, non diminuitur solitudine mea verbum fidei. Nam & olim tres solùm inuenti fuêre, qui edicto regis resisterent Quantò faceret honestius, & mereretur de pontificibus Romanis melius, si vel cum Paulo diceret, Omnis anima potestatibus supereminentibus subiecta sit: vel cum Christo & Petro censum dandum Romano Cæsari assereret. Quod faceret vtique, si vel Christi, vel Petri sectatorem Papam agnosceret, vel Orosio fidem haberet, qui ex historia Euangelica Christum filium Dei hominem natum Romano censui statim ascriptum esse memorat. Verum hæc, ὡς ἐν παρόδῳ, perstringere volui, sine cuiusquam contumelia: ostensurus saltem, tam facilè esse nobis ta-
lia

lia refellere, quàm authoribus suis facilè est scribere.

Sed longius prouehitur oratio mea, quàm instituta ratio postulat; arctius verò multo astringitur, quã si hac de re vna disputarem. Et hoc quicquid attigi, non feci insectandi caussa, sed ostendendi tantummodo, quàm longè ab historica lege recedant, quicunq; odij acerbitatem, quod in alios habent, in scribendo effundunt. A quo quidem vitio cum studio & voluntate abhorrens sim, facere non possum, vt pontificiorum scriptorum in hoc tempore impetum ardoremq́; probem. Fateor autem me quandoque copiam sectari, quâm angustijs tantis includi maluisse. Verum retraxit me identidem argumenti suscepti ratio, coëgitq́; modum in scribendo tenere. Conatus sum enim aditum tantummodo patefacere ad historiam penè omnem. Quod re & facto experturos esse lectores confido.

Quanquam autem propositum mihi fuit in hoc libello totam historiam millenarij sexti vsque ad hoc tempus complecti: tamen relinquẽda duo postrema capita fuere, quod præter opinionem voluminis magnitudo creuisset.

Ea igitur peculiari libello deinceps exponenda erunt, eâ tamen breuitate, quam in toto opusculo secutus sum. Et sunt certè res vtriusq; capitis longè lateq; diffusæ. Attingendæ enim sunt familiæ veteres, & florentes hodie in Germanico imperio, perstringendæ ciuitatum præcipuarum origines, & incrementa, percurrenda singulorum penè principum ac rerumpub. acta. Tum percensendi sunt eruditi homines Philosophi, Oratores, Poëtæ, Iurisconsulti, & Medici, quorum nobilitata est industria. Quod quâm sit operosum in tanta multitudine ac varietate doctorum in singulis disciplinis, patet, in prom-

nīq; est omnibus. Ac nisi me opusculi suscepti modus excusaret, vix molem tanti laboris sustinerem.

Confido ex his apertum, manifestumq; esse omnibus, non morose, aut fastidiose iudicantibus, me neq; temere quicquam effutire in animo habuisse, quod suspicionem, aut crimen vlli afferre posit: neque irritare, lacessereq; quenquam voluisse, sed æquum in omnes præbere studuisse.

Nunc non minori opere mihi enitendum est, vt tuæ Magnificentiæ, amplissime domine Procancellarie, rationem meæ dedicationis probē. Longo enim interuallo locorum disiuncti sumus, nulla inter nos noticia, nulla officia mutua & paria intercedunt. Mirum igitur non immerito tibi videri potest, vnde nam ista tam inopinata sit compellatio. Sed te parumper sustine: non temerè profecto quicquam à me factum esse cognosces. Ea enim, quam-

uis amplissimo loco regni locatus sis, professionis tuæ ratio est, vt eas literas quas ego in vmbratili exercitatione colo atque propago, tu in medium agmē, in puluerem, atque in aciem proferas. Vidi orationem tuam, quam in frequenti theatro, & conuentu splendidissimo Polonici regni pro rege tuo Sigismundo III, habuisti, quæque plausu incredibili etiam comprobata est. In hac, bone Deus, quantas vires animi atque ingenij profudisti, quàm præclara ornamenta atque instituta oratoria adhibuisti? Quid de historijs dicam, quarum copiam & varietatem insignem aspersisti; vt nihil tam retrusum, aut reconditum esse videatur, quod non ex veterum rerum monumentis, tanquam ex thesauro, promere, & in aspectum lucemq; proferre possis.

Hæc res me iamdudum amore tui incendit, & tandem ad testandum illum hoc publico monumen-

to instigauit. Si enim eos colere præcipuo quodam studio solemus, qui idem artificium, quo nos fungimur, tractant: quo tandem animo me esse oportet in te, qui id, quod ego in vmbra doceo, conferre ad publicos vsus in cancellis, & amplissimo regno didicisti? Quod si etiam historica professio, quam in hac Academia sustineo, postulat, vt ne quid latere patiar, quod in oculis hominum poni debet: non committendum esse putaui, vt tua in Suecico regno authoritas clarissima, & dicendi facultas admirabilis hominibus nostris ignota esset. Quocirca & in oratione de Cancellario Lipsiensis Academiæ nuper honorificam mentionem nominis tui feci, & nunc in hoc prooemio ore pleno ostendere, quanti te faciam, volui. Dabis itaq; pro excellente æquitate animi tui, mihi & amori in te meo veniam hanc, vt mandare literis

teris meritũ debitumq́; virtuti tuæ præconium liceat. Nec, quamuis in veritate crimen arrogantiæ extimescas, ægrè feres in lyceo nostro, te in eorum numerum aggregari, quos propter sapientiam & eloquentiam suspicere ac venerari studiosi sapientiæ & eloquentiæ debent.

Est præterea literatorum ea fere conditio & fortuna , vt si quam opinionem bonam virtutis atque eruditionis de aliquo habent, ad eum tanquam ad portum perfugiant, ab eoque præsidium & solatium sibi paratũ putent. Non libet hic commemorare exempla rerum veterũ. Id tantum dico, gaudium esse magnum his, qui literas colunt & profitentur, si quem inueniant, cui curæ esse doctrinam veram intelligant. Nec à pietate & veritate alieni quicquam dixero; si gaudium etiam in cœlo ipso existere ob talem patronum affirmem. Literas enim qui

qui fouet, in DEVM ipſum, qui author & dator eſt ſapientię & doctrinæ, benignus eſt.

De te verò, Baro magnifice, id mihi perſuaſum iam pluribus annis habui, te non ſolum liberali doctrina politiſsimum eſſe, ſed animum etiam in doctrinam literarum profitentes egregium ac liberalem gerere. Hæc ergo de re opinio præclara me induxit, vt millenarium meum ſextũ Iſagoges hiſtoricæ in tuo nomine apparere voluerim. Nec, cum propter literarum & eloquentiæ donum tanquam lumen in regno Suecico luceas, aliter de te ſtatuere poſſum, quàm te gratum acceptumq; hoc literariũ munus eſſe habiturum. Nihil igitur addo, niſi vt orem DEVM authorem & cuſtodem Eccleſiæ & politiæ, vt te, ampliſsimumq; regnum Sueciæ pro immenſa miſericordia ſua regat ac ſeruet, vt in eo non ſolum vtilis

&

& ſalutaris doctrinæ literarum, ſed religionis etiam veræ, iuſtitiæ, & omnium honeſtorum officiorum officina ſit. Vale. Lipſ. Calend. Iunij, an.
M. D. XCIIII.



DE

DE MATTHÆI DRESSERI CLARISSIMI VIRI MILlenarijs historicis & alijs eius scriptis EPIGRAMMA.

De re vel tenui si cui fluit aurea lingua
Copia: res Marco, dignaue Mercurio.
Rebus in uberibus sed qui breuiu omnia dicet:
Mercurium supra laude vehendus erit.
Siue Stagirite, vel cum Cicerone loquatur:
DRESSERVS studijs natus vtrunq; potest.
Entheus articulos vigor est diffusus in omnes:
Illius ingenio quæ sata cunque legis.
Sed tamen historici sex illa volumina fili
Perpete præ reliquis vtilitate scatent:
Dum vir hic, euenit propè iam sex mille quod an-
In breue iudicij luce redegit opus. (nis;
Tu testere piam meritis Germania mentem:
His alio frueris quisquis & orbe libris.
Tu tibi cum primis contexta reuolue iuuentus:
Te labor ad fontes ducet, & erudiet.
Felicem, nostro cui discere contigit æuo:
Et fontes nitida qui breuitate docet.

Georgius Calaminus
Silesius f.

MILLE-



MILLENARIVS SEXTVS.

IN Millenario Mundi ſexto, qui ab Otthonis III. morte initium duxit, & ſecundum Eliæ vaticinium, fatum extremo mundo portendit, eccleſia & politia modò florentiore, modò duriore fortuna conflictatæ ſunt, tandemq́; in eum locum adductæ, vt nunc fortuna extrema ſtare videantur, ad præcipitem ruinam inclinatis omnibus. Quod extra Eccleſiam quoque Vates, neſcio qua animi diuinatione permoti, prædixiſſe iam olim videntur. Vnde Orphei verſus eſt reliquus, quem Plato recitat in Philebo: ἕκτῃ δ' ἐν γενεῇ κόσμον καταπαύσετ' ἀοιδῆς. In eccleſia quidem manſit aliqua veri Dei & mediatoris noſtri Ieſu Chriſti notitia, nec vnquam Dei cultus penitus fuit extinctus. Sicut neq; Eliæ Prophetæ infeli-

In ſexta ætate ornatũ cantionis ſedabit ſc. Deus.

cißimo tempore, cum pietatis nihil reliquum esse videretur, deleri piorum cœtus omnino potuit. Sed magna tamen caligo, tanquam nox quædam, veræ religioni offusa est: dum abiecta doctrinæ orthodoxæ cura & propagatione, humanæ traditiones importatæ & obtrusæ sunt. Verum ex ista tamen caligine iterum emersit tandem veritatis lux, & secundum Christi prædictionem, Euangelium per terrarum orbem latè diuulgatum est.

In politia verò secundum Prophetæ Danielis vaticinationem, cum ferro lutum fuit commixtum, hoc est, manserunt imperij fulcra & ornamenta aliqua, suscitatis diuinitus imperatoribus quibusdam heroicis & salutaribus. Sed interim tamen imbecillitas fragilitasq; magna, tanquam labes quædam accessit: vt vix magnitudinem tanti nominis sustinere tandem posse videatur. Hanc igitur fortunæ varietatem in postremo mundi tempore, in hac tertia Historicæ Isagoges parte, ex probatis historijs, fide

fide minimè suspecta, demonstrare conabor.

Ac primum ecclesiæ statum religionisq́ cultum in tria tempora dispertiam, quorum primum complectetur inclinationem, siue diminutionem religionis, & accretionem pontificiæ idolomaniæ ac tyrannidis, quæ ab Othonis obitu facta est in ecclesia, vsque ad scholasticam Theologiam, quæ sub annum Christi 1150. cœpit, & seculari philosophia theologiam contaminauit. Secundum continebit scholasticam theologiam, & velut ἐπίτασιν regni pontificij. Postremum comprehendet emendationem, atque instaurationem religionis, tanquam καταστροφὴν, anno 1516. à Luthero susceptam.

Tria tempora ecclesiæ & religionis in millenario sexto.

Quoniam autem de religione in singulis hisce temporibus iudicari non potest, nisi doctrinæ genus, eiusq́ propagatores, certamina, & facta in Synodis decreta cognita sint: ordine hæc capita exponam.

I. De doctrinæ genere.

II. De pontificibus, & doctoribus præcipuis.

III. De martyribus.

IV. De concilijs, eorumq́; decretis, & damnatis hæresibus.

V. De ordinibus sacris, equestribus, & Academicis.

In rerum politicarum commemoratione sequar ordinem in superioribus millenarijs seruatum, & persequar,

I. Res gestas Imperatorum in Occidente & oriente.

II. Acta extra imperium in præcipuis & florentißimis mundi regnis, Saracenico, Turcico, Persico, Tartarico, Vngarico, Polonico, in Moscouia, Liuonia, Dania, Suecia, Britannia, Scotia, Gallia, Hispania, Belgio.

III. Res regum, ducum, & ciuitatum præcipuarum in imperio Rom.

IV. Virorum doctorum vitas.

DE RE-

DE REBVS ECCLESIASTICIS.

CAPVT I.

DE DOCTRINÆ GENERE in millenario mundi ſexto.

Religionem in initio huius millenarij vehementer labefactarunt, imminuerunt, & obſcurarunt duo vitia, ſuperſtitio & ambitio. Superſtitio quidem pietatis æmula eſt, & ſpeciem quandam aſsimilatæ ſanctitatis tenet. Hac imbuti, vel faſcinati potius homines, contra verbum Dei, humana autoritate ſiue audacia cultus ſibi fingunt, quibus Deus honore afficiatur. Hinc Monachorum agmina ſunt orta, & ſacri ordines cumulati: vtpote quorum meritis Deum placari homines crediderunt, & iccirco opes & pecuniam ad alendum eos certatim contulerunt. Ambitio verò, honorumq́ contentio pontifices & epi-

ſcopos eò impulit, vt eccleſiæ curam abijcerent, vel certè quæſtui eam haberent, opeſq́; dignitatem, ac potentiam politicam omni cogitatione & ſtudio conſectarentur. Hæ ergò religionis duæ peſtes fuerunt, & authores traditionum humanarum, quæ tandem quaſi quoddam diluuium eccleſiam inundarunt, & oppreſſerunt. Quarum quædam per ſe impiæ ſunt & palam cum mandato Dei pugnant: quædam propter cultus & meriti opinionem iure optimo reprobantur, ſecundum Chriſti dictum: Fruſtra me colunt mandatis hominum.

DE TEMPORE INCLINATÆ religionis ab anno Chriſti 1000. vſq; ad annum 1150.

Hoc tempore non quidem repentè, ſed ſenſim doctrinæ facta mutatio eſt. Extant quidem teſtimonia de plerisque partibus doctrinæ cœleſtis in ſcriptis Bernonis, Algeri, Brunonis, Petri Damiani, Leonis Noni, Anſelmi, Bernardi,

ardì, & paucorum aliorum, quorum hoc ſeculo nominis aliqua fuit celebritas. Sed his tamen ipſis incommodæ opiniones, & errores tanquam ſtipulæ admixtæ ſunt: vt inclinatio maior ad conuerſionem doctrinæ cœleſtis in humanam, Theologiæ in Philoſophiam continenter facta eſſe videatur. Articulus quidem de Deo, ac de tribus perſonis diuinitatis, integer reſeruatus eſt: ſed doctrina de officio & merito Chriſti mediatoris labe aſperſa eſt, & liberi arbitrij viribus, & operibus hominum plus aliquantò tributum, quàm verbum Dei patitur. Ita enim gratiam Dei & liberum arbitrium coniungit Anſelmus, vt vtrumq; ad ſalutem hominibus operari dixerit. In iuſtificatione verò fidem non excludit quidem, ſed bonorum operum tamen merito ſalutem acquiri opinatur. Sanctorum, præſertim verò Mariæ matris Domini interceſſione poſſe nos à peccatorum maculis purgari Berno, Iuo, Anſelmus, & alij commenti ſunt. Oblationem Chriſti in Miſſæ

quotidie iterandam Algerus & Anselmus comprobant, transsubstantiationem, hoc est, conuersionem panis in veram carnem Christi, & vini in verum sanguinem Lanfrancus stabilit, primatumq; Papæ cum Anselmo confirmat. Cœlibatum verò sacerdotum, Purgatorium ignem, & lymbum, Petrus Damianus & Anselmus statuunt.

Vnus ferè Bernardus in his tenebris quasi lux quædam eminuit: qui tametsi à superstitiosis opinionibus sui temporis se non penitus seuocauit: tamen de doctrina ecclesiæ rectius sensit, & articulum de iustificatione non solùm verè intellexit, sed etiam melius explicauit, quàm alij omnes, quorum monumenta sunt reliqua. De cuius quidem dogmatibus capite sequente dicetur. De doctrina verò externarum ecclesiarum, Græcæ, Persicæ, Africanæ, & similium, non multum hoc tempore literis mandatum aut memoriæ proditum est. Itaq; satis sit hæc de ecclesia Latina, Germanica, & vicinis annotasse,

se, ex quibus de inclinatione religionis, & accretione superstitionis aliquo modo iudicari potest.

DE TEMPORE SCHOLAsticæ Theologiæ, & regni pontificij.

Horrendi quidem sunt errores ad hoc vsque tempus in ecclesiam inuecti: sed horribiliores multò sunt, qui sequentibus annis irrepserunt & grassati sunt. Quos qui attentius cogitat, & inter se confert, inueniet illos parasceuen duntaxat, siue præparationem ad has impendentes superstitiones, confusiones, idolatriam, & tyrannidem fuisse. Monarchiam enim omni cura, meditatione, & diligentia moliens Romanus pontifex, duo sibi obstare potissimum animaduertit, verbi diuini maiestatem, & legum humanarum autoritatem. Equidem saluo Dei verbo, non posse se consequi quod sperabat, facile perspexit. Stante verò iure Imperatorum, aditum sibi ad imperij fastigium

haud patere intellexit. Itaque viam sibi ad conuellendum & labefactandum vtrumque hoc præsidium conatibus suis oppositum munitauit, vt, refractis iuris diuini & humani claustris, ad suum arbitrium libidinemq́ omnia misceret atq́ temperaret.

Erat tunc recens iuris Romani reparatio, & in forum quasi postliminij iure reductio, Irnerij opera, Lotharij verò authoritate suscepta. Id ergo tanquam frenum suis cupiditatibus iniectum vt elideret pontifex, callidè ius nouum, ex pontificum decretis siue statutis compilatum protulit, quo vti ad stabiliendum suum regnum commodè posset. Ad quam quidem rem operam suam contulit Gratianus Monachus, qui ad imitationem pandectarum iuris ciuilis, ex veterum conciliorum decretis, patrumq́ ecclesiasticorum scriptis composuit Decretorum opus, quod Iuris Canonici fundamenta, regniq́ pontificij neruos continet. Factum hoc est, anno Christi 1151. sub Eugenio Tertio pontifice summo.

Decretorum ῥαψῳδία

Quem

Quem velut ducem secuti sunt alij: Gregorius quidem nonus, ad imitationem codicis Iustinianei, Decretalium libros, ex pontificum Rom. epistolis anno Christi 1227. conflauit, & publicauit, quibus quidem Eugenij decretis quasi alas circumdare voluit. Bonifacius verò Octauus sextum Decretalium adiecit, in quo suas & antecessorum suorum proximorum constitutiones nouas, ex nouellis constitutionibus exprimere voluit. Tandem anno 1317, Ioannes XXII. incoato operi fastigium imposuit, & Clementinas constitutiones, extrauagantesq́ edidit, mandans seuerè, vt in iudicijs & scholis vsurparentur. Vt autem à pluribus, & quidem maiori applausu acciperetur & coleretur hoc ius sacrum, doctores Iuris renunciati sunt Bononiæ, qui Gratiani decreta tenebant, & alios docuerant, additæq́ sunt constitutiones de promotione & ritibus in ea adhibendis.

Hactenus ex sententia euentus dominandi pulcerrimè processit: iure tan-

quam

quam septo sese & regnum suum muniuit pontifex. At quo iure? omnium validissimo. Id enim Papæ regnum munit, firmat, ipsumq́ adeò supra omnes creaturas effert, imperatores, reges, principes & mortales cunctos ei subijcit: tum legibus etiam soluit, καὶ ἀνυπεύθυνον, hoc est, nullis rationibus reddendis obnoxium pronunciat. Alibi omnia iura in scrinio pectoris eius reponit, alibi omnis humanæ creaturæ dominum constituit, alibi auro pontificem summum, Imperatorem verò plumbo, alibi eundem Soli, Imperatorem verò Lunæ comparat. Alibi serram facit Imperatorem, quæ nisi à pontifice trahatur, nauare & efficere nihil queat. Alibi nullius iudicio subesse Papam, alibi â seculari potestate nec ligari nec absolui posse contendit. Textus passim sunt manifesti, distinctione quadragesi. c. si Papa. Si Papa innumerabiles populos cateruatim secum ducat in Gehennam, culpam redarguere nemo mortalium præsumat. Quia cunctos ipse iudicatu-

caturus à nemine est iudicandus. Distinctione 22. c. omnes, Christus beato Petro æternæ vitæ clauigero terreni simul & cœlestis imperij iura commisit. Et extrauagantium communium lib. 1. tit. 8. vterque ergo in potestate ecclesiæ, spiritualis scilicet gladius, & materialis. Ille Sacerdotis, is manu regum & militum, sed ad sacerdotis (Papæ) nutum & patientiam. Oportet autem gladium esse sub gladio, & temporalem autoritatem spirituali subijci potestati. Extat denique expressa iurisiurandi formula, qua ad fidem & obedientiam Papæ obligantur imperatores tit. 9. de iureiurando lib. 2. Clementinarum.

Nec profectò inanis hæc est gloriatio, vt ita dicam, nec ad speciem liberalem dignitatemque comparata iactatio, sed re euentuque comprobata oratio. Nam Henricum IIII. Imperatorem anathematis fulmine ab imperio deiecit pontifex Gregorius VII. eique Rudolphum surrogauit. Et paulo post eundem insignibus & ornamentis imperialibus

Papa

Papa Paschalis spoliauit, & filium eius Henricum V. in illum incitauit, vt suum illud in imperatores ius exequeretur. Potestatem quoque tribuendi Episcopatus & prælaturas per annulum & baculum Henrico V. concessam, paulò post idem pontifex eripuit, & insuper anathemate illum damnauit. Quam ipsam cum anno Christi 1133. Lotharius Imperator repeteret, & optimo iure sibi vendicaret, negauit Pontifex Innocentius II. se ea in re illi esse cessurum. Fridericum verò Imperatorem quomodo tractauit Pontifex Alexander III. quando ad pedes eius Venetijs, anno Christi 1176. abiectus fuit? Anno Christi 1228. Fridericum Imperatorem in Palæstina bellum sacrum gerentem excommunicauit Gregorius IX. Papa, terrasq; eius sibi subegit. Omnium verò dominationem & maiestatem superauit Bonifacius VIII. qui Anno Christi 1300. apertè scripsit, se esse dominum in corporalibus & spiritualibus in vniuerso mundo, vt habet Martini Poloni appen-

pendix. An non est hæc magnifica & euidens pontificij iuris confirmatio?

Nec solum tamen exemplis hisce pontificum vis Canonici iuris demonstratur, sed vocibus etiam & testimonijs doctorum reprobatur. Sic enim Bernardus Papæ Eugenio scripsit: *Habent hæc infirma & terrena iudices, reges, principes terræ. Quid vos alienos fines inuaditis? disce tibi sarculo opus esse, non sceptro, vt opus facias Prophetæ.* In medio est etiam certamen acre & diuturnum inter Papam Ioannem XXII. & Imperatorem Ludouicum excommunicatum, cuius caput fuit quæstio, Vter esset imperator? Papáne an Romanus Cæsar. Ac habuit vtraque pars defensores, qui omni contentione caussam disceptarunt: Cæsar quidem Guilelmum Occam, & Marsilium Patauinum: Papam verò qui tuerentur, multo plures inuenti sunt, qui prolixè ei imperium cælestium & terrestrium adiudicare conati sunt. Hæc igitur testimonia iuris facti, &

lite-

literarum, satis Papæ dominatum atque imperium summum in terris declarant.

Ex altera parte obsistebat pontificum conatibus diuini verbi vis atq; maiestas. Hanc igitur vt retunderent pontifices, humanas traditiones induxerunt, & Theologiam cum Philosophia confuderunt, vt par vtriusq; videretur esse authoritas. Ex hoc fonte manifestæ deprauationes, doctrinæ, in plerisq; partibus manarunt, de peccato, de lege Dei, de pœnitentia, de gratia, de fide, de iustificatione hominis coram Deo, de bonis operibus, de Sacramentis, de Ecclesia. Nata sunt indidem impia commenta de Purgatorio, de Indulgentijs, de satisfactionibus Canonicis, de Ieiunijs, de inuocatione sanctorum, de adoratione statuarum & panis consecrati, de Missa, de processionibus, & supplicationibus, de consecrationibus Panis, Vini, Salis, Olei, de sacerdotum cœlibatu. Quæ omnia, quamuis contra Dei verbum excogitata & importata

sine

sint: autoritate tamen cum verbo Dei paria esse oportuit. De quo qui tantulum modo dubitauit, hæreticus illico habitus, & catholicæ ecclesiæ hostis iudicatus est. Nec ad verbum Dei prouocanti locus hîc fuit vllus relictus. Plus valuit ecclesiæ Romanæ impia consensio, quàm vlla verbi diuini asseueratio. Quod non tam testimonia Iuris Canonici & interpretum eius, quàm ipsa etiam conciliorum decreta planum faciunt. Sic enim in Concilio Constantiensi decretum est: Licet Christus suis discipulis administrauerit sub vtraque specie Panis & vini venerabile Sacramentum, & in primitiua ecclesia à fidelibus sub vtraque specie huiusmodi Sacramentum sit receptum: tamen hoc non obstante, præcipimus sub pœna excommunicationis, vt nullus presbyter communicet populum sub vtraque specie panis & vini.

Vt autem legum humanarum authoritati ius Canonicum opposuit pontifex Romanus: sic ad infringendam verbi diuini potentiam, Theologiam Scholasti- Scholasticæ Theologiæ incommoda, & fecta.

cam adhibuit, quæ vt Trithemius ait, Theologiam veram sua curiositate inutili fœdauit. Ab hac proseminatæ sunt sectæ tanquam familiæ complures, dissentientes inter se & multum dispares: dum ex varijs & diuersis, in omnemq; partem diffusis disputationibus, alius aliud probauit. Hinc alij Thomistæ, alij Albertistæ, alij Occamistæ, alij Scotistæ, alij reales, alij nominales appellari cœperunt. Dicti sunt hi Scholastici Theologi, quorum princeps fuit Petrus Lombardus, cognomento Magister sententiarum, Parisiensis Episcopus. Cuius extant quatuor sententiarum libri, qui Scholasticæ Theologiæ fundamenta & firmamenta continent. Floruit is anno Christi 1160. & æquales habuit, Petrum Comestorem, qui historiam Scholasticam scripsit, Petrum Blesensem, & alios. Secuti sunt interuallo non ita longo Scotus, Bonauentura, Alexander de Ales, Thomas Aquinas, & alij quàm plurimi.

Theologia Scholastica.

Etsi autem argutiarum & acuminis

mul-

multum in his doctoribus fuit, in Lombardo præsertim, Thoma, Scoto, qui dialectici fuerunt subtiles & acuti: duo tamen sunt, quæ iure optimo in ijs reprehendi queunt, Theologiæ in Philosophiam transfusio, & quæstionum inutilium coaceruatio, quorum vtrumque regno Pontificio accessionem magnam adiunxit, ecclesiæ verò detrimenti plurimum attulit. Confusio enim sensum & vim scripturæ eleuauit, obtriuit, & deleuit. Quæstionum verò inutilium cumulus studium & authoritatem Theologiæ vehementer imminuit. Vtrumq; experta est hæc ætas cum sequentibus, & adhuc experitur ecclesia pontificia. Philosophia quidem thesauri magni loco habenda est & custodienda in ecclesia: sed ita, vt Theologiæ & aliarum disciplinarum ministra sit, & instrumentum necessarium. Scholastici verò extra modum acumine & subtilitate inani prodeuntes; Theologiam argutis, futilibus & ociosis quæstionibus refferserunt, & fulgorem eius sensumq; penè

Acumen Scholasticorum Theologorum.

Philosophiæ dignitas & vsus.

omnem obscurarunt. Vnde factum est, vt luce vera, hoc est, Christo amisso, tenebris omnia inuoluta sint. Cuius rei testes esse possunt libri, qui extant, in quibus neq; Christus, neq; fides, neq; cultus Dei verus inuenitur. Hinc consolatio omnis, quam ex verbo Dei haurire oportet, euanuit, & à Christo mediatore ad Sanctorum intercessionem homines abducti sunt.

Quanquam autem inter spinas hasce etiam rosæ reperiuntur, hoc est, commentis Philosophicis sententiæ quædam piæ & commodæ in Scholastica Theologia aspersæ sunt: tamen hæ ipsæ opinionibus inutilibus, vanis, & sæpe etiam impijs obruuntur. Vt, an gratia sit aliquid creatum, an increatum? An Deus posit quoduis malum, etiam sui odium præcipere? An potuerit hunc mundum ab æterno meliorem facere, quàm fecit? An producere poßit hominem, qui peccare nullo modo queat? An ex facto facere poßit infectum, & quidem ex meretrice virginem? An aliquo contineatur

Quæstiones Inutiles Scholasticorum Theologorum.

prædi-

prædicamento? An reſpectum poſsit producere ſine fundamento & termino? An abſq; ſingularibus producere poſsit & conſeruare naturam vniuerſalem? Et id genus alia penè infinita. Cuiuſmodi ſunt etiam quæſtiones totis ſeculis agitatæ, de notionibus, relationibus, formalitatibus, quidditatibus, hæcceitatibus, indiuidualibus, Indiuiduationibus. His rixis inſuauibus & inutilibus dum eccleſiæ & Scholæ omnes occupatæ fuerunt: interim Theologia & Philoſophia ſana omnis deleta eſt, barbarieq; fœda & horrenda totum regnum pontificium affluxit: vt miſerari oporteat fortunam Thomæ, Scoti, & aliorum Scholaſticorum, qui acumen ingenij, & operam tantam in rebus tam futilibus conſumſerunt. Lombardi quidem in primis laudanda eſt diligentia, in patrum ſanctorum ſententijs colligendis, Latinorum præſertim. Græci enim tunc noti minus fuerunt. Et habet etiam ſubtilitas aliquem vſum ad acuendum diſcentium ingenia, excitandaq; ſtudia. Verum in

Petrus Lombardus.

hoc tamen genere improbatur meritò Philosophiæ in Theologiam deriuatio, & sermonis proprij ac puri in barbarum ac fœdum mutatio. Exempla sunt in disputatione de Trinitate, vt, supposita, rationes, relationes communes, personales, personarum constitutiuæ, principia generationis, spirationis, distinctionis, relationes originis, circumincessio, & alia multa.

Nec tamen sermonis tantum mutatio improbatur, sed rerum etiam ipsarum, quæ inde nasci solet, obscuratio vituperatur. Vt in eadem doctrina Lombardus, haud scio, an cupiditate nouitatis, an inscitia, dum argutias consectatur, in cauillationes impias incidit.

Doctores & Bacularij.

Ita autem recepta fuit Magistri sententiarum doctrina, vt & baculo, & doctoris titulo ornarentur, qui eam professi essent. Sancitum est etiam, vt qui de diuinis dissererent, non alijs vocabulis, aut loquendi formulis vterentur, sed ad has, tanquam ad Canonem siue normam, quorumlibet scriptorum,

siue

siue veterum, siue nouorum dogmata referrentur, & exigerentur. Quod qui negligebant, hæreseos arguebantur.

Quod etsi ad doctrinæ concordiam magnum adiumentum attulit: tamen scripturæ authoritatem vehementer labefactauit, pontificij verò regni firmamentum & robur auxit. Desitum est enim legere libros Propheticos & Apostolicos, qui fontes ecclesiæ limpidissimi & saluberrimi sunt, & id tantum ratum fuit habitum, quod vel Magister sententiarum docuisset, vel Romana ecclesia probasset, aut decreuisset. Ita ergo alligata est ecclesia Christi ad ecclesiam Papæ, ecclesiaq́ Catholica siue vniuersalis restricta est ad particularem, hoc est, Romanam tantum, quæ non amplius verbum Dei, sed decretum Romani pontificis professa est. Nec iam loci aliquid relictum fuit libertati Euangelicæ, sed subiecta omnia fuerunt seruituti pontificiæ: vt tutius fuerit à scriptura, quàm à decretis Romanæ sedis recedere. Et quod caput est,

quæ Christus gratis offert in se credentibus, ea turpissimo mercatu venalia facta sunt. Hoc qui vel credere, vel fateri recusauit, eum illico supplicij metum, vel capitis periculum subire oportuit. Nihilominus tamen inuenti sunt singulis ætatibus in tanta tyrannide & caligine, qui diuinitus oblata luce veritatem perspexerunt, & seruile impiumq́; iugum à ceruicibus suis repellere conati sunt.

SERIES DOCTORVM Scholasticæ Theologiæ.

Parens Scholasticæ Theologiæ fuit Lanfrancus, qui anno Christi 1071. Archiepiscopus Cantuariæ in Anglia factus est, secundum Iouium. Hunc secutus est, in eodem munere & professione Anselmus circa annum 1094. secundum Mariani appendicem. Anselmum excepit Hugo de S. Victore Parisijs circa annum 1127. Hugonem Gratianus, Gratianum Petrus Lombardus, & frater eius Petrus Comestor, item Rupertus, & alij vsq; ad Alexandrum de Ales minori-

minoritam, Lombardi commendatorem, circa annum Christi 1247.

Atq; hi quidem quasi gradum quendam, & aditum ad Scholasticæ Theologiæ inquinamenta iecerunt. Qui verò hos secuti sunt, audacia maiori purißimos Israelis fontes contaminarunt, admixtis & affusis hominum commentis tanquam ceno. Principes in hoc genere fuerunt, Albertus Magnus, Thomas Aquinas, Durandus, Scotus, Alexander de Alexandria, Nicolaus de Lyra, Bonauentura, Occam, qui vixit circa annum Christi 1324. Ioannes Capreolus, Gerson, Petrus de Aliaco, anno 1417. Gabriel Biel, Ioannes de Lapide, Carthusianus, qui doctrinam de realibus Lutetiâ Basileam attulit, circa annum Christi 1496.

DE MARTYRIBVS, SIVE professoribus veræ doctrinæ, & libertatis in regno pontificio.

Anno Christi 1077. Heinricus IV. Imperator à Papa Gregorio VII. qui Heinricus IV.

& Hildebrandus vocatur, excommunicatus, literas ad eum dedit, quibus inter alia scriptum est: *Tu his gradibus ascendisti, scilicet astutia pecuniam, pecunia fauorem, fauore ferrum, ferro sedem pacis adisti, & de sede pacis pacem turbasti.* Caussæ Imperatoris patronus extitit Veltramus Niemburgensis Episcopus, qui edito libro de vnitate Ecclesiæ planum fecit, politicum gladium Papæ haudquaquam conuenire, multò minus imperium in imperatorem. Quamobrem nec licere ei Imperatoris, aliorumue principum subditos à fide & obedientia Magistratui debita liberare, apertè demonstrauit.

Veltramus.

Episcopus Verodunensis.

Verodunensis quidam Episcopus contra Hildebrandum sic exclamauit: *Qui caput dicitur, iam est cauda Ecclesiæ: qui fundamentum, iam detrimentum ecclesiæ: hic dispergit, qui dicebatur congregare, hic Ecclesiam odit, qui dicebatur diligere.*

Benno.

Eodem tempore Benno Cardinalis,

&

& archipresbyter Ecclesiæ Romanæ questus est, Papam terribilia schismata seminasse contra Ecclesiam Christi, & sedem beati Petri, crudeliter dißipasse, cathedram Christi, inculcando leges Ecclesiæ, imperando cum potentia, & austeritate. Postquam verò Hildebrandus inaudita superbia ac immanitate tractauit Heinricum IV. exsibilauit, & verè ludibrium angelis & hominibus, vt Bennonis vtar verbis, proposuit: tandem ad accipiendum conditiones iniustas & indignas adegit, & absolutionem ab eo petere compulit, vt infra in vita huius Imperatoris dicetur.

Queritur Sigebertus etiam chronographus de hac temeritate pontificis Romani, vocatq; non errorem tantum, sed hæresin, cum Papa audet ab obedientia Imperatoris & Magistratus cuiusq; subditos absoluere, periurosq; & excommunicatos habere, quicunq; regi pareant. Sigebertus.

Leodiensis ecclesia disertè Romam appel- Leodiensis ecclesia.

appellauit Babylonem, idq́ à diuo Petro Apostolo spiritu Prophetico iam olim esse prædictum ait, quod Roma procella ecclesiæ & turbo, tempestasq́ pacis esset futura.

Bernardus. *Benardus qui anno Christi 1113. monasterium ingressus est, Papam & eius satellites, Episcopos & spirituales disertè nominat Antichristi ministros, in libro ad Eugenium. Et serm. 33. ait, prælatos factos esse Pilatos.*

Petrus Blesensis. *Anno Christi 1160. Petrus Blesensis in epistola ad Officialem apertè Romam vocat Babylonem, monetq́ officialem, vt ex ea discedat.*

S. Hildegardis. *S. Hildegardis Abbatissa cœnobij Bingensis, anno Christi 1180. mortua est. Hæc Latini sermonis gnara, reuelante Spiritu sancto, multa dictauit, quibus ecclesiasticorum in regno pontificio negligentia contemtam, scelere verò pollutam esse religionem omnem conqueritur.*

Elisabetha. *Elisabetha Germana spiritu Prophetico sub persona angeli sic allocuta*

est

est prælatos: Caput ecclesiæ clamat, & membra eius mortua sunt. Quin sedes Apostolica obsessa est à superbia, & colitur auaritia, & repleta est iniquitate, & scandalisant oues meas, & errare eas faciunt, quas custodire & regere debuerunt.

Otho Episcopus Frisingensis, qui vixit circa annum Christi 1152. his verbis insectatus est potestatem Papæ politicam: Sicut illi personæ, quæ gladium materialem portat, non licet contingere ea, quæ spiritualia sunt: sic & isti ea vsurpare, quæ huius sunt, non conuenit. Vnde & in Euangelio scribitur: Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ Dei sunt, Deo. Idq; Dominus sicut prædicat verbis, ita factis declarauit, quando tributum pro se & Petro iussit dari. Improbauit idem etiam donationem Constantini. Otho Frising.

Circa annum Christi 1160. VValdenses in Gallia cœperunt abusus veræ religionis in ecclesia pontificia reprehendere; Papæ potestatem politicam negare, VValdenses

gare, & Missam, Iudulgentias, Purgatorium, communionem sub vna specie vehementer improbare.

Fridericus II. — Fridericus II. Imperator anno Christi 1228. à Papa Gregorio IX. excommunicatus, reges & principes mundi hortatus est, ne Papæ & Cardinalibus obedirent. Cui etiam tribuitur hoc distichon:

Roma diu titubans, varijs erroribus acta
Corruet, & mundi desinet esse caput.

Rhythmi. — Rhythmi contra sanctorum inuocationem ex Præmonstratensium breuiario:

Adiuuent nos eorum merita,
Quos propria impediunt scelera?
Excuset eorum intercessio,
Quos propria accusat actio?

Rupertus. — Anno Christi 1250. Rupertus Episcopus Lymoniensis, vt Hussus scribit, seuerè obiurgauit Romanæ ecclesiæ auaritiam, vtpote quæ nullo quæstu satiari potuerit. Ad exitum verò vitæ vocatus, monachum quendam eruditum grauiter accusauit, quod neque ipse, neq; alij monachi tantis Papæ expilationibus

bus

bus ac tyrannidi acrius resisterent. Excommunicare eum voluit quidem pontifex, sed de spe conatuq; depulsus est.

Seualdo Eboracensis archiepiscopus scripsit breuiloquium ad Papam, in quo hortatus est eum, vt à tyrannide desisteret, humilitatem maiorum imitaretur, & exemplo Petri oues pasceret, non degluberet. Seualdus

Trithemius in chronico Hirsaugiensi memorat tempore Honorij II. Papæ, Romam venisse quendam presbyterum, qui opinionem sanctitatis & eruditionis magnam habuerit, & pro suggestu lasciuiam, libidinem, auaritiam & fastum nimium clericorum acriter reprehenderit. Cuius conciones quamuis nobilitati gratæ fuerint, Cardinalibus tamen & Clericis adeo acerbæ fuerunt visæ, vt eum ex insidijs clam occiderint. Trithemius

Ioannes Teutonicus, Canonicus Halberstatensis circa annum 1267. primus oppugnauit decimas vniuersales à Cle- Ioannes Teutonicus

mente

mente IV. pont. max. institutas & appellauit concilium generale.

Author Speculi Iuris Guilelmus, Durandus, episcopus Mimatensis.

Circa annum Christi 1271. author Speculi Iuris, & rationalis diuinorum aperte & seuere passim in pontifices & clerum inuehens; vitia horrenda illis exprobrat. Inter cætera ait: in vniuersali ecclesia quæstores multos errores disseminant, multosq; seducunt simplices, & multas abusiones procurant, & vitam gerunt enormiter dissolutam; adeo, vt pateant risui, potestasq; clauium ecclesiæ contemnatur: quando pro vno obulo, vel nihilo indulgentia conceditur. Vnde fit, vt propter facilitatem veniæ pro obulo obtinendæ, & pecuniæ redimendæ delinquere non reformident.

Volquinus.

Volquinus, cuius extat homelia super Euangelium de zizanijs, inter multa hæc quoq; habet: Proh dolor, & proh dolor, hodie meretrix antiqua, quæ habens poculum aureum in manu sua plenum abominatione, fornicatione, & immunditia; qua mirabiliter inebriat sacer-

sacerdotes & clericos, de qua in Apocalypsi prædictum est.

Anno Christi 1328. Ludouicus Bauarus Imperator, comitia Francofurti habuit contra Papam Ioannem XXII. in quibus Papæ potestas ciuilis damnata & abrogata est. Hunc Imperatorem susceperunt defendendũ Marsilius Patauinus, Ioannes de Iandano, Occam, Michael Lesenta minoritarum generalis, Dantes, Petrarcha, qui omnes ingenuè liberéq; tyrannidem pontificiam refutarunt, & pro libertate ecclesiæ & reipub. strenuè propugnarunt, nullum periculum vitæ aut fortunarum reformidantes. Digna est memoria vox Guilelmi Occam ad Imperatorem æque excommunicatum in hoc certamine: O Imperator, tu me gladio defende à Papæ iniurijs, & ego te verbis ac scriptis defendam. Spreuit hic inuicto animo, & pro nihilo habuit excommunicationem Papæ, in qua etiam mori nihil est veritus.

Ludouicus Bauarus.

Marsil.

Dantes Petrarcha.

Occam.

Thomas de Corsellis, qui concilio Basilien-

Thomas de Corsellis.

silienſi, anno 1431. interfuit; plerosq́; Papæ & adulatorum eius conatus impios improbauit. Sunt, inquiens, aliqui, ſiue auidi gloriæ, ſiue quod adulando præmia expectant, qui peregrinas quaſdam & omnino nouas prædicare doctrinas cæperunt, ipſumq́; ſummum pontificem ex Iuriſdictione ſacri concilij demere non verentur, & cætera, quæ recitat Æneas Syluius.

Heinricus Tocken.

Heinricus Tocken canonicus Magdeburgenſis, legatus ſui archiepiſcopi in concilio Baſilienſi, edito libro, qui extat, demonſtrauit; concilij maiorem eſſe authoritatem, quàm pontificis, adeoq́; conceſſum eſſe illi pontificem iudicare, & loco mouere.

Fuerunt alij innumerabiles ante & poſt hæc tempora, qui in ipſa epitaſi ſeu flore regni pontificij, ſuperſtitiones & abuſum poteſtatis eccleſiaſticæ improbarunt, deplorarunt, refutarunt, & emendationem eccleſiæ, liberationemq́; à tyrannide ſumma cupiditate expetiuerunt. Speculum aureum, quod

Speculum aureum.

ſcri-

scriptum esse apparet circa annum Christi 1400. apertè exclamat, Romanam curiam à planta pedis vsque ad verticem capitis manifestis erroribus excæcatam esse, atq; adeò errorum suorum veneno omnes fermè mundi partes inebriasse. Tandem votum addit ardentißimum, vt ipse filius Dei vnigenitus ecclesiam suam reformet. Memorabile verò est, quod in eodem scripto legitur: Omnes quidem intus murmurant, nulli autem clamant. Quo satis declaratur, quantæ fuerint indignationes, gemitus, & suspiria piorum hominum, quos tamen metus tyrannidis pontificiæ suppreßit atq; cohibuit.

Extat Mechtildis sanctæ cuiusdam mulieris Prophetia, quâ spirituales summos & infimos insimulat auaritiæ, superbiæ, libidinis, inscitiæq; extremæ, vtpote qui non curent amplius Christi mandata, docendiq; munus, sed indocti sint, à Christo defecerint, facti lupi, qui iugulent & deuorent omnes, Christiq; oues à sacris pascuis abducant. S. Mechtildis.

Vaticinatur autem ſimul excitaturum eſſe Deum nouos paſtores, qui ſanam Chriſti doctrinam tradant, collapſam eccleſiam erigant, religionem repurgent, & Antichriſtum oppugnent.

Nicolaus Clemangis.

Nicolaus Clemangis Pariſienſis Magiſter, circa annum Chriſti 1416. inter querelas multas & graues de Eccleſiæ Romanæ nefarijs horrendisq́ erroribus ait, in eum locum rem adductam eſſe, vt omiſſa ſacrarum literarum lectione, nihil niſi de ſanctis in Eccleſia legatur atq; dicatur.

Deniq; multitudo eſt nullo numero definita eorum, qui pontifici in hoc tempore reclamarunt, & vel excommunicationis fulmen, vel ignis ſupplicium ſubire, quàm flagitia horribilia Romanæ eccleſiæ tacita relinquere maluerunt. Ex horum numero fuit Laurentius Valla, qui acerrimè impudentiam, vanitatem, auaritiam, ac præſtigias eccleſiaſticorum inſectatus eſt, & propterea etiam in exilium pulſus fuit.

Laurentius Valla.

Ioannes de Veſalia concionator Vuormaci-

maciensis circa annum Christi 1470. disertè improbauit plerosq; abusus Romanæ ecclesiæ, & sæpius vsurpauit hæc verba: Quàm arduum nunc est, Christianum esse, iccirco Moguntiæ, anno 1479. condemnatus est.

D. Veselus.

D. Veselus, qui ob nominis celebritatem lux mundi appellatus fuit, Papæ non nisi rectè sentienti obtemperandum esse asseruit. Nam & errare eum posse, & quando errat, omnibus modis illi resistendum esse, censuit. Prædixit quoq; emendationem Ecclesiæ, studiosum quendam appellans his verbis: Studiose adolescens, ad illum viues diem, quo doctrina recentiorum & contentiosorum illorum Theologorum, Thomæ & Bonauenturæ, aliorumq; eiusdem farinæ ab omnibus verè Christianis Theologis explodetur.

D. Sebastianus.

Sebastianus quidam Doctor Theologiæ, Canonicus & concionator in summo templo Beatæ Mariæ, quod est Erfurdiæ, præter alia etiam hoc prædixit, affuturum esse tempus, quo Euangelium

ex libris recitetur: ad illud, inquiens, mortuo me, quidam vestrum procedent, ætate.

Auentinus. *Auentinus, qui circiter annum 1500. vixit, ita de Magistro sententiarum scribit: Petrus Lombardus sententiarum quatuor libros scripsit, sed sacrosanctæ Philosophiæ veritatem, fontemq́ purissimum, sicut plus millies à Iacobo Fabro, & Iodoco Clitoueo, præceptoribus meis accepi, cœno quæstionum, riuulisq́ opinionum conturbauit.*

Iacobus Faber. Clitoueus.

Franciscus Picus. *Franciscus Picus Mirandulæ comes datis ad Maximilianum Cæsarem literis, grauissimè eum hortatus est ad suscipiendum ecclesiæ reformationem: Age, inquiens, optime Cæsar, excitis, qua ratione potes, Christianis regibus, te Christo regum omnium regi, oues suas tam ab hostibus, quàm à perfidis pastoribus, iamiam liberaturo, fidum ministrum exhibe, anno Christi 1500.*

Baptista Mantuanus. *Baptista Mantuanus copiosè grauiterq́*

terq́ scelera Romanæ ecclesiæ insectatus, inter alia multa scripsit:

venalia nobis
Templa, sacerdotes, altaria, sacra, coronæ,
Ignis, thura, preces, cœlum est venale, Deusq́.

Domitius Calderinus, qui floruit circa annum Christi 1470. Missam audire renuit, & quoties ad eam ab amicis ductus fuit, dixit, eamus ad communem errorem. Domitius Calderinus.

D. Keisersbergius Argentinensis ecclesiæ concionator, non solum questus est vehementer de religionis corruptione, sed emendationem etiam prædixit: Venturum, inquiens, quendam diuinitus excitatum, qui religionem instauret. Quin diem etiam ipsum videre gestijt, qui emendationem talem apportaturus erat. Quod quidem votum commune illi cum alijs multis fuit. D. Keisersbergius.

Ioannes Hilten verò etiam annum nominauit 1516. qui monachorum euersionem esset allaturus. Hunc annum cum attigisset, monachus quidam prope Ioannes Hilten.

Bitterfeld in Steinlaußig cognomento Flecken. *Flecken, gaudio magno exultauit, & visis propositionibus Lutheri contra Indulgentias, in hanc vocem erupit, conuersus ad monachos & sacrificulos: Ha, ha, ha, venit iam is, qui vos rectè tractabit.*

D. Proles. *D. Andreas Proles Lipsensis, Augustinianorum prouincialis, quem Lutherus admodum iuuenis Magdeburgi vidit & audiuit, in docendo sæpius vsurpauit hanc vocem: O fratres, res Christiana opus habet forti & magna reformatione, quam quidem iam prope instare video. Item, Papæ regnum iam ruinam magnam minatur: quia nimis altè & nimis citò creuit. Hic cum admoneretur, vt ipse curam emendandi Ecclesiam susciperet, respondit, ego iam ætate affecta sum, nec tantum habeo roboris atq; præsidij quantum reformationis tantæ opus postulat. Alium verò excitabit Deus heroem, quem ad omnia summum atq; excellens ingenium armabit. Is reformationem aggredietur.*

tur, errores extirpabit, pericula animo infracto despiciet, perrumpet, & ad exitum illum, quem omnes pij exoptant, rem adducet. Papa libertatis tantæ impatiens, excommunicauit eum. Ipse verò floccifecit, & cum in fuga esset, suasu cuiusdam nobilis arcum & sagittas emit, quibus se tueretur. At non multo post arcum & sagittas abiecit, & Dei solius præsidio sese commisit. Interim verò magis fidenti animo Romanæ Ecclesiæ superstitiones redarguit, & cum ducis Saxoniæ Ernesti, archiepiscopi Magdeburgensis authoritas intercessisset, iussus est à pontifice Romam, accepto commeatu saluo, venire, vt illic absolutionem impetraret. Quod iter graue cum suscepisset Proles, obuiam ei processit non procul ab vrbe Cardinalis cuiusdam ordinis Augustiniani minister, qui monuit ipsum, vt, si paratum sibi à pontifice exitium declinare vellet, illicò in Germaniam properaret. Cui obsecutus ille, in reditu ægrotare cœpit, ex quo confectus iam

senectute & iactationis molestia, mortuus est.

DE TEMPORE PERPVRgatæ religionis in millenario sexto.

Papæ potentia.

Assumserat iam regnum pontificium vetustatis & roboris tantum, vt orbem Christianum complexum esse videretur. Tenebat enim non modò authoritatem, sed etiam imperium in Ecclesiasticos & politicos: nemoq; à terribili excommunicationis fulmine tutus erat, nisi numen pontificium agnosceret atq; horreret. Creuerat autem Papæ regnum artibus ijs, quæ & ad potentiam, & opes cumulandas maximè conducunt.

Terrena.

Primùm quidem vt arctius sibi deuinctos officio & obseruantia reges, principes, & imperatores ipsos haberet, dominium sibi in corporalibus & spiritualibus per vniuersum mundum arrogauit: quod appendix Martini Poloni de Bonifacio VIII. non dißimulanter confirmat. Inde ergo subiectas sub

metum

metum & libidinem eius esse cunctos mortales, summos & infimos oportuit. Quæ sane monarchia ad quæstus, quos sibi proposuit, magnos atque vberes, in primis conueniens fuit: vt præcipere exigereque, quæ vellet, liberè per omnia regna, ditiones, ciuitates, & oppida posset.

Secundò, cœli ipsius dominium occupauit, aditumque ad illud nemini patefecit, nisi qui ipsius cupiditati, decretisque satisfecisset. Erant autem decreta, sanctionesque Romanæ Ecclesiæ omnes ad corradendum coaceruandumque opes directæ, nec iam loci quicquam erat relictum gratiæ, remißioni peccatorum, & fidei, qua Christi merita ad se applicarent credentes, sed precio vendebantur omnia. Nec viuis solum, Sed mortuis etiam remedia, quibus liberari possent, inuenta sunt, per oblationes sacerdotum, per preces sanctorum, per eleemosynas carorum, per ieiunia cognatorum, vt in secunda parte Decret. caussa 13. quæstion. secunda dicitur. Hinc Cœlestia.

modi

modi multiplices ſatisfactionum, & per eos infiniti quæſtus excogitati ſunt. Numerari poſſunt gradus quinq; ſatisfactionum, quibus à Chriſto ad hominum merita traducti ſunt homines, & quod gratis à Chriſto accipere potuerunt, id precio emere coacti ſunt.

Satisfactionum gradus.

Primus gradus complectebatur opera non debita, quæ & ſupererogationis opera nominantur, quod lege Dei mandata non ſint. Cuiusmodi ſunt peregrinationes ſiue diſcurſationes ad ſtatuas, recitationes certarum precum, certorum dierum ieiunium.

Secundus continebat fraternitates, ſiue monachorum collegia, in quæ cooptari cupiebant plurimi, vt ſibi & alijs ſalutem & vitam mererentur. Has enim & non alias officinas atq; fontes bonorum operum eſſe pleriq; credebant, & qui monachi eſſe ipſi minus poterant, precio monachorum merita emebant: vt affluentibus eorum operibus, tanquam riuulis irrigarentur. Nonnulli etiam

cucullis induti, monachorum more sepeliebantur.

Tertius gradus Indulgentias comprehendebat, quæ certo precio, tanquam in nundinarum πανηγύρει vendebantur. Quartum gradum sibi vendicabat ignis purgatorius: quintum Missæ & vigiliæ, quibus adiunctæ sunt accessiones penè innumerabiles; reseruationes pectorales, mentales, quibus animo duntaxat concepta, nondum verò commissa peccata continebantur; regressus generales, & speciales accessus; incorporationes, vniones, relaxationes, permutationes beneficiorum; declarationes; taxæ pœnitentiariæ, pallia, annatæ, taxæ Cancellariæ apostolicæ. Quibus Romanæ curiæ quotannis, passim ex omnibus nationibus & prouincijs reditus supra centum tonnas auri siue coronatorum, secundum quorundam supputationem, accreuit. Reditus Curiæ Romanæ annuus.

Vnum certè Galliæ regnum annis singulis amplius trecenta millia coronatorum ad Ecclesiam Romanam attulit, vt

in

in defensione Parisiensis curiæ pro libertate Ecclesiæ Gallicæ Ludouico XI. oblata, articulo 77. scribitur. In tanta igitur potentia & fortuna si paululum modo pontificium regnum processisset, parum abfuisset, quin regnorum, ciuitatum & oppidorum vires ac facultates infregisset, & tanquam Charybdis vorax absorpsisset.

Est autem fatale, vt cum ad summum gradum iniquitas & tyrannis peruenerit, rumpatur, & quò ascendit amplius, eò corruat fœdius. Quamobrem etiam pontificij regni vim atque robur labefactari, & ex fastigio summo deturbari, in hoc tempore, iusto Dei iudicio necesse fuit: vt ex tyrannide, & luctuosa conscientiæ carnificina, tanquam ex Ægyptiaca seruitute Ecclesia tandem liberaretur.

Liberatio ex tyrannide pontificia per Lutherum.

Oportuit autem in primis heroem esse insignem, qui in regnum pontificis Romani tam potens, tantisque opibus munitum inuaderet, & populum Dei afflictum, atque gementem ex faucibus im-

manis & auari tyranni eriperet, in libertatemq; Christianam vindicaret. Is Martinus Lutherus fuit, quem Deus non solum scientia humanarum & diuinarum literarum instruxit, sed animi etiam magnitudine & robore armauit, vt tam incipiendi, quàm perficiendi operis facultatem haberet. Martinus Lutherus.

Attulit autem ad rem tantam non generis splendorem, non nominis celebritatem, sed honestatem tamen, non Principis vllius authoritatem atq; potentiam, sed solius Iesu Christi filij Dei & hominis præsidium, eiusq; verbi infractam vim & authoritatem. Erat enim vir eloquens, spiritu feruens, & in scripturis potens. Non aliam igitur machinam vllam ad oppugnandum & euertendum pontificium regnum adhibuit; quàm verbi Dei viua & expressa testimonia, quibus primùm Indulgentiarum turpißimum mercatum siue quæstum impium & detestandum, quasi quodam fulmine cœlitus demisso prostrauit. Initium reformationis ab indulgentiarum oppugnatione.

Anno

Certamen Lutheri de indulgentiis.

Anno 1517. Tecelius monachus quidam Dominicanus, cuius præter cæteros nobilitata erat impudentia, paßim in his regionibus, titulo Alberti archiepiscopi Magdeburgensis, Indulgentias venales circumferebat, quibus gratiam delictorum omnium, quæ commissa & committenda essent, precio quantocunq; concesßit.

His ardenti zelo incensus Lutherus, consistendum esse omni contentione arbitrabatur, nec committendum, vt diutius verbum gratiæ, quæ solius Dei est, r homines tam turpiter ad extorquendam pecuniam, & ad contorquendas Conscientias conuerteretur. Quamobrem disputationis capita 95. Vitebergæ ad fores templi affixit, quibus de purgatorio, de officio caritatis, de vera pœnitentia, de indulgentijs disserebat, indulgentiarum verò venditores insectabatur. Nec tamen eo proposito atq; consilio sese opposuit Indulgentiarum commento, vt conatus ille aditus ad destruendum pontificium regnum esset; sed

sed vt cursum impudentis & impij quæstus Indulgentiarum nonnihil inhiberet, ac retardaret: tum vt ad inquisitionem veritatis in tam spinosa disputatione aliquos inflámmaret.

Tecelius verò, qui non iam disputandi partes cum quoquam suscipere, sed pecunia tantum emungere homines in animo habebat, stomachari primum, mox monachorum ac sophistarum præsidio sese munire cœpit: nec ratione aliqua, multo minus scripturæ testimonio, sed clamoribus, & minis tantum deterrere aduersarium instituit. Iccircò propositiones etiam Lutheri flammis exussit, ipsumq́ authorem hæreticum, igniq́ perdendum esse paßim pro suggestu declamitauit. Lutherus contra sententiam suam concionando & disputando tutatus est, & explicauit disertius. Inde ergo initio tenui orsa ecclesiæ reformatio successum atq; exitum salutarem habuit.

Prodijt autem reformatio omnis ex VVitebergensi academia, in ducatu Saxonico, Locus ex quo reformatio ecclesiæ prodijt.

xonico, quam D. Fleccius iam ante, ne-
scio qua animi diuinatione permotus,
candidum sapientiæ montem, ex quo
flumina sapientiæ & vitæ in vniuer-
sum mundum redundatura essent, appel-
lârat. Placuit enim Deo ad ducatum
& familiam Saxonicam hunc hono-
rem transferre, vt ex ea in omnes partes
Germaniæ, & vicina regna lux do-
ctrinæ Euangelicæ, diffunderetur: quæ
dignitas omnem splendorem, potentiam
& maiestatem in mundo longè supe-
rat.

Anno 1518. Lutherus datis ad
pontificem supplicibus literis, se suamq́;
caussam eius censuræ subiecit. Eccius
verò, Sylueſter Prieras, & Iacobus Ho-
gostratus Theologi publicis scriptis con-
futare eum aggressi sunt. Ac Sylue-
stro quidem respondit Lutherus, men-
dacia eius & contumelias in Deum re-
darguens. Pontifex verò Leo X. re-
gno suo metuens, statim omnes vias
persequendas esse duxit, quibus impen-
dens Romanæ Ecclesiæ periculum pro-
pulsa-

pulsaret. Mox igitur Romam venire Lutherum iußit, pœnam, nisi obtemperaret, denuncians. Quia verò in Germania id temporis erat legatus Caietanus, huic mandata dedit, vt Augustæ in comitijs cum Luthero ageret, eumq; ab errore ad consensum ecclesiæ Romanæ reuocaret. Venit ergò Augustam Lutherus commendatus ibi quibusdam amicis à Friderico Saxoniæ duce, & imperij VII. viro. Sed expugnari sese nullis minis, nullisq; promißis à Cardinale passus est. Respondit enim apertè, fieri nullo modo posse, vt retractaret quæ scripsisset, nisi ex scriptura conuictus esset. Cum ergo nauare & efficere nihil posset Cardinalis Caietanus: monuit Fridericum Saxonem; vt vel Romam mitteret Lutherum, vel ditione sua expelleret.

Multa hic veniebant in mentem sapientißimo principi. Vitare quidem periculum, quod ex doctrinæ mutatione impendebat, omni cura & cogitatione cupiebat: & hosti tamen tradere eum,

qui ad verbum Dei prouocaret, iniquum esse censebat, priusquam conuictus esset. Tametsi igitur consensum ecclesiæ magnifaciebat, & pontificem venerabatur: pluris tamen æstimandam esse verbi diuini authoritatem iudicabat. Non ergo passus est Romam attrahi Lutherum, nisi errores eius ex verbo Dei essent demonstrati. Tanta autem moderatione res omnis acta est à Luthero, vt Cardinali fidem dederit, se, tacente aduersario, taciturum esse vicißim. Quod cum impetrare à Cardinale non posset, publicè & solenniter appellauit pontificem.

Phil. Mel. Venit hoc ipso anno VVitebergam ad docendum literas Græcas Philippus Melanchthon, qui se socium, adiutoremq́ fidelißimum & constantißimum præbuit consiliorum, certaminum, & studiorum Lutheri in hoc sanctißimo reformationis ecclesiæ actu.

Anno 1519. Lutherus iterum datis ad pontificem literis silentium, silentibus aduersarijs, promisit. Paulò post

Lipsi-

Lipsiam venit Eccius, & cum Carolostadio de libero arbitrio, cum Luthero autem de primatu Romani pontificis, & de indulgentijs disputauit. Pollicitus erat is certam sibi de Luthero victoriam propter propositionem illius, qua Papam iure diuino caput esse ecclesiæ negarat. Sed quoniam Lutherus verbi diuini testimonijs, Eccius verò pontificia, siue ecclesiæ Romanæ autoritate nitebatur, effici nihil potuit. Id verò ad Melanchthonem professus est Eccius se vtriusque partis caussam tueri posse, & velle, si præmium sibi propositum sciret. Cui respondit Melanchthon: veritas sibi ipsa est merces, nec puduit tunc pontificium Theologum aliud in templo, aliud in Schola dicere. Cuius inconstantiæ cum argueretur à Carolostadio, respondit: aliud disputare est, aliud cum populo agere. Lipsensis Academia tunc aliena prorsus à caussa Lutheri fuit, in Eccium verò amorem multis rebus declarauit. Vini tamen munere VVitebergenses, more Acade- Disputatio Lipsensis.

miæ, ornauit. Vnus est inuentus Heinricus Auerbachius, & præter eum D. Pistoris Ordinarius, qui censores æquos sese in caussa Lutheri præbuerunt, VVitebergenses Theologos conuiuio acceperunt, & suam beneuolentiam abunde in eos nauarunt. Domum reuersus Lutherus edidit sermones de duplici Iustitia, de salutari meditatione passionis Christi, de Baptismo, de præparatione ad mortem, commentarium epistolæ ad Galatas, Declarationem propositionum suarum, de primatu Papæ. Etsi autem Erasmus Roterodamus, in quem plerorumque coniecti erant oculi, negotium reformationis non improbauit, sed pro ingenio suo politico moderationem duntaxat requisiuit: certum tamen est, nihil turbulentè, multò minus seditiosè à Luthero susceptum esse aut actum. Non enim idola pontificia, errores, & abusus omnes vno impetu abiiciendos aut abolendos censuit, sed sensim potius refutauit, & fundamenta veræ sententiæ, de plerisque articulis do-

ctrinæ

ctrinæ Christianæ iecit: vt cognitis abusibus ad veros vsus reduceretur ecclesia.

Missus est hoc anno à pontifice in Germaniam Carolus Miltitius Leonis X. pontificis maximi cubicularius, vt rosam Friderico Saxoniæ duci afferret. Quam ille quidem accepit, sed nihili fecit. Explorauerat autem in itinere Miltitius plurimorum de caussa Lutheri opiniones, cognoueratque adeo, neminem ferè esse, qui non ex animo ecclesiæ reformationem, doctrinæque emendationem optaret. Itaque fieri non posse perspiciebat, vt Romam adduceret Lutherum. Hortabatur igitur eum verbis ad studium pacis, & obedientiæ erga Romanum pontificem. Cui respondit ille, pace quidem nihil sibi esse antiquius, sed quietem sibi ab aduersarijs nullam concedi. Obiurgauit quoque legatus magna seueritate Tecelium, qua ita commotus est, vt contabescens mœrore animi extingueretur. C. Miltitius Tecelij interitus.

Cœpit hoc ipso anno etiam Vlricus

Zuinglius Tiguri, quo vocatus erat ad ministerium ecclesiasticum, indulgentiarum imposturas impugnare, anno verò 25. pontificia religio penitus ex agris & finibus Tigurinis exterminata est.

Anno 1520. Papa Leo X. edita Bulla, excommunicat Lutherum, & insuper etiam ad Fridericum Saxonem literas dat, quibus mandat, vt Lutherum, nisi intra dies sexaginta reuocet, vel Ducatu eijciat, vel ipse supplicio afficiat, libros verò eius cremet, vel Romam mittat. Respondet Fridericus se missurum quidem illum esse, si conductu saluo satis idoneè ei caueatur: vel crematurum esse eius scripta, si error vllus in ijs demonstretur.

Sapientia Friderici Saxo.

Nullis laudibus satis prædicari huius Principis sapientia potest, qui Lutheri doctrinam neque defendit, neque etiam aboleri passus est, nisi errorum conuinceretur. Itaque cum ad Comitia imperij proficisceretur, & Coloniæ valetudinis caussa commoraretur: Louanio accersiuit Erasmum Roterodamum, à

quo diligenter sciscitatus est, quid de Luthero sentiret. Fassus est autem Erasmus ingenuè, veram esse Lutheri doctrinam, sed plusculum se desiderare moderationis. Iterum interrogauit princeps, cur adeo inuisus est Clero? Duo, respondit Erasmus, quasi per ridiculum, peccata magna commisit: attigit coronam Papæ, & Monachorum ventres. Mirum igitur non est, vniuersum regnum Pontificium in illum inuehi. Publicauit hoc ipso anno Lutherus inter fulmina pontificiæ excommunicationis, assertionem omnium articulorum doctrinæ suæ à pontifice damnatorum. Prouocauit à Papa ad concilium, nominauit Papam Antichristum, cremauit Ius Canonicum cum Bulla pontificia, factiq́; sui rationem publico scripto reddidit. Multa præterea edidit, quibus paulatim vniuersam scripturam ab impijs commentis atq; erroribus vindicauit.

Erasmi iudicium de Luthero

Anno 1521. vocatus ad Comitia Lutherus VVormatiam profectus est, sub

Lutherus VVormatiæ coram Im-

perio cauf-fam dicit.

fide publica Cæsaris, Aprilis die XVI. In itinere cum ab amicis moneretur de periculo, quod ab hostibus ei impenderet, animo stabili & firmo respondit, se, si tot essent diaboli in vrbe, quot tegulæ in tectis, tamen ingressurum esse. Sequente die coram Imperatore & imperij proceribus comparuit, de caussaq́ue sua disertè constanterq́ue respondit. Ad imperij consessum dum iuit, multorum vocibus non obscuris ad constantiam incitatus est. Erat enim inuisa omnibus pontificia tyrannis & auaritia, iamq́ue votis summis liberatio expetebatur. Responsionis Lutheri duo capita fuêre, vnum de libris editis, quos agnouit ipse ingenuè. Alterum de defensione eorum, quam se abijcere non posse confirmauit, nisi ex scriptura sancta redargueretur & conuinceretur.

Gregorius Pontanus.

Eluxit in hac actione coram imperio insignis fides atque industria Gregorij Pontani, Friderici Saxonis Cancellarij, qui Lutherum, ne quid vel ipse offenderet, vel ab aduersario Eccio I. C.

circum-

circumueniretur, probè instruxit. Ad eundem modum respondit archiepiscopo Treuirensi, & die Aprilis XXVI. dimissus, Caduceatoreq; Cæsareo comitatus domum rediit. Interim die Maij octauo Cæsar eum proscripsit: & cum à pontifice etiam in die cœnæ Domini, qui Pascha antecedit, iterum excommunicatus esset, facile perspexit inclytus princeps Elector Saxoniæ Fridericus, in quanto periculo ille futurus esset. Itaq; nobilibus quibusdam de abducendo eo in arcem VVartpurgum, prope Isenacum negotium dedit, vt ibi delitesceret, donec ex Germania Cæsar abiisset. In ea tanquam in eremo, vel Pathmo, quemadmodum ipse nominauit, multa scripsit didactica, de votis monasticis, de abroganda Missa priuata, & id genus alia. Quædam etiam polemica edidit aduersus Latomum, Ambrosium Catharinum, & alios. Pathmus Luther.

Prouolauit id temporis Theologorum Parisiensium condemnatio librorum Luthe- Aduersarij Lutheri.

Lutheri, item Heinrici VIII. Angliæ regis scriptum aduersus Lutherum. Huic Heinrico pontifex titulum defensoris ecclesiæ tribuit, vt præmium laboris iustum tulisse videretur. Sed est refutatus satis acriter à Luthero. Interim exorti sunt complures Lutheri doctrinæ propugnatores, & successu magno emendata est Ecclesia. VVitebergæ Philippus Melanchthon scripto publico refutauit Parisienses, & Thomam Placentinum, hoc est, Emserum, titulo Didymi Fauentini. Abrogata etiam est Missa pontificia VVitebergæ, eiusq; loco verus sacrosanctæ Cœnæ vsus, secundum Christi institutionem introductus est. Inde in alias regiones & vrbes Euangelij lux propagata est.

Propugnatores doctrinæ Lutheri.

Anno 1522. cum iam menses circiter decem delituisset Lutherus, VVitebergæ Carolostadius tumultuosè multa molitus est, eiecit templis imagines, confeßionem priuatam aboleuit, vtramq; speciem primus distribuit, sacramentum laicis in manus tradidit, in foro non

Carolostadij tumultus VVitebergæ.

non ex iure Rom. sed ex lege Mosi pronunciandum esse contendit, reuelationes arcanas, & motus Spiritus sancti à Deo expectari iussit, Sacerdotum coniugium comprobauit, vastauit scholas, literarum cultum abiecit, & ad labores manuum cunctos hortatus est. Ipse aratrum ducens, Doctoris titulum respuit, rustici assumsit. Hæc res à senatu Academiæ ad Lutherum perscripta mouit eum, vt ex Pathmo VVitebergam rediret; quod factum est die Martij sexto. Reuersus sedauit motus, & Carolostadij reformationem ineptam reprobauit: non ab iconomachia, siue imaginum destructione incoandam esse Ecclesiæ emendationem dictitans, sed ab ipsius doctrinæ sana & perspicua explicatione. Quam si percepissent homines, & iam quid Deus, quid lex, quid Euangelium, quid gratia, quid fides sit, didicissent, tunc sponte sua abiecturos esse opinionem de imaginibus, & sanctorum cultu. Offensus ista concione Carolostadius, cœpit alienior esse

à Luthero, & cum fanaticis leges ciuiles reiecit, bellumq́ Sacramentarium suscepit.

Coniugium sacerdotum

Cœptum est hoc tempore à sacerdotibus iniri coniugium, primum quidem à Bartholomæo Bernarto Feldkirchio, præposito Ecclesiæ in oppido Kemberg, mox deinde à Carolostadio, & alijs. Quin & monachi, vestalesq́ lectis Lutheri scriptis impio voto sese exoluentes monasteria reliquerunt; & coniugium honestè amplexi sunt. Inde ergo deserta cœnobia nonnulla ad alios vsus Ecclesiæ & scholarum conuersa sunt. Sparsa sunt etiam hoc ipso anno semina Anabaptisticæ doctrinæ à fanaticis hominibus, Nicolao Pelargo, Thoma Munzero: cum quibus conspirauit Carolostadius. Dogma huius sectæ præcipuum fuit, paruulos non esse baptisandos. Cui accesserunt alia non minus horrenda de abolendis legibus politicis Imperatorum, & dicendo iure ex Mose. Decepti sunt hi magno opinionis errore, quod reuelationes arcanas atque angelicas,

Anabaptisticus furor.

collo-

colloquiaque cum Deo sibi finxerunt.

Anno 1523. disputationes passim multæ sunt habitæ de doctrina Christiana, Tiguri quidem inter Vlricum Zuinglium, & D. Ioannem Fabrum de Missa, de sanctorum inuocatione, de sacerdotum coniugio, & de imaginibus. Vratislauiæ verò inter pontificios & Lutheranos de sacerdotio Christi. Vnde religionis pontificiæ in Euangelicam mutatio secuta est. Edita est à Luthero Germanica interpretatio noui Testamenti, quæ ad cognitionem veritatis & lucis Euangelicæ propagationem plurimum contulit.

Disputationes de religione.

Nouum testamentum Germanicum.

Anno Christi 1523. conuentus Norimbergæ est habitus, in quo pontifex Adrianus per legatum suum prolixè de reformanda Ecclesia & Curia Romana promisit. Vnde permoti proceres imperij capita grauaminum Germaniæ, continentia querelas de immodicis expilationibus; & intolerabili iugo seruitutis in regno pontificio, ad

Grauamina Germaniæ.

Pa-

Papam scripserunt. Tum decretum est factum, vt quam primum indiceretur alicubi in Germania concilium vniuersale atq; liberum, in quo controuersiæ iudicarentur atq; componerentur. Interim verò iuxta receptas ab Ecclesia interpretationes Theologi docerent, rixas vitarent, nec nouos libros vllos sine delectorum à magistratu in singulis locis approbatione, ederent. Permissum quoq; est, vt sacerdotes, qui vxores duxissent iuxta Canones plecterentur. Ad hæc placuit episcopos & viros doctos esse deligendos, qui vt hæc obseruarentur, prouiderent.

Hæc decreta quamuis aliquibus dura viderentur, Lutherus tamen pro se facta esse, scripto ad imperij proceres misso, testatus est. Receptam enim scripturæ interpretationem non ad scholasticorum, sed ad orthodoxæ Ecclesiæ consensum accommodauit, nec aliam interpretationem admitti aut ferri posse demonstrauit. Pœnam verò sacerdotum, qui vxores duxissent, non aliam

posse

posse esse existimauit, quàm, quæ in iure Canonico definita est, vt libertate, priuilegijs, & reditibus ecclesiasticis priuentur. Itaq; ad sacerdotes solos eam pertinere iudicauit, non ad monachos, qui nullos reditus habent. Hortatus est tandem imperij principes, vt potiorem verbi diuini, quàm authoritatis aut voluntatis hominum rationem haberent.

Hoc ipso anno Bruxellis Calendis Iulij duo monachi Augustiniani, Ioannes & Heinricus damnati & combusti propter Euangelij professionem, primi martyres in hoc reformatæ religionis tempore facti sunt. Tertius in carcerem reductus & clam interfectus est. Cum ad palum ducerentur, clara voce Christianos se esse & mori velle professi sunt. Alligati verò palo Symbolum fidei, & Te Deum laudamus, vsq; ad extremum spiritum cecinerunt. Quæsitum est ex carnifice, num quod signum mutati animi dedissent? Respondit is, nihil tale omnino deprehendere se potuisse.

Primi martyres tempore religionis reformatæ.

Hos secuti sunt martyres alij, Heinricus Zudphaniensis in Ditmarsia, anno 1524. VVolfgangus Schucus in Lotharingia anno 25. Leonartus Cæsar Rabæ in Bauaria, anno 27. Georgius Carpenterius monaci in Bauaria, anno 27. Petrus Flistedius, & Adolphus Clarebachius Coloniæ anno 28. & alij, de quibus infra.

Formula Missæ.

VVitebergæ certa Missæ & communionis formula à Luthero præscripta est, reiecto Missæ Canone. Confirmata est confessio auricularis, & absolutio priuata, quæ à Carolostadio profligata erat. Editi sunt quinq; libri Moysi germanicè traducti. Prodijt liber de magistratu, in quo dignitas & officium eius luculentè describitur. Hoc delectatus fuit mirificè Fridericus Saxoniæ Elector.

Certamina domestica.

Anno 1524. noua certamina & quidem domestica in Ecclesia reformata exorta sunt: Primum ab Erasmo Roterodamo, qui persuasus ab Angliæ rege & Cardinale Eboracensi, diatriben edidit,

&

& liberi arbitrij patrocinium suscepit. Cui Lutherus anno 26. aliud scriptum de seruo arbitrio opposuit. Alterum ab Anabaptistis, qui hoc anno reconditum suum venenum euomuerunt, & rusticos concitare aggressi sunt. Lutherus verò Psalmos germanicè à se conuersos publicauit. Psalterium Germanicū Lutheri.

Anno 1525. demum erupit magna vi atq; impetu Anabaptistarum furor, cuius historia in capite de Hæresibus exponitur. Hunc refutauit Lutherus, & scriptum aduersus cœlestes Prophetas atq; fanaticos diuulgauit: Tum ordinationem ministrorum ecclesiæ instituit. Ac primus omnium Georgius Rorarius ordinatus est. Facta est autem, & adhuc fit, ordinatio ab ordinatis ecclesiæ ministris, & quidem in loco ecclesiæ ordinato; more institutoq; Christi & Apostolorum. Primùm enim examinatur siue exploratur ordinandus, deinde concionem publicam habet: tum in facie ecclesiæ preces adhibentur Deo, manus imponuntur, & potestas docendi Anabaptistarum furor Ordinatio ministrorū eccles.

Euangelium, administrandiq; Sacramenta datur. Edidit quoq; cantiones sacras germanicè, quarum vsus plurimus est in templis, scholis, & priuatis ædibus. Vnde plus pietatis veriq; solatij capitur, quàm ex vniuersa Scholastica Theologia. Duxit quoq; vxorem, Catharinam de nobili familia à Bora, quæ monasticam vitam ante sectata erat.

Theologi præclari in ecclesia reformata.

Floruerunt hoc tempore passim in ecclesia præclarissimi Theologi, Martinus Bucerus, & Capito Argentinæ, Ioannes Brentius Halæ Sueuorum, Ambrosius Moibanus & Ioannes Hessus Vratislauiæ: quorum opera Euangelij doctrina feliciter disseminata est.

Bellum Sacramentarium.

Erupit potissimum hoc anno Sacramentariorum contentio, ducibus Carolostadio, Zuinglio, Oecolampadio, quorum quisq; peculiarem fermè verborum cœnæ Domini interpretationem contra Lutherum proferebat. Carolostadius quidem sic interpretabatur verba Christi, Hoc est corpus meum, id est, hîc sedet corpus meum. Pactusq; erat

cum

cum Luthero Ienæ in Thuringia, à quo etiam aureum numum acceperat, vt editis scriptis sententiam suam tueretur. Zuinglius verò, verbum Est per tropum, hoc est, per significat interpretabatur, iuxta dictum Exod. 12. Est phase Domini. Oecolampadius deniq; Basiliensis Ecclesiæ Pastor, hoc modo interpretabatur: Hoc est corporis mei signum siue figura. Hos secutus Caluinus Ecclesiæ Genuensis Minister, metonymicam & ipse locutionem in his verbis esse dixit. Quorum omnium sententia, etsi verbis discrepat, re tamen eadem est: corpus & sanguinem Christi in sancta Cœna non ore, sed corde, non corporaliter, sed spiritualiter accipi.

Oecolampadium refutarunt Sueuici doctores edito Syngrammate, Zuinglio verò respondit Pomeranus. Aduersus omnes autem copiosè scripsit Lutherus anno 27. in libro περὶ ῥητοῦ cœnæ Dominicæ, cui titulus est: quod verba Christi, Hoc est corpus meum, firma, rata, & fixa sint. Summa autem sententia

Refutatio Sacramentariorum.

Lutheri sententia de cœna Domini.

Lutheri est: verba cœnæ, Hoc est corpus meum, item, Hic est sanguis meus, simpliciter intelligenda esse: & sumto pane & vino, simul sumi corpus & sanguinem Christi: siue probabile id sensui & rationi, siue secus videatur: propter eum qui dixit, & fallere credentes sibi non potest. Non igitur corde tantùm & spiritualiter, sed ore etiam docuit percipi cum pane & vino verum corpus & verum sanguinem Christi in sancta Cœna. Neq; tamen modum aliquem, quo id fiat, definiuit, sed veritatem rerum, seu præsentiam veram carnis & sanguinis Christi in sacra Cœna κατὰ τὸ ῥητὸν, secundum expressum autoris verbum asseruit. Quod ipsum etiam Melanchthon in συλλογῇ testimoniorum ecclesiæ veteris de S. Cœna, & in quadam ad Oecolampadium epistola comprobauit, nullam satis firmã sese inuenire rationẽ, inquiens, quæ conscientiæ discedenti à proprietate verborũ Cœnæ satisfaciat. In epistola verò ad Myconium ecclesiæ Gotanæ pastorem, anno supra millesimũ quingente-

gente-

gentesimum 44. Octob. X. scribit: Ego Luthero dixi, me semper defendisse synecdochen, cum panis & vinum sumuntur, adesse Christum verè, & nos sibi mēbra facere. Mansit autem in sua quæq; pars sententia, nec disputatione, colloquio, aut scriptis aduersis ab ea deflecti potuit. Quod satis demonstrat confessio Lutheri anno 44. paulò ante obitum eius scripta: in qua disertè ait, se malle centies discerpi, aut comburi, quàm cum Zuinglio, Carolostadio, Oecolampadio, & id genus alijs, vel mente consentire, vel doctrinam ipsorum approbare. Inde ergo certamen exarsit horrendum & luctuosum, quod plagam magnam inflixit reformatæ Ecclesiæ, pontificijs verò materiam & segetem conuiciorum & insectationum præbuit.

Præter intestinos aduersarios extiterunt multi externi, qui Catholici nominantur Theologi, Ioannes episcopus Roffensis in Anglia, Ioannes episcopus Viennensis in Germania, Clichtoueus in Gallia, Quintana in Hispania, Eccius in Externi hostes.

 Baua-

Bauaria, Mensingus in Marchia, Ditenbergius, Emserus, Cochleus, & alij qui Lutheri librum de abroganda Missa oppugnarunt, & pro ea, tanquam pro aris & focis acerrimè propugnarunt.

Catechismus. Anno 1527. visitatio prima ecclesiæ in Saxonia iussu Ioannis principis Electoris instituta est. A Luthero autē scripta complura sunt edita. Inter quæ tanquam insignis gemma eminet Catechismus paruus, qui capita Christianæ religionis admirabili solertia, breuitate, atq; perspicuitate exponit. Hanc imitati quidā Theologi boni, Philippus & alij, eadem capita vel copiosius aliquantò explicarunt, vel adijcere aliqua non sunt grauati, manente eadem sententia doctrinæ variata tantum docendi ratione.

Protestantium nomen. Anno 28. Saxonicæ vrbes abolitis ritibus pontificijs, Euangelij doctrinam amplexæ sunt. Anno 29. Protestantes dici cœperunt Euangelici propter Protestationem, quam in religionis negocio exhibuerunt Spiræ in conuentu. Habita est etiam disputatio Marpurgi

in

in Haßia, inter Lutherum, Melanchthonem, Ionam, Zuinglium, Oecolampadium, Buzerum, & alios: quos eò conuocarat Philippus Haßiæ Landgrauius, vt per placidam collocutionem controuersia tolleretur, & coiret concordia. Placuit autem principi Landgrauio, vt Lutherus cum Oecolampadio solus dissereret, Melanchton verò cum Zuinglio. Suscepta est igitur collatio de plerisq; omnibus doctrinæ Christianæ partibus, de quibus controuersiæ aliquid erat, conuenitq; tandem inter omnes de omnibus articulis, excepto vno de sacra cœna. De qua tamen ipsa vna mente senserunt omnes, verum corpus & verum sanguinem Christi esse in cœna sancta: Sed corporaliter adesse non omnes statuerunt. Discessum tamen sic est & conclusum, vt caritas Christiana ex vtraq; parte coleretur, & simul alteri pro alteris Deum precarentur, vt duce Spiritu sancto in veritatis cognitione atq; sententia proficerent & confirmarentur. Disputatio Marpurgensis.

In annum trigesimum epitasis reformatæ religionis incidit: quando in luce clarissima, frequente senatu imperij, spectantibus & audientibus cunctis penè nationibus, non quidem à Luthero & Theologis cum eo consentientibus, sed ab ipsis principibus & ciuitatibus religionis veræ confessio Latinè & germanicè, die XXV. Iulij exhibita est. Constituerat enim imperator Carolus V. in hoc Augustano conuentu religionis dissidium omne componere & vnam consentientem doctrinæ formam in Ecclesiam reportare. Itaque iussit ante omnia Protestantes, siue Euangelicos suæ fidei capita descripta edere. Quod absq; mora factum est à Ioanne Saxoniæ Electore, Georgio Marggrauio Brandeburgico, Ernesto duce Brunsuicensi, Philippo Hassiæ Landgrauio, Francisco duce Luneburgensi, VVolffgango principe Anhaldino, & legatis reipubl. Norimbergensis & Reudlingensis. Est q; hæc confessio publicè prælecta in Cæsaris palatio voce clara & plena, vt exaudiri

Confessio Augustana

diri à cunctis posset, spatioq; duarum horarum absoluta. Cæsar satis attentum sese auditorem præbuit, & mox in Italicam & Gallicam linguam vertendam curauit per Alphonsum Valdesium Hispanum, ac Alexandrum Schuueis, vt legi à pluribus nationibus posset.

Cæsar Catholicis Theologis negocium dedit confutandi protestantium confeßionem. Scripserunt igitur illi confutationem, quæ perlecta quidem est in consessu imperij, sed exemplum nullis precibus à Cæsare impetrari potuit, nisi sub conditione, quæ infra in historia conuentus Augustani recitatur. Iactatæ verò sunt paßim voces catholicorum, posse quidem refelli protestantium confeßionem, sed ex patrum scriptis, non ex Biblijs sanctis. Dixisse etiam ferebatur Augustanus Episcopus, Lutheri doctrinam non pugnare cum vllo fidei articulo. Exceperant autem quidam celeri calamo pleraq; omnia confutationis prælectæ verba, quæ etiam Melan-

lanchthoni caussam dedêre scribendi Apologiam confeßionis Augustanæ, quæ oblata quidem est Carolo Cæsari, die Septemb. XXII. sed non recepta.

Est alia præterea in hoc conuentu exhibita Cæsari confeßio à quatuor ciuitatibus, Argentorato, Constantia, Memminga, & Lindauio, quæ Lutheri sententiam de cœna Domini non omnino probabant: sed recitata publicè non est. Complexa est autem Protestantium confeßio breuē & perspicuam explicationē omnium articulorum fidei, siue partium doctrinæ Christianæ, quæ & sententiam veram in singulis capitibus tradit, & contrariam refellit: Vt qui doctrinam ecclesiæ reformatæ siue Euangelicæ cupit cognoscere, nihil poßit desiderare. Palā igitur factum est, mera esse mendacia, quæ de Euangelicis ad Cæsarem delata, & longè lateq; disseminata erant, quasi neq; ecclesia, neq; Sacramenta, neq; cultus Dei vllus, neq; magistratus, neq; coniugium apud Lutheranos esset.

Capita Augustanæ confeßionis

Zuingliani

Quod autem quatuor ciuitates peculiarem

liarem

liarem confeßionem exhibuerunt, non eam ob causam factum est, quod aliam doctrinam profiterentur, quæ neq; catholica sit, neq; Euangelica, sed quod in vna parte, vt dictum est, de cœna Domini à doctrina Lutheri dissentirent, & pauciores ceremonias ecclesiasticas probarent: Intirim nihilominus caritate & fide Iesu Christi consenserunt, nec multò post sese cum Saxonica Ecclesia coniunxerunt: quod formula concordiæ, inter Lutherũ, Bucerum, Capitonem, & alios Germaniæ superioris Theologos VViteberga anno 36. cõposita, itẽ confeßio Buceri nouißima Lipsiæ anno 62. excusa declarant. Quanquam non penitus omnis dissensio sublata est. Manserunt etiam ciuitates superioris Germaniæ, Argentina, Francofurtum, Vlma, Augusta, Elbinga, Memminga, Reudlinga, Constantia in sententia Lutheri post hanc concordiam initam.

Quanquam autem Cæsar à Protestantibus contendit, vt confutationem à Catholicis scriptam approbarent, multisq;

tisq; modis cum ijs de ineunda concordia egit: tamen re infecta discessum est, nonnullis minas & bella aduersus Lutheranos spirantibus. Anno autem 32. effecit Archiepiscopus Moguntinus & Ludouicus Palatinus, vt pax inter Cæsarem & Protestantes esset, libereq; Confeßio Augustana doceretur, vsq; ad generale, liberum, & Christianum concilium.

Pax conces-sa protestan-tibus.

Biblia ger-manica.

Anno 36. cùm præter alia multa Lutheri scripta, etiam Bibliorum interpretatio germanica exijsset, magis tum Euangelicæ veritatis lux affulsit, & longè lateq; diffusa est.

Eodē anno VVitebergam venêre Theologi superioris Germaniæ, D. Capito & Martinus Bucerus, diligenterq; cum Luthero de ineunda concordia in doctrina de cœna sancta egere. Discessum est autē ita, vt subscriptione sua Lutheri sententiā comprobarint Theologi exteri. Vtrū verò intellexerint, nec ne, affirmare non habeo. Nam satis manifestum est ex Lutheri scriptis, eum nunquam aliter sensisse,

Concordia VVitebergæ tentata.

ſiſſe, quàm in cœna S. non fide ſolum, ſed ore etiam corpus & ſanguinem Chriſti accipi: Heluetij verò à manducatione, quæ ore fit, ſemper alienos animos habuerunt. Eluxit inprimis in hac concordia conſtituenda Philippi Melanchthonis induſtria, qui vt pars altera alteram rectè intelligeret, operam præclaram nauauit. Ad eundem modum Theologi Eccleſiæ Helueticæ ad Lutherum datis literis placere ſibi indicarunt, quæ acta inter ipſum & Capitonem Bucerumq; eſſent. Quibus reſpondit Lutherus ſequente anno XXXVII. ſibi ſuſceptum concordiæ opus curæ magnæ eſſe, repetiuitq; ſuam de cœna ſancta ſententiam, qua ſimpliciter ſeſe in verbis Chriſti inhærere affirmauit, nec deſcenſum aut aſcenſum Chriſti vllum in cœna ſacra ſtatuere, ſed diuinæ omnipotentiæ committere, quomodo in cœna ſancta corpus & ſanguis eius nobis impertiatur. Heluetij viciſsim non ſe vacua, aut nuda tantum ſigna in ſancta cœna ſtatuere ſignificarunt, ſed etiam corpus & ſanguinem Do-

mini

mini accipi in ea asseuerarunt, sed ita, vt fidelium mente tantum comprehendantur. Lutherus repetita sua sententia concordiæ cupidissimum sese omni ex parte ostendit, votisq; ardentibus ad perficiendum rem tantam opus esse iudicauit. Quod verò scripto satis explicari non posset, id Martinum Bucerum, & Capitonem coràm declaraturos esse sperauit.

Articuli Smalcald.

Anno 37. Smalcaldiæ, quam Philippus Vulcaniam Chalcidem appellauit, conuenerunt Theologi confessionis Augustanæ, Lutherus, Melanchthon, Bucerus, Osiander, & alij: vbi articuli in concilio Mantuano exhibendi, fuerunt conscripti à Luthero, approbati verò à cunctis. Ac in primo quidem articulo de Deo & tribus personis diuinitatis, Patre, Filio, & Spiritu sancto, nullam controuersiam aut certamen esse inter pontificiam, ac reformatam Ecclesiam indicatur. In reliquis verò singulis quid reformata ecclesia sentiat, primum perspicuè explicatur; tùm errores ponti-

tifi-

tificiæ ecclesiæ apertè demonstrantur.

Anno 1538. erupit ex latebris Antinomorum secta, auctore potissimum Ioanne Islebio Agricola, qui tamen admonitus & conuictus à Luthero, ab errore ad sanitatem rediјt. Est autem Antinomia doctrina legi contraria, seu euertens siue tollens legem siue decalogum ex ecclesia; & reijciens in curiam, pœnitentiam verò non ex lege, sed ex cruce Christi prædicandam esse contendens.

Anno 1525. in Suecico regno per M. Olaum Petri, & alios, qui VViteberga religionem puriorem perceperant, semina doctrinæ Euangelij sparsa sunt. Eodem anno Ernestus dux Luneburg. primus post Saxoniæ ducem repurgatam doctrinam amplexus est. Ecclesia Suecica.

Anno 1537. ecclesia in Dania Augustanam confeßionem amplexa est. Danica.

Anno 1539. In Misnia & Marchia religio iuxta eandem confeßionem reformata est. Marchica & Misnica.

Anno 41. VVormatiæ in congressum Colloquium VVormatiense.

ſum colloquiumq́ venerunt Euangelici cum Catholicis, vtrinq́ deſignatis viginti duobus Theologis: inter quos tandem poſt longam diſceptationem conuenit, vt Eccius & Melanchthon ſoli colloquerentur. Hi igitur per triduum diſputarunt de peccato originis remanente in nobis poſt Baptiſmum. Finito autem triduo præter opinionem interruptum eſt colloquium mandato Cæſaris & Ratisbonam reiectum.

Colloquium Ratisbonenſe anno 41.

Ratisbonæ cum Euangelici ad continuandum colloquium paratos ſe eſſe omni ex parte oſtendiſſent: propoſitus eſt delectis collocutoribus liber, mandatumque Cæſaris nomine, vt de ſingulis locis ſententiæ candidè, libereq́ dicerentur. Eſt ergo ſuſcepta de locis aliquot diſputatio. Et quoniam nonnulli ex ijs apertè cum confeßione Auguſtana pugnabant: reſponſiones ſuas diſertè oppoſuerunt Proteſtantes, cauſſasq́ cur probare non poſſent adiecerunt. Ita quibuſdam articulis conciliatis, quibuſdam non conciliatis diſceſſum eſt.

Anno

Anno 43. duce Mauritio Saxone tertius ordo in ecclesia ducatus Saxonici institutus est, verusq́ excommunicationis vsus restitutus. Ordo ecclesiasticus.

Anno 46. incoatum est concilium Tridentinum, cuius historia sequente capite exponitur. Colloquium etiam Ratisbonæ institutum est de religione, cui præsides à Cæsare dati sunt, Mauritius episcopus Eistatensis, & Fridericus comes Furstenbergicus. Collocutores verò & auditores vtrinque delecti sunt octo. Ac inter Catholicos quidem primas tenebat Petrus Maluenda Hispanus, inter Protestantes verò Martinus Bucerus. Factum est initium ab articulo de Iustificatione, in quo cum Bucerus cuperet ab aduersarijs obijci, si quid contra Augustanæ confeßionis sententiam haberent: Maluenda copiosè disseruit, tandemq́ declamationem suam conclusit, non fide tantum, sed etiam spe & caritate iustificari hominem coram Deo. Colloquium Ratisbonense.

Quod cum aduersa fronte repugnaret scripturæ sanctæ, Bucerus contra, fide, absque operibus legis recipi nos in gratiam à Deo, & iustos reputari cum Paulo Apostolo confirmauit. Varias hic conditiones Catholici proposuerunt Protestantibus, quæ cum Saxoniæ duci minus placerent, suos ex colloquio domum reuocauit. Ita re infecta iterum discessum est.

Bellum Germanicum anno 46.

Hoc anno Lutherus ad exitum vitæ vocatus est, moxque bellum in Germania exarsit. Ita enim conuenerat inter Cæsarem & Pontificem, vt, quoniam Protestantes neque excommunicationis fulmine, neque edictis imperialibus deterreri ab Euangelij professione, nec, vt ad concilium Tridentinum venirent, cogi possent, vi & bello aperto ad Romanæ sedis obedientiam reducerentur. Et quidem, sublato iam è viuis Luthero, facilius sibi esse opinabantur Catholici Lutheranos euertere, & Euangelium penitus delere. At suscepto bello, gesto etiam & confecto, re & facto cognouerunt,

id

id quod ex Deo est, nulla sapientia aut violentia impediri posse. Nam & post bellum, & quidem inter ipsas persecutiones non solum mansit Euangelium in Germania, sed latius etiam identidem propagatum est.

Anno 48. Augustæ in Comitijs armatis postulauit Carolus V. vt cuncti principes & ordines sese Tridentino concilio subijcerent.

Fuerunt etiam Augustæ & alijs locis pulsi concionatores Augustanæ confessionis, & catholici ijs substituti. Tum formula religionis composita est à Iulio Pflugio, Michaele Sidonio, & Ioanne Agricola Islebiensi, quæ à protestantibus vsq; ad concilij finem seruaretur. Hæc à tempore medio inter promulgationem eius, & concilij finem, Interim appellabatur. Sed refutata est à Melanchthone & alijs doctoribus Augustanæ confeßionis. Cum autem quædam eiusmodi essent in illa, vt inuiolata religione recipi, quædam verò non recipi posse viderentur: deliberationes Interim.

 multæ

multæ, mandato magistratus, ab Augustanæ confessionis Theologis habitæ sunt. Et cum Melanchthon aliiq; cum eo sentientes existimarent, de Adiaphoris, hoc est, ceremonijs ac ritibus externis, quos formula præscripserat, non acriter esse dimicandum, saluo & integro fundamento, hoc est, doctrina de fidei nostræ articulis: certamina suscitata sunt: Matthia Flacio Illyrico præsertim authore & duce, qui bellum quasi Melanchthoni indixit, & eius coniunctorumq; consilia ad pacem tranquillitatemq; ecclesiæ directa, vituperauit, ac sectam nouam à suo nomine appellatam induxit. Quanquam interim nonnulli doctores Euangelici propter improbatam hanc ipsam religionis formulam loco moti sunt, in ijs præsertim vrbibus, quibus vicina Cæsaris potentia pertimescenda magis fuit.

Certamen adiaphoristicum.

Flaciani.

Anno 51. Concilium Tridentinum anno 46. incoatum, propter bellum verò Parmense interruptum, continuari cœpit: primum quidem propter præscriptam

Continuatio concilij Tridentini.

scriptam *Augustæ religionis formulam*, quæ ad finem concilij seruari debebat. Deinde, vt, quoniam bello deleri Euangelium non potuerat, per concilij decreta damnaretur, & extirparetur. Venerunt igitur Tridentum magno numero archiepiscopi & episcopi ex Germania, Italia, & Hispania. Pontifex, vt antiquum obtineret, Cardinalem Crescentium suo loco præsidere iussit. Cæsar quoq; Franciscum Toletanum & alios misit, Ferdinandus similiter. Quin Cæsar ipse, vt in loco concilij vicino esset, Oenipontem concessit. Instructi erant etiam Protestantium Theologi, Saxonicæq; ecclesiæ confessionem pararant, conscriptam à Melanchthone, quam offerre concilio volebant. Huic multorum principum & vrbium Theologi subscripserant. Peculiarem verò confessionem dux VVirtebergicus adornarat; quam per Brentium concilio exhibuit. Præmiserant autem Protestantes legatos suos, qui indicarent appropinquare Protestantium

Theologorum aduentum, si modo satis caueatur illis, nec Papa tanquam iudex præsideat, sed omnia de integro tractentur.

Quæ cum impetrari non possent, reuocauit suos Theologos Mauritius Saxoniæ Elector, nec multo post dilapsum est concilium. Postea tamen ad exitum adductum est anno 63. vt infra commemoratur.

Anglia recipit Euangelium.

Anno 48. etiam Angliæ regnum abiectis Romanæ ecclesiæ idolis Euangelium amplexum est, sub Eduardo VI. Quod tamen mortuo Eduardo, anno 53. per reginam Mariam iterum abrogatum est, vetusq́; religio restituta, profuso ingenti Euangelicorum sanguine. Anno autem 59. quo Elisabetha regni fasces accepit, Euangelij doctrina denuò introducta est. Sic igitur foris reformata ecclesia accessione aucta est, domi verò intestinis dissidijs miserè quassata. Nam & Osiander in Borussia articulum de iustificatione corrupit, & Franciscus Stancarus Man-

Intestina dissidia.

tuanus

tianus de Christo mediatore certamen perniciosum suscitauit. Tum de necessitate etiam bonorum operum ad salutem contentio acris oborta est.

Anno 55. in conuentu Augustano, postulantibus, instantibus, vrgentibus Augustanæ confessionis principibus, pax tandem religioni data est, decretumque factum, vt ne deinceps vlli principi, Comiti, aut ciuitati Imperiali, religionis caussa, bellum inferatur. Pax religioni data.

Anno 57. VVormatiæ colloquium de religione inter Catholicos & Euangelicos institutum est. In quo præses fuit Iulius Pflugius episcopus Numburgensis, assessores verò partim Pontificij, partim Euangelici. Venit eò de Protestantibus Philippus Melanchthon probè instructus & munitus contra omnia aduersariorum tela, cum alacritate animi magna, & spe dirimendi diuturnas controuersias, vel certè diluendi pontificiorum Sophismata. A parte Catholicorum erant Michael Sidonius, episcopus Merseburgensis, Canisius, Sta- Colloquium VVormatiense.

phylus. Disputatum est ante omnia de norma iudicij in Ecclesia, vtrum scilicet ex verbo Dei, an vero ex consensu ecclesiæ iudicanda sint dogmata? Ac Pontificijs quidem visum fuit, non aliunde, quàm ex perpetuo ecclesiæ consensu iudicium de dogmatibus esse faciendum. Contra verò Euangelicis placuit ex scriptis Propheticis & Apostolicis sumendum esse iudicium omne de controuersijs Ecclesiæ: nec interim tamen aspernanda esse ecclesiæ testimonia, quæ cum verbo Dei consentiant.

Etsi autem quibusdam bonis viris ex vtraq; parte nihil prius fuit & antiquius, quàm vt ordine bono in colloquendo de controuersis articulis procederetur: tamen astutè à nonnullis obiecta est Protestantibus Theologis materia, velut pomum contentionis, de Augustana confeßione, vtrum omnes vno eodemq; sensu eam tueri vellent, cum discrepantes de ea inter ipsos opiniones multæ essent natæ? Hic cum inter se ipsi dißiderent Euangelici, & Ienenses

Theo-

Theologi reliquos arguerent, reuocationem ab errore vrgentes: factum est, vt neq; respondere ad quæstionem pontificiorum possent, neq; cum illis congredi. Separatione igitur facta, nauari & effici nihil potuit. In quo vulnere sanando satis negocij adhuc habet Ecclesia Euangelica. Venerunt ad hoc colloquium ex Gallia legati Farellus, Beza, & alij Theologi, qui à principibus Augustanæ confeßionis petebant, vt interceßione sua lenire vincula & miserias Euangelicorum in Gallia studerent. Cumq; confeßionem religionis & fidei postularent ab illis Theologi Euangelici, formulam illi non grauatè exhibuerunt.

Anno 61. cum in Gallia multi reformatam doctrinam profiterentur, magniq; motus inde existerent, factum est tandem decretum, vt ne cui religionis caussa negocium aut molestia vlla exhiberetur, sed liberum esset Euangelicis, peculiaribus locis conuenire, conciones audire, & Psal- Euangelium peruasit in Galliam.

mos

mos canere tantisper, donec aliud statueretur. Hoc edicto compressa est sæuitia, quæ in innocentes plurimo ob religionem exercebatur, quorum alij exurebantur, alij dignitate fortunisq́ spoliati eijciebantur. At sequente anno iterum nulla habita ratione decreti, sæuitum est in Euangelicos, indeq́ bellum conflatum, quod ad hoc vsq́ tempus durat. In hoc regno qui reformatam religionem profitebantur, Hugnosij, vel Hugonotæ appellabantur, vt infra in rebus Gallicis dicetur.

Conuentus Numpurgi.

In Germania eodem anno duces Augustanæ confeßionis Numpurgi in Turingia conuenêre, Saxoniæ Septemuir, Brandeburgicus, Palatinus, VVirtenbergicus, Badensis, Hessorum princeps, Megalburgicus, ac regum duorum Daniæ & Galliæ legati, vt de tuenda confeßione Augustana, quam inuidiosè multi apud Cæsarem criminati erant, & de concilio Tridentino, quod Pontifex continuaturus erat, consilium caperent. Venerunt eodem duo pontificis legati,

qui

qui cum domini ſui mandatum expoſuiſſent, & ad concilium cunctos principes atque ordines vocaſſent: id reſponſi tulerunt, vt ſatis appareret, principes atq; ordines à concilio eiuſmodi abhorrentes animos habere. Idq; hi etiam ad Cæſarem perſcripſerunt, ſe in Auguſtanæ confeßionis formula Carolo V. exhibita conſtanter perſeuerare.

Anno 66. in Belgio nobiles amplius quadringenti libertatem ſibi in religione dari à gubernatrice ſua ſimpliciter petiuerunt. Quæ libertas cum pertinacia ſumma denegaretur, bellum graue ortum eſt, & multi proceres alijq; pij propter mutatam religionem ex præſcripto inquiſitionis Hiſpanicæ trucidati ſunt. Hi ab aduerſarijs opprobrij & contemtus cauſſa dicti ſunt Geuſij, vocabulo Gallico, quo mendici ſignificantur. Quo autem ab aduerſarijs in odium, inuidiam, & contemtionem adducebantur magis, eò ipſi Euangelium amabant ardentius, & tanquam diu-

Euangelium in Belgio.

turnam

turnam sitim expleturi, confluebant frequentius: vt breui multitudo eorum ingens, primum in inferiori Flandria, deinde Antuerpiæ, tum in alijs oppidis Selandiæ, Batauiæ, Brabantiæ, Flandriæ, & Frisiæ existeret.

Anno 68. cum Melanchthonis doctrina in suspicionem Theologis, qui Flacij ductum sequebantur, venisset, quasi ab Augustana confeßione & Lutheri sententia in quibusdam articulis dißideret, & pontificiæ Ecclesiæ consentiret: institutum est colloquium Altenburgi, inter Theologos Mysnicos & Turingicos: in quo tamen nihil nisi de iustificatione disputatum est.

Colloquiũ Altenburgense.

Anno 80. cum iterum dissensio de quibusdam articulis Christianæ doctrinæ, qui in Augustana confeßione comprehensi sunt, incidisset; de libero arbitrio, de iustificatione, de Euangelij definitione, de præsentia Christi in sacra Cœna, putarentq́ nonnulli Theologi ab Augustana confeßione in hisce capitibus nonnihil recessum esse; bono consilio

Concordia in religione

lio

lio Augusti Electoris Saxoniæ conciliatio susceptа est, & in pristinam concordiam tentata reductio, quæ ab alijs etiam principibus ac ciuitatibus multis approbata est.

Inprimis verò dogmatis de communicatione idiomatum explicatio quæsita est, quam alij realem, alij verbalem appellarant: suntq́ inculcata communicationis genera siue gradus tres, qui quæstionem totam complecterentur. Sed ne hæc quidem formula ab omnibus recepta est. Nondum itaq tolli concertationum disputationes potuere.

De communicatione idiomatum.

Vt autem omnibus ætatibus in Ecclesia hæreses fuerunt, & ad finem vsq esse necesse est: ita reformatæ etiam Ecclesiæ certamina non defuerunt: vt qui probati sunt, manifesti fierent, & vt fides habendo tentationem, haberet etiam probationem, quemadmodum Tertullianus ait de præscriptione aduersus hæreticos.

Hæc ferè primordia atq incrementa sunt reformatæ religionis in bona parte

Chri-

Christiani orbis. Et quanquam sub iugo pontificio multi Euangelium profiteri pœnæ metu non audent: tamen innumerabiles sunt in omnibus nationibus regnis, & regionibus, qui percepta & cognita doctrinæ veritate, Euangelium amant, & votis summis liberam professionem eius optant: vt non sit ferè locus vllus, quo non penetrarit doctrinæ reformatæ lux, & aliquos ad verum Dei cultum, salutisq; æternæ cognitionem conuerterit.



CAPVT II.

DE PONTIFICIBVS, ET DOCTORIBVS Ecclesiæ.

PONTIFICES ROMAni in millenario sexto.

POntifices in politia Mosaica rerum sacrarum procurationem gesserunt vsq; ad commigrationem in exilium Babylonicum. Post reditum autem in patriam pontificibus cura sacrorum & reipubl. commissa est, vt Iosephus scribit. Itaq; factum est, vt Asmoneorum familia è tribu Leuitica pontificatum simul & principatum asciuerit, & ijdem pontifices & reges fuerint. Non multò post principatus etiam in regnum est conuersus. Eadem penè ratio pontificum in republica Romana fuit: vbi ijdem pontifices, quemadmodum ait Cicero in oratione pro domo sua ad pontifices, & deorum immortalium religionibus, & summæ reipub. præfuerunt. Visum enim fuit Romanis æquum esse,

Pontificum officium in politia Mosaica.

Pontifices in republ. Romana.

vt qui imperium politicum tenerent, ijdem etiam authoritatem diuinarum rerum supremam vsurparent. Hinc mansit in imperatoribus Romanis pontificum maximorum nomen ab Augusto vsq; ad Gratianum, qui edicto proposito pontificem sese appellari maximum vetuit. Etsi enim ex his Imperatoribus nonnulli Christianam religionem professi sunt, vt Constantinus, Constantius, Valentinianus, Valens: asscribi tamen hoc munus siue titulum suis elogijs passi sunt.

Imperator. Roman. pontifices.

Hodie imperatoria maiestas à pontificia authoritate seiuncta quidem est, vt alius sit pontifex Romanus, alius Imperator: & tamen, vt subiectum sibi habeat pontifex Imperatorem, diaconi habitu ornatum illum in collegium sacerdotum, cum coronatur, allicit.

Imperatores Romani pontificis diaconi.

Lutherus confirmat pontificatum qui nunc est Romæ, neq; diuino, neq; humano iure fundatum esse, aut niti posse, idq; per sufficientem diuisionem.

Lutherus de pontificatu Romano.

Pote-

Poteſtas enim omnis vel ab Eccleſia proficiſcitur, vel à politia. Sed pontificatus neq; à politia, neq; ab eccleſia conſtitutus eſt. A Cæſare enim non eſſe eum inde patet, quod is à pontifice diadema accipit. Ac ſi maximè velit Cæſar pontificatum fundare non poteſt tamen, neq; patitur Romanus pontifex. Ab eccleſiaſtica verò poteſtate non eſſe pontificatum liquet, quod nullo tempore ab epiſcopis probatus ſit, nedum introductus. Phocas quidem Cæſar Romanus bonam magnamq; partem ad pontificatum attulit: ſed nec is alium eſſe voluit pontificem, quàm Epiſcopum ſiue inſpectorem, qui doctrinam & vitam eccleſiæ ex præſcripto Apoſtolico curaret.

Phocas pontificatum Romanum auxit.

SERIES PONtificum.

Ioannes XVII. Papa 156. anno Chriſti 1003. ſecundum Onuphrium, quem in numerandis pontificibus deinceps, in tanta præſertim varietate & diſcrepantia potiſſimum ſequar, Roma-

nus fuit, & intra annum dimidium vita excessit: iccirco memorabile nihil egit.

Ioannes XVIII. Papa 157. anno Christi 1003. patria Romanus, annos quinq; menses septem ociosam quietamq; vitam sine vllo labore contentioneq; traduxit.

Sergius IV. Papa 158. anno Christi 1009. per annos duos, menses nouem, pontificatum gessit.

Benedictus VIII. Papa 159. anno Christi 1012. Tusculanus, annos non totos duodecim præfuit pontificatui. Hic, vt scribit Petrus Damianus Cardinalis Hostiensis, post mortem equo nigro insidens apparuit in solitudine cuidam episcopo: à quo interrogatus, quid esset, quod mortuus equo tali veheretur? respondit: pecunias post me reliqui abscondito in loco, quas vt meo nomine pauperibus eroges, rogo. Quas enim ego viuus dedi eleemosynas, hæ nihil mihi nunc prosunt, quod ex rapinis collectæ sint.

Ioan-

Ioannes XIX. Papa 160. anno 1024. per annos octo, menses septem, sedit.

Benedictus IX. Papa 161. anno Christi 1032. homo ignauus & nullius pretij, cum ambitione & largitione pontificatum consecutus esset, ad annos duodecim, menses quatuor, Romanos vexauit. Tandem per conspirationem pulsus quidem est, sed non multò post Syluestro III. qui in sede pontificia collocatus erat, eiecto, vi pontificatum recuperauit. Is, cum humana vindicta deficeret, diuinitus sic punitus est atq; notatus, vt simulacrum eius monstrosissimum oberraret, & cum à quodam interrogaretur, quidnam sibi imago tam horrida, minimeq; pontifici conueniens vellet? respondit, in vita sine lege & ratione vixi: iccirco pœnam hanc reporto, vt cum sedem Petri tot probris contaminauerim, simulacrum meum adeo ferum & inhumanum conspiciatur. Onuphrius & alij. Largitio.

Syluester III. Papa 162. anno Christi

sti 1045. Romanus in schismate electus, dies quadraginta nouem sedit.

Gregorius VI. Papa 163. anno Christi 1045. Romanus natione, annum vnum, menses 7. pontificatum obtinuit. Erat autem eò iam adducta res sensim, vt pontificiam sedem, non quidem honestis consilijs iustisq; factis, sed fraude & malitia seditiosus & potens quisq; consequi studeret. Ad eum igitur furorem coercendum atq; compescendum in Italiam profectus Heinricus III. Augustus in synodo Gregorium VI. munere orbauit, adductumq; ex Germania Episcopum Bambergensem Suidegerum in sede papali collocauit: tum clerum & Romanos omnes iusiurandum sibi dare coegit, nullum se in posterum pontificem, nisi quem ipse dedisset, facturos esse.

Fraus & malitia pont. Roman.

Clemens II. Papa 164. anno Christi 1046. Germanus Saxo ex Bambergensi episcopo & Heinrici III. Augusti Cancellario pontifex factus, cum tenuisset sedem menses 9. veneno interijt, & Bambergæ sepultus est. Mortuo illo mox

lega-

legati ad Imperatorem Heinricum missi, alium pontificem eligi ab ipso petiuerunt.

Damasus II. Papa 165. anno Christi 1048. ab Imperatore Heinrico electus, à Cardinalibus verò, clero, & populo Romano acceptus, Germanus Bauarus, ignobilis quidem sed versutus, sede mouit Benedictum IX. qui pontificatum inuaserat, & post dies viginti tres veneno extinctus est.

Benedictus IX. Papa 166. pulsus à Damaso.

Leo IX. Papa 167. anno Christi 1049. Germanus Francus, ab Heinrico III. designatus, à Cardinalibus vero, clero, & populo Romano receptus sedit annos 5. menses 2. Hic bellum intulit Gisulpho Nortmannorum Comiti, ob ereptam sibi ab eo vrbem Beneuentum. Sed re male gesta victus est & captus, non multo post tamen dimissus.

Victor II. Papa 168. anno Christ 1055. Germanus, ab Heinrico III electus sedit annos 2. menses tres & dimidium.

Stephanus IX. Papa 169. anno

Christi 1058. Lotharingus, Cardinalium, cleri, & populi Romani suffragijs electus, menses octo sedit.

Benedictus X. Papa 170. anno Christi 1058. sedit menses nouem, dies viginti.

Nicolaus II. Pontifex 171. anno Christi 1059. Allobrox, à Cardinalibus, vt Onuphrius, à Cæsare, vt Schaffnaburgensis & alij Germani scribunt, designatus, Benedictum X. à Laicis intrusum, abdicare se coegit munere, seditq́; annos duos, menses sex. Hic Berengarium in concilio Lateranensi ab errore reuocauit.

Alexander II. Papa 172. anno Christi 1061. Insuber fraude & astutia Hildebrandi archidiaconi electus est, dum missi legati ad Imperatorem Heinricum IV. Pontificem petiuerunt. Imperator verò misit Cadolum, episcopum Parmensem, qui cum Alexandro de rei summa dimicauit. Sed accepta à parte vtraq; clade, Otho Coloniensis archiepiscopus pontificiam sedem Ale-

xandro II. tribuit, cui annos vndecim, menses fermè septem, præfuit. De pugna & schismate Alexandri & Cadoli versus superest in Camera patriarchi Lateranensis.

Regnat Alexander, Cadolus cadit & superatur.

Cadolus Papa 173. sede deiectus ab Alexandro.

Gregorius VII. Papa 174. anno Christi 1073. Hildebrandus dictus, natione Tuscus, ex archidiacono Cardinalium, Cleri, populiq; Romani consentientibus suffragijs, nulla authoritate Imperatoris Romani interposita, Pontifex est factus. Qua re offensus Imperator Heinricus IV. Imperij ius tueri omni cura & contentione conatus est. Iccirco Romam misit comitem Eberardum, qui cum nauare & obtinere, quod æquum & iustum esset, nihil posset: coactus est ipsemet Imperator cum exercitu Romam accedere: vbi Gregorium VII. anno pontificatus eius vndecimo, assentientibus Romanis ciuibus, munere priuauit, Clementemq; III. in sede pontifi-

Hildebrandus. Tuscus.

cia collocauit, qui annos septendecim in ea sedit. Inde schisma horrendum extitit, quod imperium grauiter conuulsit & labefactauit. Hic Gregorius sub anathematis pœna edixit, ne Laicus vllus, cuiuscunque esset dignitatis, inuestituram ecclesiastici sacerdotij conferret. Tum Christianis vniuersis præcepit, ne cuiusquam Missam audirent, qui in coniugio viueret. Idem imperij principibus author fuit, vt amoto Heinrico IV. alium Imperatorem eligerent, electoque Rudolpho Sueuo coronam misit, addita inscriptione hac:

Edicta Hildebrandi.

Petra dedit Petro. Petrus diadema Rudolpho.

Mortuus est Salerni, &, vt Sigebertus scribit, ante mortem agnouit delictum suum, veniamque à Cæsare per legatos petijt, tum suos ad obediendum Cæsari hortatus est.

Clemens III. Papa 175. anno Christi 1084. sedit annos septendecim.

Victor III. Papa 176. anno Christi 1086. Beneuentanus, ea fuit modestia, vt delatum ad se munus tantum repudiaret,

diaret, nec nisi post annum, cum in sententia perseuerarent Cardinales, Clerus, & populus, susciperet. Sedit annum 1. menses 3. dies 23.

Vrbanus II. Papa 177. anno Christi 1088. Gallus, contra Clementem III. creatus, sedit annos 4. dies 18. Hic in concilio Claromontensi in Gallijs congregato, Christianis autor fuit suscipiendæ expeditionis vltramarinæ, ad recuperandam terram sanctam.

Paschalis III. Papa 178. anno Christi 1099. Italus, contra Clementem III. annos 18. menses 5. sedit. Excommunicauit Heinricum IV. Imperatorem, filiumq; eius Heinricum V. contra illum incitauit. Quin in mortuum etiam ita sæuijt, vt cadauer Leodij sepultum rursus ex sepulcro extrahi iusserit, stareq; in feretro quinquennium totum coegerit. Heinrico V. ius prodendi flamines siue conferendi episcopatus & sacerdotia per virgam & baculum de integro confirmauit. Non multo post tamen in concilio Lateranensi reuocauit,

uit, & denuò abrogauit, ipſumq́ Imperatorem anathemate notauit.

Gelaſius II. Papa 179. anno Chriſti 1118. Italus, ſedet menſes 11. & dies viginti ſex. Huic pontificatum abrogauit Heinricus V. viciſsimq́ ab eo excommunicatus eſt, ac diris deuotus.

Gregorius VIII. Papa 180. anno Chriſti 1118. Hiſpanus ab Heinrico V. Imperatore deſignatus contra Gelaſium II. in monaſterium relegatus eſt, vbi mortem cum vita commutauit.

Calliſtus II. Papa 181. anno Chriſti 1119. Burgundus pacem cum Heinrico V. fecit, ſublato ſchiſmate diuturno, & annos 5. menſes 10. ſedit.

Honorius II. Papa 182. anno Chriſti 1124. Italus, annos 5. menſes 2. pontificatui in pace & tranquillitate præfuit. Confirmauit ordinem Templariorum, ſiue fratrum militiæ templi Hieroſolymitani.

Celeſtinus II. Papa 183. anno Chriſti 1124. ante Honorium II. creatus, papatum depoſuit.

Inno-

Innocentius II. Papa 184. anno Christi 1130. in schismate electus contra Anacletum II. sedit in confusione annos 13. menses 7. & dies 8.

Anacletus II. Papa 185. anno Christi 1130. certauit cum Innocentio II. de pontificatu, eoq; superato dominatus est annos 7. menses vndecim.

Victor IV. Papa 186. anno Christi 1138. in locum Anacleti substitutus, præsidio verò omni destitutus, cessit pontificatu, & Innocentium pontificem agnouit. Ita schisma quod annos octo durarat, sublatum est.

Celestinus II. Papa 187. anno Christi 1138. sedit menses 5. & dies 13.

Lucius II. Papa 188. anno Christi 1139. sedit menses vndecim, dies quatuor.

Eugenius III. Papa 189. anno Christi 1146. discipulus S. Bernardi, sedit annos 8. menses 4. dies 10. Bellum gessit cum Romanis, & alia aggressus est parum conuenientia episcopo. Quamobrem scripsit ad eum Bernardus: Quid

alienos fines inuaditis? Tibi sarculo opus est, non sceptro, vt supra.

Anastasius IV. Papa 190. anno Christi 1153. sedit annum 1. menses 4. dies 23.

Adrianus IV. Papa 191. anno Christi 1154. sedit annos 4. menses 8. Legatos misit Vurceburgum ad Fridericum Imperatorem; qui literas pontificis ei reddiderunt; ex quibus non obscurè intelligere potuit, velle papam, vt Cæsar agnosceret, se potestatem omnem à pontifice Romano habere tanquam Feudum. Quod Cæsar, ordinesq; imperij indignè tulerunt. Itaq; mox abire cum indignatione iusserunt legatos ex Germania. Censuerunt Cæsarem, ordinesq; imperij nequaquam pontifici acceptam referre Imperatoriam maiestatem, sed à Deo, liberoq; Electorum & ordinum electione eam pendere, pontificis verò coronatione tanquam signo electionis legitimæ comprobari, vt scribit Radeuicus Frisingensis. Hinc simultas orta est inter Cæsarem & pontificem,

cem, quam auxit pontifex, cum Mediolanensibus, & alijs in Italia author deficiendi à Cæsare extitit. Cum etiam in animo haberet excommunicare Imperatorem, muscam, quæ forte in os eius inuolarat, deglutiuit, quæ cum eximi nulla arte posset, ea suffocatus est, vt Abbas Vrspergensis scribit.

Alexander III. Papa 192. & Victor IV. Papa 193. anno Christi 1159. per schisma horrendum simul electi sunt à Cardinalibus, quorum alter alterum excommunicauit. Quod malum cum sanari nulla ratione posset, requisitus est Imperator Fridericus, qui id temporis Cremam in Lombardia obsidebat. Is ergo authoritatem suam interposuit, & concilio episcoporum totius Christiani orbis indicto, rem æquis conditionibus componendam proposuit. Citatus ad id est vterq; pontifex, & Victor quidem IV. comparuit, Alexander verò venire recusauit. Itaque pro contumace damnatus, concilij iudicio pontificia sede deiectus est, Victor verò IV. in ea confir-

confirmatus. Hinc Alexander in Galliam fugiens in concilio Claremontano Cæsarem & Victorem excommunicauit. Cæsar verò diu multumq; ab eo vexatus pacem tandem fecit hoc modo. Venetijs in vestibulo S. Marci supplex sese ad pedes Pontificis abiecit. Pontifex verò pedibus eum calcauit, & versum ex Psalmo acclamari iussit: Super aspidem & Basiliscum ambulabis. Quanquam autem Imperator dixit, non tibi, sed Petro potestas hæc data est, tamen respondit Pontifex, & mihi & Petro. Postea ad altare maius ambo accesserunt, & accepta dataq; salute fœdus fecerunt. Sedit Alexander annos 21. menses vndecim, dies 23. Victor verò annos 4. menses 7. Lata est sub Alexandro lex, in Lateranensi concilio; vt deinceps nemo præter Cardinales Pontificis eligendi potestatem haberet: quò vitari schismata possent.

Callistus III. Papa 194. anno Christi 1164. sedit annos 7. menses 5. Pontificatu se ipse abdicauit, & absolutionem

nem ab Alexandro III. impetrauit.

Paschalis III. Papa 195. anno 1161. in locum Victoris surrogatus sedit annos quinque.

Lucius III. Papa 196. anno Christi 1181. in locum Alexandri electus sedit annos 4. menses duos, dies 28.

Vrbanus III. Papa 197. anno Christi 1185. sedit annum vnum, menses decem, dies quindecim.

Georgius VIII. Papa 198. anno 1188. sedit mensem vnum, dies 27.

Clemens III. Papa 199. anno 1188. sedit annos tres, dies sedecim.

Celestinus III. Papa 200. anno Christi 1191. sedit annos 6. menses 9. dies vndecim. Legatum misit Cardinalem in Poloniam & Boemiam, vt sacerdotes ab vxoribus legitimis separaret. Sed is à Boemis malè acceptus est, ac vix vitæ periculum euitauit, vt scribit Mechouius.

Innocentius III. Papa 201. anno 1198. sedit annos 18. menses 6. dies 10. Condidit capitulum, venerabilem, in

lib. 1. Decretal. tit. 6. In quo ius sibi vendicat electum Cæsarem examinandi, approbandiq́; si sit idoneus, reijciendi verò, si sit indignus: tum eligendi etiam, si eligere nolint Electores: ac si suffragia Electorum paria sint, gratificandi vtri parti velit. Excommunicauit etiam Philippum Imperatorem, & eius loco Othonem Saxoniæ ducem designauit, eiq́; obedire omnes imperij ordines voluit. Ex quo schisma horrendum ac bellum graue inter Philippum & Othonem natum est. Nihilominus verò Philippus Aquisgrani tandem coronatus est ab Adolpho Coloniensi archiepiscopo, quem propterea pontifex excommunicatum episcopatu priuauit, anno 1203. Non multo post etiam Othonem IV. prius à se coronatum excommunicauit & imperio deijcere conatus est. Tum principes Christianos ad recuperandum terram sanctam incitauit, emißis per omnes Christiani orbis partes doctoribus, qui signo crucis, quotquot militiæ sacræ nomen dedissent notarent.

Hono-

Honorius III. Papa 202. anno 1216. sedit annos 10. menses 8. recepit & fouit contra Cæsarem ob contumaciam ex Lombardia & Tuscia eiectos. Vnde simultas inter Cæsarem & pontificem orta est: quæ tamen interueniente matrimonio inter Imperatoris filium, & regis Hierosolymitani filiam, sublata est.

Gregorius IX. Papa 203. anno 1227. sedit annos 14. menses 4. Excommunicauit Fridericum Imperatorem ob caussas friuolas & falsas, sineq; ordinario processu, neq; præmonitum neq; auditum. De qua iniuria questus est Imperator grauiter in epistola ad principes Germaniæ, quæ in Chronico Abbatis Vrspergensis extat. Neq; id solum, sed misit etiam pontifex prædicatores in Germaniam, qui contumeliosè Imperatorem proclamarent. Ipse verò absenti Friderico & sacrum bellum gerenti Apuliam ademit, & milites, qui secuturi illum erant in terram

ſanctam retraxit. Imperator verò hæc terrena fulmina contemſit, & nihilominus rem in Palæſtina feliciter geſsit. Hoc odium pontificis acerbiſsimum in Imperatorem durauit vſq; ad annum Chriſti 1230. quo Cæſar centies vicies mille vncias auri in ærarium eccleſiæ retulit, & pontifici reconciliatus eſt. Sed mala fuit gratia, quæ non multo poſt reſciſſa eſt. Cum enim Cæſar rebelles in Italia compreſsiſſet, pontifex ſeditioſos ad ſe confugientes recepit, Cæſaremq; in die Cœnæ ſanctæ ante Paſcha iterum excommunicauit. Inde factiones Guelphorum & Gibellinorum diuturnæ & deteſtabiles ortæ ſunt. Coniunxit ſe quoq; Papa cum Venetis, contra Cæſarem facto fœdere. Iccirco in Italiam duxit exercitum Fridericus & Romam obſedit. Papa verò crucem contra eum prædicauit tanquam aduerſus infidelem, vitamq; æternam omnibus contra illum pugnantibus promiſit. Hic pontifex etiam antiphonam, Salue regina miſericordiæ, quæ ad au-

Blondus & Platina.

thorem Henricum contractum histori-cum refertur, instituit.

Cœlestinus IV. Papa 204. anno 1241 sedit dies 17.

Innocentius IV. Papa 205. anno 1241. sedit annos 11. menses 5. dies 20. Sedem pontificiam Lugdunum in Galliam, postea Genuam, tum Mediolanum transtulit, Cardinalibus pileum rubrum dedit, quo significari voluit, eos pro ecclesiastica libertate vitam profundere, si necesse sit, paratos esse debere. Concilium Lugduni habuit, in quo Imperatorem Fridericum II. excommunicauit, & imperio priuauit. Tum contra filium eius Conradum designari iussit Guilelmum Holandiæ comitem. Quæ res adeo offendit politicos & ecclesiasticos multos, vt inuenti sint in Sueuia concionatores, qui nihil veriti sint palam Indulgentias prædicare, non quidem à pontifice, sed à Deo ipso mandatas, vt scribit Albertus Crantius.

Pileus ruber Cardinal.

Alexander. IV. Papa 206. anno

Christi 1255. sedit annos 6. menses 5. Hic more maiorum suorum prædicata Christi cruce, Ecelinum tyrannum profligare conatus est. Tum missis etiam in Silesiam literis eandem prædicare iussit contra Boleslaum Lignicij ducem, anno Christi 1257.

Vrbanus IV. Papa 207. anno 1261. sedit annos 3. mensem vnum, dies 2. Author est festi corporis Christi, hoc est, circumgestationis consecrati panis in hierotheca cum pompa Persica. Nauclerus scribit hoc pontifice Romanam rempublicam adhuc à Senatoribus gubernatam esse, non à pontifice. Nam, vt habet appendix Martini Poloni, sub Nicolao III. demum ea in ditionem potestatemq; pontificis Romani deuenit.

Festum corporis Christi.

Respub. Romana quando pontifici parere cepérit.

Clemens IV. Papa 208. anno Christi 1265. sedit annos 3. menses 9. dies 25. Hic est, qui ad Carolum Siciliæ regem, cum in prælio Cunradinum Sueuiæ, & Fridericum Austriæ ducem cepisset, scripsit: Cunradini vita est Caroli mors, Cunradini mors est Caroli vita. Quo

rescri-

rescripto permotus Carolus vtrumq; occidit.

Gregorius X. Papa 209. anno Christi 1271. sedit annos 4. menses 4. dies 10. deliberationem suscepit in concilio Lugdunensi de recuperanda terra sancta. Tum hortatus est Germaniæ principes, vt Imperatorem eligerent. Quod nisi facerent, se caput idoneum esse procuraturum, minatus est, vt Auentinus & Nauclerus scribunt.

Innocentius V. Papa 210. anno 1276. sedit menses 5. dies 2.

Adrianus V. Papa 211. anno 1276. sedit mensem vnum, dies 9.

Ioannes XXI. Papa 212. anno 1277. sedit menses 8. dies 5.

Nicolaus III. Papa 213. anno 1277. sedit annos 2. menses 8. dies 22. Romandiolam, Rauennam & Exarchatum ab Imperatore traditum accepit ea conditione, vt sumtus ad bellum sacrum contra Saracenos præberet. Tum Romam ipsam in suam potestatem redegit.

Martinus IV. Papa 214. anno 1281. sedit annos 4. mensem vnũ, dies 7. excommunicauit Petrum Arragoniæ & Siciliæ regem, regnumq́ eius Valesio regis Galliæ & sororis Petri filio tradidit, vt scribit Palmerius.

Honorius IV. Papa 215. anno 1285. sedit annos 2. menses 2. Legatum misit in Germaniam ad conuentum imperij VVurceburgensem, per eumq́ neruos belli sacri contra infideles flagitauit, videlicet quartam partem omnium redituum in Germania, ad annos quatuor, sed nihil impetrauit, vt scribit Auentinus.

Nicolaus IV. Papa 216. anno 1288. sedit annos 4. mensem vnum, dies 14.

Cœlestinus V. Papa 217. anno Christi 1294. monachus siue anachoreta simplex & religiosus, post menses 5. dies 7. pontificatu abijt.

Bonifacius VIII. Papa 218. anno 1288. caput, lumen, & ornamentum omnium pontificum, qui vt pontificatum consequeretur, quendam subornauit,

nauit, qui noctu ad Cœlestini cubiculum accederet, & per foramen parietis inserta arundine aliquoties dormienti hæc verba insusurraret: Cœlestine, pontificatum depone, quia gerere non potes, alioquin de salute tua actum erit. Quæ vox religionem tantam Cœlestino iniecit, vt pontificatu sese abdicarit. Adeptus iam pontificatum Bonifacius VI. Decretalium publicauit, & primus anni Iubilei celebrationem instituit, in eaq; Iubileus. *plenam omnium delictorum indulgentiam & remißionem peccatorum omnibus sanctorum Petri & Pauli limina Romæ visitantibus tribuit. Ad eam igitur ab omnibus partibus Christiani orbis concursus ingens factus est.*

Ac primo quidem die huius festi solennis Papa benedictionem consuetudine papali cum pontificio habitu populo impertiuit, in templo, præsentibus etiam Cæsaris Alberti legatis: Secundo autem die habitu Cæsareo, præferente quodam aulico gladium nudum, templum ingressus est. Vbi postquam consedit, alta

voce exclamauit: Ecce duo gladij hic. Qua voce significauit se dominum esse in corporalibus & spiritualibus in vniuerso mundo, vel, vt Cuspinianus ait, ense accinctus, & coronatus publicè professus est se Cæsarem esse & pontificem, veterum Augustorum Rom. imitatione, qui Imperatores simul & summi pontifices erant. De quo facto sic scribit Crantius: Vide ô Petre successorem tuum, & tu salutifer Christe tuum cerne vicarium: Vide quò ascendit superbia serui seruorum tuorum; lib. VIII. Saxo. capite 36. Alberto Imperatori designato coronationem primum superbè denegauit. Philippum Galliæ regem excommunicauit, quod Papæ Vasallus esse nollet. Philippus verò contemsit eius fulmen, & omnes reditus intercepit, ne Romam ex Gallia perferrentur. Pontifex contra regnum ei in concilio ademit, idq́ Cæsari Alberto tradidit. At Philippus indicto rursum concilio hæreticum pronunciauit Papam, & vniuersale concilium

Philippus contemnit fulmen Papæ.

appel-

appellauit. Incitauit etiam Sciarram Columnensem, vt noctu nihil metuentem opprimeret. Is ergo dormientem eum Anagniæ cepit, Romamq́ adduxit, vbi paucis post diebus dolore animi confectus periit. De quo illud vulgo iactatum est: Intrauit vt vulpes, regnauit vt leo, mortuus est vt canis. Platina tanquam epiphonema historiæ Papæ Bonifacij VIII, addit dignum memoria: Hoc modo mortuus est Bonifacius ille, qui imperatoribus, regibus, principibus, nationibus, populis terrorem potius quàm religionem iniicere conabatur: quiq; dare regna & auferre, pellere homines ac reducere pro arbitrio animi conabatur, aurum vndique conquisitum plusquam dici potest, sitiens. Discant itaque huius exemplo principes omnes tam religiosi quàm seculares præesse clero & populis non superbè & contumeliosè, vt hic de quo loquimur, sed sanctè & modestè, vt Christus rex noster, eiusque discipuli ac veræ imita-

tores

tores, & malint à populis amari quàm timeri, vnde tyrannorum pernicies oriri merito solet.

Benedictus XI. Papa 219. anno 1303. sedit menses 9. dies 6.

Translatio sedis Pontificiæ.

Clemens V. Papa 220. anno 1305. sedit annos 8. menses 10. dies 16. Gallus fuit, & quia opera studioq́ Philippi Françorum regis pontificatum adeptus est, transtulit sedem pontificiam in vrbem Galliæ Auinionem, maximo incommodo vrbis & orbis Christiani, vt scribit Onuphrius. Vbi etiam mansit illa per annos continuos 70. vsque ad Gregorium vndecimum, à quo Romam reducta est. Romam verò pontifex per Cardinales tres senatoria potestate, tanquam per Consules aut senatores gubernauit.

Ioan. XXII

Ioannes XXII. Papa 221. anno 1316 sedit annos 18. menses 3. dies 28. Gallus fuit, & Clementinas, quæ sunt septima pars Iuris Canonici publicauit. Odium acerbum in Ludouicum V. Imperatorem habuit propter Gibellinos

linos, quos ille contra Guelphos in Italia corroborauerat. Idq́ continieri tacitis discordijs non potuit, sed in fortunas Cæsaris & Imperij erupit. Nam & publico scripto pontifex Cæsarem citauit, vt intra menses tres Auinione sese sisteret, factiq́ sui rationem redderet, &, vt interim imperium deponeret, præcepit. Imperator verò adhibitis in consilium omnibus Academijs, ad generale concilium prouocauit. Quod indignè ferens pontifex, Imperatorem excommunicauit. Non multò post Romani à pontifice postulant, vt Romam redeat. Quod cum facere is recusaret, Ludouicum Imperatorem accersunt. Qui etiam anno 1327. cum exercitu accessit, & ab Italis honorificè acceptus est, Medolaniq́ coronatus. Rebus passim in Italia compositis, Romam venit. Vnde missa Auinionem legatione coronationem à pontifice petijt. Quæ cum ab eo denegaretur, sequente anno nihilominus Romæ per Stephanum Columnam Cardinalem, in-

uito pontifice, in Laterano, vna cum coniuge coronatus est, & Augustus appellatus. Mox de consilio Cardinalium, Episcoporum, & Cleri, pontificem Ioannem XXII. vicißim citauit, & coram dicere sententiam iußit, non Imperatorem ab Ecclesia, sed Ecclesiam ab Imperatore pendere asserens, vt ait Onuphrius. Cum autem comparere Papa nollet, pontificatu eum priuauit, & alium Nicolaum V. in locum eius substituit: idq́ publico scripto testatum fecit, vt scribit Auentinus & Nauclerus. Moriens hic Papa in thesauris ducentas quinquaginta auri tonnas reliquit. Apertè dixit, animam cum corpore mori vsque ad tempus resurrectionis. Hunc errorem refutauit acerrimè Schola Parisiensis, impetrauitq́ à rege Galliæ, vt voce præconis interdiceret omnibus suis vsu & consuetudine huius pontificis, nisi ab errore desisteret, vt narrat Gerson in sermone Paschali.

Nicolaus V. Papa 222. anno Chri-

sti

sti 1327. ab Imperatore Ludouico Bauaro electus, ab episcopis verò consecratus, sedit Romæ annos 3. menses 3. dies 4.

Benedictus XII. Papa 223. anno Christi 1334. sedit annos septem, menses 4. dies 6. Auinione ad eum misit Ludouicus Imperator legatos comites duos ab Oetingen, Rudolphum præpositum Augustanum, & Marquartum de Randeck Canonicum Bambergensem, absolutionemq; per eos petijt. Papa benè quidem eos de tota re sperare iubet: sed à rege Gallorum Philippo ac Roberto Siciliæ & Apuliæ rege aduersus Cæsarem incitatur. Qui cum crimina multa per legatos Cæsari inferrent: interrogauit pontifex, nunquid ferre Imperatorem nolunt vestri domini? Quod cum negarent illi, iterum quæsiuit pontifex, quid ergo fecit? multa, dixerunt illi, contra Ecclesiam commisit. Immò, respondit pontifex, etiam nos contra eum multa commisimus. Ac ille quidem quod fecit, proноса-

uocatus fecit, nos verò illum laceßiuimus. Sic ergò propter ancipitem contentionem denegata fuit Cæsari absolutio. Quanquam autem Philippus Gallorum rex veniam à Cæsare impetrauit, & vna cum illo legatos ad Papam petitum absolutionem misit: tamen magis exacerbatus est pontifex Galliæ regis interceßione; prorsusq́ absolutionem denegauit. Tum Romanis etiam persuasit, vt excusso Cæsaris imperio per annuos senatores rempub. suam administrarent, qui potestati pontificis sese subijcerent. Hac iniuria incensus Imperator, in conuentu Francofurti ad Mœnum acta Ioannis XXII. contra Cæsarem, de communi Imperij consilio abrogat, apertè demonstrans, Romanum Imperatorem non à pontifice, sed à solo Deo, per legitimam ordinum imperij electionem, potestatem suam accipere, coronationem verò pontificis neq; addere, neq; adimere quicquam Imperatoriæ maiestati: neq; etiam conuenire pontifici vllam iurisdictionem, aut pote-

potestatem politicam; tum generale concilium anteferendum esse iudicio Papæ. Hoc decretum factum & publicatum est Francofurti, assentientibus episcopis & prælatis, anno Christi 1338. mortuus hic Benedictus tale meruit Epitaphium:

Hic situs est Nero, Laicis mors, vipera Clero,
Deuius à vero, cupa repleta mero.

Clemens VI. Papa 225. anno 1342. sedit annos 10. menses 7. Annum Iubileum quinquagesimo quoq; anno celebrandum curauit, anno Christi 1350. quod hominum ætas tanta non sit, vt centum annos attingat. Legatis Ludouici Imperatoris absolutionem petentibus conditiones tulit tam duras, vt eas ne in carcere quidem detentus accipere posset Imperator. Harum prima erat, vt reum sese omnium errorum & hæresium, quarum accusatus esset, fateretur. Secunda, vt imperium deponeret, nec nisi de pontificis gratia ad illud rediret. Tertia, vt se suosq; liberos, ac bona in manus Papæ traderet. Qui- Papa 224. prætermittitur hoc loco ab Onuphrio.

bus adiecta erant nonnulla ad imperij ſtatum pertinentia. Etſi autem legati acceperunt conditiones, fraude regis Francorum, vt ſcribit Nauclerus, circumuenti: tamen Imperator mox illas ad concilium Imperij, quod erat Francofurti, retulit, à quo etiam improbatæ & reiectæ ſunt. Cum hac via, quod volebat pontifex, obtinere non poſſet, alia rem aggreſſus eſt, & conſilium de exterminando Imperatore cum quibuſdam imperij proceribus inijt. Quare anno 1346. in die cœnæ Domini Cæſarem execratus eſt, hæreticumq́ ac ſchiſmaticum pronunciauit: tum Electores hortatus eſt, vt alium Imperatorem intra certum tempus crearent: alioqui ſedem Apoſtolicam prouiſuram eſſe, vt eccleſia idoneum aduocatum ſiue Imperatorem haberet. Cauſſas reiectionis complures recenſuit, hæreſin, contumaciam, & alia crimina, quæ commemorat Nauclerus. Hic mercede quidam conducti principes Germaniæ, in villa Rens diœcè-

ſis

ſis Treuirenſis conuenerunt, & Ioannis Boemiæ regis filium, Carolum IV. elegerunt. Quorum tamen electionem non omnes approbarunt, quanquam Pontifex ratam habuit. Mortuo Ludouico abſolutionem impertiuit Papa ijs, qui cum eo fecerant, ijs tamen conditionibus, vt Ludouicum pro hæretico damnato haberent, errores conſiterentur, & fidem Catholicam deinceps tenerent: tum, vt poteſtatem Imperatoris à pontifice proficiſci ſtatuerent, nullumq; Imperatorem ſe recepturos eſſe iurarent, niſi à Papa confirmatum. His quidam politici & ſtrenui viri in vrbe Baſilea ſeſe oppoſuerunt, negantes primum ſe velle pro hæretico habere Ludouicum Imperatorem. Deinde proteſtantes apertè, ſe eum ſemper agnituros & habituros eſſe Imperatorem, quem imperij principes elegerint, ſiue approbatus & conſecratus, ſiue improbatus ſit à pontifice. Tum, ſe nihil quicquam facturos eſſe, quod contra ius imperij quoquo modo ſit, oſtenderunt, vt nar-

rat Nauclerus. Ioannem etiam & maritum eius Ludouicum idem pontifex reginam regemq́; Apuliæ declarauit.

Innocentius VI. Papa 226. anno 1352. sedit annos nouem, menses octo, dies. 6.

Vrbanus V. Papa 227. anno 1362. sedit annos 8. menses 2. dies 28.

Papa Romam redit.

Gregorius XI. Papa 228. anno 1370. sedit annos 7. menses 3. Hic circumspiciens & cum animo suo considerans mala, quæ ex pontificis Romani absentia nascebantur, reducere sedem pontificiam in vrbem constituit. Itaq; Auinione relicta, Romam rediit, anno Christi 1376. curiam & dignitatem omnem quasi postliminio in eam reportans.

Clemens VII. Papa 229. anno 1378. Auinione electus, in Gallia, sedit annos 15. menses 11. dies 27.

Papa & antipapa.

Romæ vero in mortui Gregorij XI. locum designatus est Vrbanus VI. Papa 230. qui sedit annos 11. dies 6. sic Papa & antipapa simul regnarunt, alter in Gallia, alter in Italia. Ac Clemens qui-

quidem Gallorum, Hispanorum, & Scotorum, Vrbanus verò Italorum, Germanorum, Vngarorum, & Anglorum studia habuit. Durauitq; hoc schisma annos 40. vsq; ad Constantiense concilium, ac ingentium malorum semen atq; materies fuit.

Onuphrius hîc inserit Clementem VIII quem alij in annum 1424. collocant.

Bonifacius IX. Papa 232. successit Vrbano VI. Romæ, anno Christi 1381. sedit annos 14. menses 11. Hic promulgauit & publicauit constitutionem de annatis, vt quisquis beneficium aut sacerdotium consequeretur, dimidiam partem annui prouentus sui fisco Romanæ ecclesiæ penderet. Quod onus tametsi graue & iniquum fuit visum: admissum tamen est ab omnibus, prætermissum ab Anglis, qui ea conditione acceperunt, vt non beneficijs omnibus, sed solis episcopatibus imponeretur. Germani verò ad ea Beneficia restrinxerunt, quæ immediatè à pontificibus conferuntur. Annatæ.

Benedictus XIII. Papa 233. successit Clementi VII. Auinione, & sedit annos fermè 30.

Innocentius VII. Papa 234. anno Christi 1404. sedit annos 2. dies 22. Romæ.

Gregorius XII. Papa 235. anno 1406 sedit Romæ annos 8. menses 7. dies 6. Ex concilij Pisani sententia pontificatu priuatus est, quod quæ spoponderat & iurauerat, seruare noluisset. Iurarat autem, si ex re ecclesiæ foret, pontificatum sese depositurum esse. Insignia tamen vsq; ad concilium Constantiense retinuit, & tum demum pontificatu abijt.

Alexander V. Papa 236. anno 1408. in concilio Pisano in locum Gregorij & Benedicti, quibus propter dissensionem pontificatus abrogabatur, electus est, & sedit menses 11.

Ioannes XXIII. Alexandri successor, Papa 237. anno 1409. sedit annos 5. menses 10. cum Gregorio & Benedicto, vsq; ad concilium Constantiense. Fuerunt igitur

igitur hoc tempore pontifices tres, Ioannes XXIII. Romæ, Gregorius XII. Arimini apud Malatestas, & Benedictus XIII. in Hispanijs, qui se veros pontifices esse affirmabant. Vocati sunt ad Constantiense concilium omnes, sed solus Ioannes XXIII. comparuit, reliqui duo accedere recusarunt. Cùm autem Ioannes pontificatum deponere, quemadmodum ab eo postulabatur, nollet, vim metuit, & noctu clam, mutato habitu aufugit, sed ex fuga retractus in eas angustias adductus est, vt pontificatu sese abdicaret. Ne autem seditio aliqua inde oriretur, ex decreto concilij Ludouico Bauariæ duci ad custodiendum traditus est, qui in custodia fideli illum reclusit per quadriennium, vnde se redimere triginta millibus ducatorum coactus est. Gregorius verò XII. per legatum in concilio pontificatum renunciauit, cum omnibus iuribus, quæ ad illud tempus habuerat. Reliquus erat Benedictus XIII. qui vt pertinax hæresiarcha, periurus, & inobediens ecclesiæ Dei publico Papæ tres.

Illico decreto & voce pontificatu priuatus & excommunicatus est, omnesq; qui ad illud vsq; tempus eum secuti erant, ab obedientia illius absoluti sunt. Cum ad hunc modum schisma pontificium toti orbi Christiano perniciosum esset sublatum, & pax concordiaq; restituta: electus est in eodem concilio Martinus V. Papa 238. anno 1417. qui sedit annos 13. menses 3. dies 10.

Martinus V. pont. 238.

Eugenius IV. Papa 239. anno 1431. sedit annos 15. menses 11. dies 21. Concilium Basiliense à Martino V. iampridem indictum statim approbauit, & anno primo pontificatus sui incoauit: anno autem 1433. à Philippo Mediolani duce Roma pulsus est, vnde Florentiam profugit. Venit ad eum Ferrariam Ioannes Cæsar Constantinopolitanus, cum fratre suo duce Demetrio, patriarcha, & multis alijs patriarchis, episcopis, abbatibus, & prælatis ecclesiæ Graecæ, vt concordiam cum ecclesia latina confirmaret, de qua in concilio Florentino dicetur. Abrogatus est illi

tan-

tandem ob multa crimina, vt Onuphrius ait, pontificatus, cum bis terue citatus à concilio Basiliensi, comparere noluisset.

Felix V. dictus Amadeus, Sabaudiæ dux, Papa 240. anno 1439. in concilio Basiliensi electus, hortatu Friderici Imperatoris de pontificatu cessit, publicæ tranquillitatis & commodi caussa, vt schisma pestiferum tolli ex ecclesia posset. Interrogatus est hic Amadeus aliquando à principum oratoribus, num quos venaticos canes haberet? respondit, canes meos venaticos si videre cupitis, postridie ad me reuertimini. Interim congregauit cœtum magnum mendicorum, eumq́ legatis monstrauit, Hi, inquiens, sunt canes mei, quos alo quotidie, & quibus spero me cœlestem gloriam venaturum esse. Amadeus.

Nicolaus V. Papa 241. anno 1447 sedit annos 8. dies 19. Huic laudi datum est, hodieq́ & semper erit maximæ gloriæ, quod pontificatum non appetiuit, sed delatum inuitus suscepit, & Nicolaus V.

literas earumq; professores mirificè dilexit, auxit, honestauit. Nam & arte doctrinaq; liberali eruditus fuit, & ingenia fouit, præmijsq; dignis affecit. Inde ex omnibus locis literarum scientia, & eloquendi elegantia perpoliti viri ad eum tanquam ad portum atq; præsidium confugerunt, Georgius Trapezuntius, Georgius Valla, Demetrius Græcus, Nicolaus Perottus, & id genus alij, quorum opera & studio multi authores è tenebris eruti & illustrati sunt, non pauci in sermonem latinum è græco conuersi, nonnulli etiam libri de integro compositi. Huic igitur ex maiori parte acceptum referimus, quicquid splendoris Latinæ & Græcæ literæ in Italia primum, postea in Germania etiam acceperunt. Non enim satis habuit, Italiam doctrinæ ac disciplinarum luce complere, sed vt ad alias etiam gentes & nationes eadem propagaretur, operam dedit. Quin libros etiam ex vniuersa Europa impensis suis conquirendos putauit, eosq; liberaliter cum omnibus populis communicauit.

uit. Quamobrem gratia illi magna à posteris debetur, tanquam parenti literarum, qui vel solus sapuisse rectè inter tot pontifices Romanos videtur. Iubileum celebrauit, anno Christi 1450. in quo circiter homines 200. in ponte S. angeli partim conculcati & oppreßi, partim etiam in flumen præcipitati perierunt. Tanta multitudo hominum confluxit.

Callistus III. Papa 242. anno 1455. sedit annos 3. menses 3. dies 26. Instituit festum glorificationis siue transfigurationis Christi, vt in eo memoria victoriæ ad Belgradum partæ quotannis repeteretur.

Pius II. Papa 243. anno 1458. dictus antea Æneas Syluius, sedit annos 5. menses 11. dies 6. Senensis fuit, ingenio, & doctrina valuit, ex scriba in concilio Basiliensi factus Friderici II. Imperatoris Secretarius, ex Secretario episcopus, Cardinalis, & tandem pontifex. Conuentum Mantuæ habuit, & omni cura cogitationeq; in bellum Turcicum Aeneas Syluius.

cum incubuit. Dithericum Iseburgium Moguntinæ sedis archiepiscopum deiecit & excommunicauit, quod exactiones decimarum in Germania improbasset, nec promittere voluisset pontifici, se nunquam conuocaturum Germaniæ principes, nisi consulto prius & assentiente Papa. Tum, quod legatis pontificijs permittere noluisset, vt arbitratu suo Clerum conuocarent. Substituit autem in locum eius Adolphum comitem Nassouium: ex quo bellum graue ortum est. Iseburgij enim defensionem susceperunt Fridericus comes Palatinus ad Rhenum VIIvir, & Ludouicus Bauarus, quamuis certum pontificis anathema subeundum sibi esse scirent. Nassouium verò tutati sunt Albertus Marchio Brandepurgicus, Ludouicus Bauarus cognomento niger, Carolus Marchio Badensis, Ioannes episcopus Metensis, & Vlricus comes VVirtebergensis. Adolphus Nassouius cum suis temerè in Heidelbergensem agrum impetum fecit, cui cum occur-

risset Fridericus Palatinus, conflixit cum eo, & in conflictu capti sunt episcopus Metensis, Carolus Marchio Badensis, Vlricus VVirtenbergicus & tota fere nobilitas. Hos in triumpho secum duxit Heidelbergam Fridericus, & ad annum prope in arce custodiuit, donec legibus, quas ipse voluit, acceptis sese redimerent. Adolphus vero hac clade accepta Moguntiam inuasit, eamq́ occupatam diripuit, ciues illius vexauit, & Iseburgium improuisò ita oppreßit, vt vix euadere posset. Hactenus Nauclerus. Paralipomena autem Vrspergensis addunt dißidium hoc ita tandem compositum esse, vt Iseburgius retineret arces certas cum prouentibus earum, Nassouius verò archiepiscopatum: Mortuo autem Nassouio eundem sibi Iseburgius ven..icaret, quod factum esse post sexennium scribitur.

Priuatus quædam scripsit, quæ pontifex factus suppreßit & damnauit, quamobrem scomma de eo iactatum est: Quod Æneas probauit, Pius damna-

Aeneas Syluius cum fortuna animum mutauit.

Apophtheg. damnauit. *Apophthegmata eius memoria digna sunt, quæ recitat Platina. Qui multos regit, à multis regatur oportet. Literæ plebeis argenti, nobilibus auri, principibus gemmarum loco esse debent. Lubricus est primus apud reges locus. Vinum est sumendum quod mentem excitet, non quod obruat. Dulce bonis, durum impijs mori. Litigatores comparauit auibus, forum areæ, iudicem reti, patronos aucupi. Author etiam esse dicitur distichi, quod in multorum ore* est:

No audet Stygius Pluto tentare, quod audet
Effrenis monachus, plenaq; fraudis anus.

Paulus II. Papa 244. anno 1464. sedit annis 6. mensibus 10. diebus 29.

Xystus. *Xystus vel Sixtus IV. Papa 245. anno 1471. sedit annis 13. diebus 5. Festum visitationis Mariæ quotannis celebrandum aduersus Christiani nominis hostes ordinauit. Primus cum religione arma coniunxit, & expeditiones contra Florentinos, Venetos, Ferdinandum Siciliæ regem, & alios suscepit. Annum*

Iubileum

Iubileum à quinquagesimo ad XXV. traduxit, & anno Christi 1475. celebrauit. Detulit huic papæ Theodorus Gaza nobilißimas lucubrationes in membranis accuratè perscriptas. Is verò pecuniam vix librarij præmio dignam reddidit. Indignatus itaque Gaza aufugere hinc lubet, inquit, postquam optimæ segetes in olfactu pinguibus asinis sordescunt.

Innocentius VIII. Papa 246. anno 1484. sedit annis 7. mensibus 10. diebus 27.

Alexander VI. Papa 237. anno 1492. sedit annos 11. dies 8. filium habuit Valentinum Cæsarem Borgiam, cuius præter cæteros nobilitata est ambitio. Habebat enim in animo & ore hoc symbolum: O Cæsare, ô nullo, quod est, aut Cæsar, aut nullus. Pater quoque augere & honestare filium quacunque ratione, vel cum omnium iniuria, vt Platina ait, cupiens, cædibus & rapinis regnum ei parare studebat. Itaque consilium de tollendis è medio principibus vi-

Alexan. VI

Cæsar Borgias.

ris cepit, quo occupare eorum bona filius posset. Filius ipse crudeliter extinxit illustrem Manfredorum familiam, & Fauentiam in potestatem pontificum Roman. redegit. Inuitauerat enim ad conuiuium, quod splendidissimè apparatat, quosdam primarios senatores, ijsq́ puluisculum venenatum vino inspersum præberi iusserat. Accidit autem præter omnem opinionem mirabili prouidentia Dei, vt fatali quodam errore pincernæ vini falerni lagena sic commutaretur, vt purum vinum conuiuis, ipsi verò pontifci & filio eius venenatum daretur. Quo hausto pontifex expirauit, filius verò, quanquam epoti veneni vim vel antidotis exquisitis, vel corporis robore superauit, propter flagitia tamen nefaria mortem ingloriam obijt, & re euentuq́ comprobauit id, quod in versu dicitur: Sibi ipsi parat exitium, qui alijs exitio esse cupit. Necauerat iam ante Alexander veneno Ioannem Michaelem Cardinalem, vt auro & argento eius potiretur

Borgias sumto veneno mulæ recenter necatæ inclusus seruatus est.

retur. Et tunc iterum veneno tollere voluit Hadrianum Cardinalem, in cuius horto cœnam instruxerat. De filia huius Alexandri Lucretia epitaphium composuit Actius Sanzarius:

Hic iacet in tumulo Lucretia nomine, sed re
Thais, pontificiũ filia, sponsa, nurus.

Monstrauit hic Alexander Maximiliano I. thesauros suos, inquiens: nunquid dicere possum? pecuniam non habemus. Cui Imperator respondit: at ære illud dicere potes, surge & ambula. De Alexandro autem versus Iouiani Pontani extant:

Vendit Alexander sacramenta, altaria Christũ,
Emerat ille prius, vendere iure potest.

Pius III. Papa 248. anno 1503. quo post dies 26. mortuo, electus est Iulius II. qui tenuit pontificatum annos 9. menses 3. dies 20. fax bellorum & discordiarum omnium, quibus compluribus annis misera Italia vexata est. Non enim tam de ecclesiæ animarumq́ salute, quàm de secularibus negotijs solicitus, grauißimorũ bellorum procellis totum mundum, vt Onuphrius ait, subuertit. Quam quidem **Pius III.** **Iulius II.**

ad rem tanta consiliorum varietate vsus est, vt instar Protei aliam atq; aliam formam identidem induerit. Modo in Gallos, modo in Venetos arma expediuit, modo cum Venetis contra Gallum sese coniunxit, & in castris ipsemet versatus est. Cum contra Gallum duceret exercitum, dicitur Romæ in Tyberim proiecisse clauem S. Petri, his vsus verbis: quia non valet amplius clauis Petri, valeat gladius S. Pauli. Vnde versus sunt Melanchthonis:

Cum contra Gallos bellum Papa Iulius esset
 Gesturus, sicut fama vetusta docet:
Ingentes Martis turmas contraxit, & vrbem
 Egressus, sæuas edidit ore minas.
Iratusq; sacras claues in flumina iecit
 Tybridis, hic vrbi pons vbi iungit aquas.
Inde manu strictum vagina diripit ensem,
 Exclamansq; truci talia voce refert:
Hic gladius Pauli nos nunc defendet ab hoste,
 Quandoquidem clauis nil iuuat ista Petri.

Ob hanc diram imperandi ac bellandi cupiditatem Cardinales nonnulli ab eo defecerunt, & imperatoris regisq; Galliæ Ludouici auxilio concilium generale

Pisis

Pisis indixerunt. Ad quod etiam pontificem citarunt, vt tot malefactorum suorum rationem redderet. At is Cardinales vicißim citauit, & cum non comparerent, dignitatibus cunctis eos priuauit. Ne verò detrectare concilium videretur, aliud Lateranense indixit, de quo sequente capite agetur.

Leo X. de familia Medicea Florentinus, Papa 250. anno 1513. sedit annos 8. menses 8. dies 21. Inuitauit sua liberalitate viros doctos è Græcia profugos, & literarum instaurationem in Italia plurimum adiuuit. Lutherum edita bulla hæreticum iudicauit ac damnauit; tum principem electorem Saxoniæ Fridericum per literas monuit, vt Lutherum, nisi intra dies 60. reuocaret, vel ditione sua expelleret, vel supplicio afficeret, librosq; eius combureret, vel Romam eum mitteret. Postea anno 1521. in die cœnæ sanctæ, iterum execratus est Lutherum & quotquot cum eo sentiebant. Dicitur in concubitu cum puero esse mortuus.

Adrianus VI. Papa 251. anno Christi 1522. Belga, Traiectensis, Caroli V. præceptor & consiliarius, Academiæ Louaniensis cancellarius, tum in Hispania absente Carolo Gubernator, seu locum tenens, episcopus Dertusensis, sedit annum 1. menses 8. dies 6. non sine veneni suspicione è viuis sublatus. Fuit summo ingenio, summaq́ doctrina, tum vitæ integritate & morum sanctitate singulari præditus, nec nomen suum, vt alij pontifices, mutauit. Fœdus fecit cum Carolo V. Venetis, Ferdinando archiduce Austriæ, & quibusdam ciuitatibus Italiæ contra Franciscum Gallorum regem, misit Franciscum Cheregatam ad conuentum Norimbergensem cum certis mandatis contra Lutherum, per eundem prolixè etiam de emendatione ecclesiæ & curiæ Romanæ pollicens. Fassus est grauamina siue difficultates plerasq; omnes ab aula pontificia, alijsq́ clericis proficisci. Adriani inscriptio circumfertur in hunc modum: Traiectum plantauit, Louanium rigauit, Cæsar incrementum dedit, cui festiuè adiecit aliquis: Hic Deus nihil fecit. Cle-

Clemens VII. Iulius Medices, anno 1523. Papa 252. sedit annos 10. menses 10. dies 8. anno 25. capta Roma à Cæsarianis, duce Borbonio, in Adriani mole, vel S. angeli castello 6. die Maij obsessus est, & mense Decembri demum ex custodia dimissus, quod contra fidem Cæsari datam cum Gallis & Venetis sese coniunxisset. Ad hunc Clementem venerunt legati regis Æthiopum Dauidis, anno 1523. afferentes secum crucem auream grandem pondere vnius libræ, quã ei donarunt, & vt in tutelam curamq; suam paternam susciperet ecclesiam Æthiopicam, petiuerunt. Narrarunt simul eandem fermè doctrinam in sua ecclesia sonare de Deo, de tribus personis, de ecclesia, de resurrectione mortuorum, & cæteris fidei articulis, quam profiteretur ecclesia Romana: sed minus aliquanto esse ceremoniarum, sacerdotibus coniugium esse liberum, sacramentorumq; vsum integrum.

Paulus III. dictus Alexander Farnesius, Papa 253. anno 1534. sedit

annos 15. dies 29. Misit Petrum Paulum Vergerium ad Ferdinandum regem, cæterosq; imperij principes, vt cum ijs de concilio Mantuæ indicendo ageret. Approbauit societatem Iesu, & concilium Tridentinum anno 1546. incoauit. Hermannum verò archiepiscopum Coloniensem propter reformatam religionem loco mouit, eiq; Adolphum comitem Schauenbergum surrogauit. Legatos misit in Germaniam, quibus mandata dedit de integro vsu Sacramenti cœnæ Dominicæ permittendo, cum quibusdam cibis lege papali vetitis, pro personarum & locorum conditione concedendis omnibus, qui ab hæresi Lutherana ad ecclesiam Romanam redire vellent.

Iulius III. Papa 253. anno 1550. sedit annos 5. mensem 1. dies 6. Initio sui pontificatus portam auream aperuit, & iubileum annum celebrauit. Ac ne quid deesset ad declarandum suum in Euangelicos odium, Cardinalem Polum in Angliam misit, qui

ad exercendam aduersus Euangelicos sæuitiam author fuit. In delicijs habuit pauones, & cum aliquando in prandio pauonem asseruari vsq; ad cœnam iussisset, nec in cœna eum reperisset, ira exarsit, & execrari ministrum cœpit. Admonitus autem à Cardinali assidente, ne propter rem tantillam tantopere commoueretur, respondit, si potuit Deus vsq; adeo irasci propter vnum pomum, vt propterea ex Paradiso eijceret primos parentes: cur non liceat mihi eius vicario succensere propter pauonem, qui pluris est multo, quàm pomum?

Marcellus II. Papa 255. anno 1555. qui postquam rem habere cœpit, die 21. mortuus est.

Paulus IV. Papa 256. anno 1555. dictus antea Ioannes Petrus Carapha Neapolitanus, sedit annos 4. menses 2. dies 27. Author fuit rumpendi fœdus, quod vix inter Hispanum & Gallum erat ictum. Nam M. Antonium Co-

lumnam, patremq́ ipsius Ascanium, anathemate notauit, & honore possessionibusq́, quas in ecclesiastica ditione habebant, exuit, easq́ Friderico Caraphæ ex fratre nepoti addixit, & titulum insuper ducatus Paliani attribuit. Columna verò cum tantis opibus obsistere non posset, Caroli Imperatoris opem implorauit. Is papam ante omnia monuit, vt quæ rapuisset, Columnæ restitueret. Sed cum id impetrari verbis non posset, armis iniuriam persequi instituit. Misso itaq; duce Albano, agrum Romanum occupauit, & pontificem penè obsedit. Is ergo vt Hispanicum exercitum ex Italia arcere posset, & Hispano ægrè facere, à quo iam ante etiam direptam Romam meminerat: Gallum, vt subsidio veniret, rogauit. Hic Hispanum monuit, vt quæ pontifici adempta essent, redderet: alioqui fœderis rumpendi causam iustam sese habiturum esse. Quod cum recusaret Hispanus, misit Gallus Guisium cum exercitu, & bellum de integro cum Hispano

ſpano geßit, in quo Philippus Hiſpanus Gallos ad S. Quintinum memorabili prælio ſuperauit, & incommodi plurimum Gallis dedit. Hoc bellum vix tandem anno 1559. data Philippo Hiſpano in vxorem Galliæ regis filia Eliſabetha, compoſitum eſt. Recuſauit hic pontifex confirmare Ferdinandum Imperatorem anno 1558. electum, propterea quod pacem Eccleſijs Auguſtanæ confeſſionis conceßiſſet.

Pius IV. Papa 256. anno 1560. ſedit annos 3. menſes 11. dies 14. In coronatione eius, cum ſolenni ritu numi ſpargerentur, necati ſunt in turba homines 18. ſupra 40. luxati & eliſi. Pius IV.

Hic vt homines religioni ſuæ magis obſtrictos teneret, nouam iuriſiurandi formulam Academijs Italicis obtruſit. Archiepiſcopo Saliſpurgenſi poteſtatem dedit in Bauaria & Auſtria Laicis vtramque ſpeciem Euchariſtiæ permittendi, certis tamen conditionibus. Tum in Belgio author fuit mandati regij de inquiſitione, quæ Hiſpanita appellatur,

& concilij Tridentini executionem efflagitauit. Quæ res Heinrico à Bređeroda, & coniunctis nobilibus Geusijs caussam dedit, vt impetrandæ libertatis caussa in religione supplices literas exhiberent. Inde factum est, vt cum exercitu missus in Belgium dux Albanus lanienam horrendam in Euangelicos exercuerit, Egmontanum & Hornanum comites & aurei velleris equites capite truncarit, & vastitatem ingentem per omnem Brabantiam effecerit.

Pius V. *Pius V. Papa 257. anno 1566. Dominicanus & Cardinalis Alexandrinus, pietatem & probitatem præ se tulit. Catechismum Romanum, Breuiarium, & Missale ex decreto concilij Tridentini edidit. Maximiliano II. in Turcam eunti cum exercitu supplicationes tres decreuit, quas ipsemet obiuit, & pro victoria Christianorum vota fecit. Calculo & dysuria diu vexatus dicitur crebris suspirijs vsurpasse & repetiuisse hanc vocem: Domine adde sane ad dolorem, dum addas & ad patientiam. Clemen-*

tia

tia in maledici scripti authorem comprehensum & adductum commemorabili vsus est. Cum enim ille fassus esset, se dæmonis impulsu scriptum diuulgasse, ignouit ei pontifex, si, inquiens, in summum pontificem scripsisses, pœna vtiq; afficiendus esses. At quia in me fratrem, monachum, Cardinalem, conuitia dixisti, condono tibi culpam. I quò libet. Mortuus est anno 1572.

Gregorius XIII.

Gregorius XIII. Papa 258. anno 1572. ante Hugo Boncompagni dictus, I.C. Bononiensis, sedit annos 13. Huius prædicatur amor & beneuolentia in Germanos, quibus collegium Romæ impensis magnis parauit, illudq; prouentibus siue reditibus annuis ad decem millia coronatorum auxit: vt in eo studiosi centum quotannis alantur, qui literis & doctrina religionis pontificiæ imbuti atque instructi ad obeunda passim per Germaniam munera mittantur. Extruxit præter hoc alia in vrbe collegia, quasi quasdam arces religionis:

nis: vt qui ab Oceano, ex Alpibus, ex Peloponneso, ex Synagoga, & Palæstina ad Romanam Ecclesiam confugiunt, hospitium honestum inueniant. Condidit præterea singulis penè gentibus singula gymnasia, Prutenis Bransbergense, Lituanis Vilnense, Boiemis Pragense, Morauis Olomucense, Austriacis Viennense, Stiriacis Grezense, Germanis Dillinganum, Saxonibus Fuldense, Britannis Rhemense, Transyluanis Claudiopolitanum, Scotis & Hybernis Mußipontanum, Heluetijs Mediolanense, Funense in Iapone. Calendarij emendationem anno 1582. publicauit, in quo dies decem inter quartum & decimum quintum octobris ex veteri calendario exemit, fieri sic posse existimans, vt æquinoctia & solstitia ad eas sedes redeant, quas tempore concilij Niceni tenuerunt. Eius formulam sub exitum comitiorum, quæ erant Augustæ, misit ad Rudolphum imperatorem. vt in imperio Germanico illam promulgaret: quemadmodum factu-

ros

ros se esse promiserant Christiani orbis reges & principes plerique, Hispanus, Gallus. Polonus, Itali, Belgæ. Etsi autem consilium emendationis haud improbatur: tamen turbas nonnullas in Germania dedit, quod à pontifice obtrudi sibi nollent calendarium Euangelici: ne quid mutare ipsius mandato in suis Ecclesijs, vel confusionis alicuius authores, vel certè approbatores esse viderentur. Gebhardum Coloniensem archiepiscopum, cum subditis suis liberum Euangelicæ religionis vsum permisisset, & Hagnem, Ioannis Georgij comitis Mansfeldiaci filiam vxorem duxisset, excommunicauit, & loco mouit, eiq; Ernestum Bauariæ ducem surrogauit, qui armis, non baculo diœcesin occupauit. Venit ad hunc Papam legatio ex Iaponia longè vltra Indiam & Sinarum regiones in Oriente sita, à tribus principibus ad Christianam religionem illic conuersis missa anno 1585. quæ exhibitis principum suorum literis fidei & reuerentiæ suæ erga Christia-

stianam ecclesiam documentum praeclarum dedit.

Sixtus V. *Sixtus V. Papa 259. anno 1585. Felix Perenettus ante dictus, Cardinalis de monte alto, ordinis D. Francisci in exiguo pago marchionatus Anconatensis, exiguae fortunae parentibus colonis natus. Ad exitum vitae vocatus est anno 1590. mense Augusto: cum quidem paucis diebus ante, eodem mense conuersionem Iacobi Marchionis Badensis ab Euangelica religione ad pontificiam gratijs actis & gratulationibus habitis Romae celebrasset: Surrogatus est ei Vrbanus VII. sed mox veneno sublatus nequicquam ad tantum gradum ascendit: quippe qui à natura parum adiumenti habere visus est ad Sixti V. consilia furiosa exequenda.*

Vrbano VII. successit Gregorius XIV. Doctor Theologiae. Gregorio XIV. Innocentius Nonus, quartus à Gregorio XIII. qui omnes anno vno, mensibus quatuor, & diebus tribus è vita cesserunt.

runt. *Anno igitur 1592. electus est Clemens VII. 20. Ianuarij.*

DOCTORES ECCLESIÆ IN millenario sexto.

In initio millenarij sexti vixit Odilo, abbas Cluniacensis, vir probitatis, sanctitatisq́ laude eximia præstans, qui etiam θαυματουργὸς, *miraculorum effector perhibetur. Memorabile est eius responsum, quod dedit cuidam, a quo reprehendebatur, quod erga peccatores nimis esset misericors: malo, inquit, damnari de misericordia, quàm de duritia. Author festi omnium animarum fuit, vt Sigebertus scribit. Cum enim persuasisset ei quidam religiosus, qui Hierosolymis venerat, in Sicilia inter flammas, quas Aetna eijcit, crebrò audiri voces, iras, terrores, & eiulatus quasi plangentium animarum, quibus requies nulla, nisi per Cluniacensium fratrum preces comparari posset: Festum omnium animarum in diœcesi sua instituit, in quo memoria omnium fidelium defunctorum* cele-

Odilo.

Festum omnium animarum.

celebraretur, & quies animabus pararetur.

Theophyl. *Theophylactus Bulgariæ archiepiscopus circa annum Christi 1027. in Ecclesia fulsit. Cuius opera præclara extant, enarratio Euangelistarum, velut Epitome quædam ex Chrysostomi commentarijs decerpta, tum epistolarum etiam Pauli & Prophetarum minorum explicatio.*

Bruno. *Bruno Vurcebergensis episcopus, electus anno Christi 1033. scripsit Psalmorum expositionem ex patrum commentarijs collectam, tum Symboli Athanasij enarrationem. Insigne est eius de fide dictum in Symboli Athanasiani enarratione: ante omne opus necesse est, vt fides præcedat, ante omnem operationem, ante omnem incoationem, ante omne principium vnicuique opus est, vt teneat Catholicam fidem, dicente Apostolo: Sine fide impoßibile est placere Deo. Vnde Abacuc inquit: Iustus ex fide sua viuet. Fides credulitas est, qua scilicet veraciter credimus*

mus id, quod nequaquam videre valemus.

Lanfrancus archiepiscopus Cantuariensis in Anglia circa annum Christi 1051. Berengario sese opposuit, quemadmodum & Guitmundus archiepiscopus Auersanus vterque transubstantiationis pontificiæ patronus. Ac de Berengarij quidem eruditione tanta fuit hominum opinio, vt venienti Romam pontifex assurrexerit, non quidem archidiaconum, sed ingenij donum se venerari dictitans. Scripta eius complura recitantur, & prædicatur etiam liberalitas. Mortem sibi non aliam optauit, quàm vel per febrim, vel per dysenteriam, vt ne sermonis vsu ad extremum vsque spiritum vitæ priuaretur. Lanfrancus.

Bruno scholæ Coloniensis professor, ordinis Carthusiensium ἔξαρχος, de quo in capite IV. dicetur. Ad Brunonem authorem, nescio quem, refertur hoc distichon: Bruno.

Mitto coax ranis, cra coruis, vanaque vanis:
Ad Logicã pergo, quæ mortis nõ timet ergo.

Anselmus. *Anselmus Lanfranci discipulus Cantuariensis episcopus in Anglia, anno 1094. Opera reliquit valde multa. Memorabile eius est dictum in tertium caput prioris ad Corinthios, in libris sanctorum doctorum, quos authenticè legit ecclesia; nonnunquam inueniuntur quædam praua, vel hæretica: non tamen propterea vel libri vel authores damnantur. Angliæ regem ob ecclesiastica bona, quæ in fiscum suum redigebat, obiurgauit, & propterea in exilium ire iussus est. Sed reuocatus tamen domi diem suum obijt.*

Bernardus. *Bernardus Burgundus anno Christi 1113. ingressus est cœnobium ordinis Cistertiensium, & Clareualle abbas factus est. Literarum & pietatis studijs à teneris vnguiculis deditus fuit, & spretis hominum commentis, scripturæ sacræ lectioni & meditationi vacauit. Vnde id etiam assecutus est, vt pleraq; doctrinæ Christianæ partes rectius, quam seculi illius captus erat, intelligeret. Laborantem aliquando voluit mulier quædam*

dam carminibus suis sanare, sed ab eo constanti animo repulsa est, & paulo post ex morbo ille conualuit. In tentationibus se & alios nulla re alia consolatus est, quàm morte & merito Iesu Christi. Est enim verè Christiana hæc illius sententia: Fateor, non sum dignus ego, nec proprijs possum meritis regnum obtinere cælorum. Cæterum duplici iure id obtinens Dominus meus, hæreditate scilicet patris, & merito passionis: altero ipse contentus, alterum mihi donat. Ex cuius dono iure illud mihi vendicans, non confundor. Excelluit laude humilitatis, beneficentiæ, patientiæ, & constantiæ. Sed communibus tamen illius seculi erroribus quibusdam implicitus, stipulas margaritis pretiosis admiscuit. Certamina pro doctrina sustinuit, & miracula quædam edidisse dicitur. Mortuus est anno Christi 1153. Veste Malachiæ indutus. Tandem ab Alexandro pontifice Romano in numerum sanctorum relatus est.

Rupertus Tuitiensis circa annum Rupertus Tuitiensis.

Christi 1125. cœnobio Tuitiensi, Coloniæ vicino præfuit, cuius scripta commemorantur valde multa. De hoc Trithemij extat narratio speciosa hæc: Rupertus amore quidem literarum flagrauit, sed ingenio ad satus accipiendos tardiore fuit. Itaq; crebris lacrymis atq; precibus solicitauit sanctam matrem Domini, vt animum docilem, & ad percipiendum doctrinam facilem elargiretur. Exaudiuit illa vota eius, & non solum ingenij vim, sed variarum etiam rerum scientiam impertiuit. Cuiusmodi etiam de Vdone Magdeburgense episcopo confictum est.

Otho Bampergensis.

Otho episcopus Bampergensis, anno Christi 1124. à duce Polonorum Boleslao vocatus, assentiente imperio, & pontifice Romano, in Pomeraniam profectus est, & gentem Sclauonicam, quæ inter Oderam & Poloniam habitabat, ab erroribus & idolis Ethnicis ad fidem Christi traduxit, baptisauit, & extructis templis Euangelij præconium ibi fecit. Ex quo ecclesiarum Pomeranicarum

rum οἰκισὴς & parens appellatus est. Vrspergensis & Crancius.

Hugo de S. Victore natione Saxo, Presbyter & Abbas Parisiensis, illustri laude eruditionis celebratus, scripta plurima reliquit, mortuus an. Christi 1140.

Richardus de S. Victore natione Scotus; monachus Parisiensis, ambitione tanta fuit, vt in Theologia Prophetis & Apostolis sese anteposuerit. Allegorijs pleraq; inuoluit, & superstitiones non solum approbauit, sed etiam auxit. Mortuus est anno Christi 1148. Richardus.

Gratianus Bononiensis monachus, ordinis S. Benedicti, eruditione & doctrina cæteros sua ætate anteiuit. Author est voluminis Decretorum, quod ex diuersis patrum sententijs, decretis & scriptis varijs compilauit, & ad Papam Eugenium III. attulit, à quo etiam approbatum illud est, & vt publicè prælegeretur, concessum. Titulus ei inditus est splendidus, Concordiæ discordantium Canonum. anno Christi 1151. Gratianus

VVicelinus ecclesiæ Vandalicæ in oc- VVicelinus

cidua regione fundator, in qua Euangelium ad annos 30. prædicauit, & Altenpurgi episcopatum annis amplius quinq; gessit. Mortuus est anno Christi 1154.

Pet. Lomb. Petrus Lombardus Parisiensis episcopus, composuit libros quatuor sententiarum, qui extant. Vnde Magister sententiarum cognominatus est anno 1160.

Pet. Com. Petrus Comestor, natione Gallus, historiam scholasticam scripsit circa annum Christi 1163.

Ioach. Cal. Ioachim Calaber, abbas in Calabria, vixit circa annum 1180. Prophetico spiritu præditus scripsit interpretationem Hieremiæ, & multa de calamitatibus extremum diem antecessuris vaticinatus est.

Thomas Cantuar. Thomas episcopus Cantuariensis in Anglia, trucidatus in templo martyr factus est, & ab Alexandro III. Papa inter sanctos numeratus, anno Christi 1171. Sed reliquias eius effodit Heinricus VIII. rex, & cremauit anno 1538.

Hildegar. Hildegardis abbatissa cœnobij Bingensis spiritu Prophetico quædam di-

ctauit latinè, mortua est anno Christi 1189.

Dominicus author ordinis prædicatorum, anno Christi 1206. Dominicus.

Franciscus ordinis minorum princeps, anno Christi 1209. vitam adeò sanctam egit, vt Christus ei apparuisse dicatur, & vulnerum suorum stigmata impreßisse. Cooptatus est in sanctorum numerum à Gregorio IX. anno 1228. Franciscus.

Bonauentura Cardinalis doctiß. scripsit commentarium in librum sententiarum, anno Christi 1252. Bonauent.

Albertus Magnus natione Sueuus, de familia nobili, monachus ordinis prædicatorum, postea episcopus Ratisponensis in Bauaria circa annum Christi 1254. Arsit incredibili cupiditate legendi. Iccircò vt quasi diuturnam sitim explere posset, episcopatu abijt, & Coloniæ publicis prælectionibus vacauit. Ex eius scholis multi prodierunt discipuli, qui doctrinam scholasticam latè disseminarunt. Mortuus est anno 1280. Alb. Magn.

Thomas Aquinas

Thomas Aquinas in oppido Latij Aquino natus, anno Christi 1223. Primum Parisijs, postea Coloniæ literas didicit, & Albertum Magnum audiuit. Ingressus prædicatorum ordinem in primis magnam operam Theologiæ nauauit, & doctrinæ scholasticæ princeps extitit. Commentarij & disputationes eius subtiles quidem sunt & argutæ, sed duo sunt, quæ in ijs improbantur: primum sermonis genus, omni ex parte barbariem redolens, deinde confusio doctrinarum cœlestis & humanæ, Theologiæ & Philosophiæ, quæ genere ipso, vel toto potius inter se dissident, & accuratam distinctionem requirunt. Vt enim sapientia est magna, hæc duo doctrinarum genera rectè discernere: sic impietas est detestabilis ea commiscere, & Theologiam in Philosophiam transformare. Abusus in Ecclesiam inuectos non probauit solum, sed etiam stabiliuit & cumulauit. ἀρτολατρείαν *siue cultum panis, & circumgestationem in die corporis Christi confirmauit, & pro*

pri-

primatu pontificis propugnauit. Eminet tanquam gemma in scriptis eius hoc de fide dictum in hymno de festo corporis Christi: Etsi sensus deficit ad firmandum cor sincerum: sola fides sufficit. Mortuus est anno Christi 1274. Canonisatus verò 1323.

Heinricus de Gandauo circa annum Christi 1299. primum Parisijs Philosophiæ studia coluit, & titulum Doctoris Vniuersalis consecutus est. Deinde archidiaconus Tornacensis factus est. Heinricus de Gand.

Ioannes Dunius Scotus, ordinis S. Francisci monachus, Doctor subtilis appellatus, inprimis curam & studium ad illustrandum sententiarum magistrum contulit, & acumine disputationum omnes superauit. In Philosophia cum Thoma contendit, effecitq́, vt duæ quasi familiæ dispares siue sectæ euaderent. Qui enim Thomæ auspicia sequebantur, Thomistæ, qui Scoti, Scotistæ dicebantur. Nec id solum, sed quia Thomas vocabula, Scotus verò res in prædicamentis collocandas esse contendit, factum est, vt Scotus.

Thomistæ Nominales, Scotistæ verò Reales vocarentur. Apoplexia correptus nimis festinanter pro mortuo humatus est. In tumulo autem natura vim morbi discutiente, reuixit, & mugitu miserabili opem implorauit. Cum verò nemo esset, qui subueniret, capite ad lapidem sepulchri alliso, tandem perijt. Sunt tamen qui scribunt, & in primis quidem Crinitus, eum à discipulis, qui in mortem illius conspirarant, graphijs confossum esse. Mortuus est Coloniæ 1308. Cum iam finem vitæ sibi impendere prospiceret, cœnā Domini sumturus, flens Dominum Iesum rogauit, vt si quid de mysterijs ipsius, & de vniuersa Ecclesia minus rectè scripsisset, veniam sibi daret, scriptaq́ sua omnia iudicio Ecclesiæ subiecit. Volaterranus.

Lyranus. *Nicolaus Lyranus ex Iudæo factus Christianus, fratrumq́ minorum ordinem ingressus, scholijs siue commentarijs perpetuis vtrumq́ testamentum explicare aggressus est. Ad quam*

rem magnum adiumentum illi attulit literarum latinarum, græcarum, & hebraicarum scientia. Anno Christi 1322.

Guilelmus Occam Anglus, ex Scoti disciplina profectus, & ordinis Franciscani monachus, scripta præceptoris sui Scoti acriter impugnauit. Et cum quædam pro Ludouico Imperatore excommunicato contra Papam scripsisset excommunicatus est & ipse. Quocirca profugiens ad Imperatorem dixit: O imperator, tu me gladio defende, ego te verbis & scriptis defendam, anno Christi 1324. Occam.

Ioannes Taulerus Dominicanus Coloniæ primum, deinde Argentinæ conciones crebas ad populum habuit, quibus Dei misericordiam commendauit, & fiduciam propriorum meritorum reprobauit, abusus & superstitiones reprehendit, inuocationem cultumq; sanctorum reiecit, & verum Dei cultum, Christiq; saluatoris vnici meritum Taulerus.

inculcauit. Crebris sermonibus vsurpauit dictum, quod omnibus pijs acceptum est: Animus hominis nunquam est tam auidus ad recipiendum, quin Deus multò sit auidior ad dandum. Vixit circa annum Christi 1340. imago eius ita est picta, vt digito Christum, Dei agnum, peccata mundi tollentem monstret.

Brigida.

S. Brigida mulier Suecica, prophetico spiritu librum reuelationum scripsit, anno 1372.

Ioannes Vuiclefus.

Ioannes Vuiclefus Anglus circa annum Christi 1370. mores pontificis, & ecclesiæ pontificiæ dogmata impugnauit, atq; adeo pontificem antichristum appellare ausus est. Quamobrem hæresi archa publicè in Schola Oxoniensi proclamatus est, tandemq; cadauer eius Martini pontificis iussu effossum atque crematum, anno Christi 1428. Dogma eius præcipuum fuit: extra Biblia in rebus spiritualibus non esse quærendam veritatem. Aduersarios acerbiores nullos sensit, quàm sacerdotes & monachos: à quibus scripta illius quidem exusta

sunt,

sunt, sed doctrina nihilominus latè disseminata est.

Ioannes Hussus sacerdos & concionator Pragæ in templo, cui nomen est Bethlehem, anno Christi 1400. errores pontificios publicè, & quidem liberè reprehendit, commentum ignis purgatorij ad quæstum monachorum comparatum refutauit, inuocationem sanctorum improbauit, traditiones humanas reiecit, primatum pontificis impugnauit, mutilum Sacramenti cœnæ vsum damnauit, indulgentias Papales reprehendit, coniugium sacerdotum comprobauit, merita operum propriorum extenuauit, contrà verò solius mediatoris Christi meritum prædicauit. Vuiclefi doctrinam contra errores & abusus pontificiæ Ecclesiæ, veram & orthodoxam esse pronunciauit, seq; socium eius fore in cœlesti vita certò sibi persuasit. Ioan. Huss.

Hæc doctrina plausu magno accepta est à nobilibus, studiosis, & alijs pijs. Itaq; pontifex eum accersiuit, vt Romæ caus-

caussam diceret. Sed intercessit nobilitas Boiemica, & missis legatis Hussum purgauit. Affulgebat iam tum spes magna recuperandæ lucis & libertatis in Ecclesia. Sed nondum satis opportunum fortè illud tempus visum fuit Deo ad perpurgandam & illustrandam Euangelij doctrinam, & ad comprimendam tyrannidem ecclesiasticam.

Hieronym. Pragensis.

Hieronymus Pragensis eodem tempore eandem doctrinam cum Husso professus, eundem exitum habuit, vt infra in concilio Constantiensi exponitur.

Petr. Dresdensis.

Petrus Dresdensis, Scholæ Pragensis moderator anno 1400. erroris arguit omnes, qui sub vna specie tantum dominicum corpus, secundum Ecclesiæ Romanæ edictum, sumunt. Iccirco author fuit Iacobo Misnensi, qui in collegio pauperum professor erat, & in templo D. Michaelis conciones habebat, vt vtramque speciem Boiemis porrigeret.

Iacob. Misnensis.

Gerson.

Ioannes Gerson, Parisiensis Theologus,

gus, monumentis amplißimis memoriam nominis sui consecrauit, & in concilio Constantiensi non voce solum coram, sed postea etiam scriptis confirmauit decretum concilij, quod Papam infra, non supra concilium & Ecclesiam collocat. Itaq; in odium offensionemq; tantam incurrit, vt patria eiectus, propinquisq;, amicis, dignitatibus, & fortunis omnibus spoliatus, Lugduni in exilio mori coactus sit, anno 1429.

Ioannes Zacharias, Theologus Erfurdianus, interfuit concilio Constantiensi, & rosam victoriæ præmium inde reportauit. Huius monumentum Erfurdiæ in Templo D. Augustini conspicitur. Est autem meritus rosam nulla alia re, quàm disputando & propugnando pro pontificis Romani maiestate contra Hussum. Atq; adeo dicitur Biblia protulisse, quibus scriptum fuerit cap. 33. Ezech. Ecce, ego ipse super pastores & non populus: quod posterius verbum, non populus, in nullo neq; hebraico, neque græco, neq; latino conte- Ioan. Zacharias.

contextu alioqui reperitur. Quamobrem Proles dixit, nolle se hoc modo meritam gestare rosam.

Keisersbergius. *Ioannes Geiler Keisersbergius, Ecclesiæ Argentinensis Doctor, natus anno Christi 1446. concionem habuit in renunciatione noui episcopi, comitis Gulielmi ab Honstein, in qua officium episcopi sic expreßit: debet episcopus esse pius, suum ipsemet munus exequi, templum frequentare, non politica tractare, non meretricio amore teneri, non pompa vti, sed prudens doctusq; esse, qui vtrumq; testamentum rectè intelligat.*

Cusanus. *Nicolaus Cusanus Cardinalis ob eximiam literarum scientiam miraculum mundi propè iudicatus est anno 1448. anno Christi 1451. Germaniam peragrauit, & in Saxoniæ vrbes cum alias, tum Magdepurgum etiam venit, vbi honorificè acceptus est, & cum pompa magna introductus, concilium prouinciale ibi habuit; indulgentias liberaliter æquè atque Romæ impertiuit, sermones ad populum habuit, & processionem*

nem siue circumgestationem corporis Christi celebrauit.

Ioannes Capistranus, ordinis S. Francisci monachus, à Papa in Germaniam missus, anno 1451. paßim concionatus est in Morauia, Misnia, Silesia, Polonia, tantâ seueritate, vt vitia & luxum omnem in cibo, potu, & vestitu non solum acriter insectatus sit, sed lusorum aleas, tessaras, chartas, ac tabulas etiam in ignem coniectas combusserit. Continuare solitus est orationem Latinam per horas duas. Infestus inprimis fuit Boiemis, quod vsum sacri calicis impiè nefarieq; Laicis concederent. Hortatus quoq; est grauißimè ad suscipiendum contra Turcas bellum, ac ipse vnà cum Huniade Turcam ab obsidione Belgradi repulit: cum dimicante in libero campo Huniade cum Turcis, ad vigesimam quartam horam vsque, ipse ex alta turri vexillum crucis vibrans voce magna Christianos ad pugnandum incitauit. Paulò post in Vngaria diem suum obijt. Capistranus.

M Ioan-

Vesselus.

Ioannes Vesselus, vel Vesalius Groningensis, concionator VVormatiæ, anno Christi 1479. docuit scripturam sanctam ex sola scriptura interpretandam esse, indulgentias pontificis inane commentum esse ad emungendos homines pecunia comparatum, ieiunium & discrimen ciborum nullum esse à Christo præceptum: ac si Petrus ieiunij author sit, non aliam ob caussam ab eo esse institutum; quàm vt pisces suos carius venderet: peregrinationes ad vrbem Romam ineptas esse & ociosas: episcopis non licere nouas traditiones ecclesiæ obtrudere: nusquam scriptum esse, Spiritum sanctum à filio procedere. Ob hæc dogmata accusatus & damnatus ab hæreticæ prauitatis inquisitoribus, ad retractandum per Ditherum Moguntinæ sedis archiepiscopum adactus est.

Nicolaus Eremita.

Frater Nicolaus Eremita in Heluetia prope Lucernam in eremo annis 20. ἄσιτος καὶ ἄποτος, *sine cibo & potu vixit, anno Christi 1480. Dicitur visiones*

nes quasdam habuisse peculiares, cuiusmodi etiam est illa de capite pontificio, quam Lutherus interpretatus est.

VVolfgangus Capito, Argentinensis ecclesiæ minister, cuius opera initijs & incrementis reformatæ ecclesiæ deseruijt, natus est anno 1481. Capito.

Ioannes Oecolampadius græco nomine dictus, latinè fulgor domus, trium linguarum peritus, anno 1482. in oppido VVinsperg natus, Basileæ Euangelium docuit, & Vlmensem ecclesiam vnà cum Bucero reformauit. Eius de cœna sancta fuit sententia hæc: Accipite, comedite, hoc est corporis mei signum. Mortuus est anno 1531. anthrace correptus. Oecolamp.

Georgius Spalatinus, anno 1482. natus, Friderici Electoris Saxoniæ ecclesiastes aulicus, initia reformationis ecclesiæ attentè spectauit, & Augustæ in Comitijs anno 30. cum Melanchthone, & alijs professionem Euangelij strenuè adiuuit. Scripsit genealogiam principum Saxoniæ. Georgius Spalatinus.

Ioan. Hiltenius.

Circa annum Christi 1485. vixit Isenaci in Thuringia Ioannes Hiltenius, S. Francisci monachus, pietate & doctrina in primis clarus: qui abusus & superstitiones nonnullas ordinis sui reprehendit, & ob id in carcerem coniectus est. Ibi cum ex fœtore, & squalore in morbum incidisset, Gardianum accersiuit, eumq; precibus multis rogauit, vt vel è carcere dimitteretur, vel molestijs aliquantum leuaretur. Cui cum asperè respondisset Gardianus, nihil egi, inquit, Hiltenius, pœna dignum, nisi quod abusus pauculos & superstitiones placidè benigneq; indicaui, & argui. At anno post Christum natum 1516. alius existet monachus, qui vos monachos acriter reformabit, pontificiumq; regnum oppugnabit. Hunc vos neq; carcere neq; vinculis coercere poteritis. Scripsit hic commentaria Danielis & Apocalyps. Ioannis, cuius quidem vaticinium inter alia hoc etiam memorabile est de anno 1600. quo Europa omnis tyranni crudelissimi direptio-

ptionibus, & incendijs vasta sit futura.

Martinus Lutherus in oppido Cheruscorum Islebia natus anno 1483. de quo supra in reformatæ religionis historia expositum est. Sunt autem maximè memorabilia in Lutheri historia primum familia, neq; opibus firma, neq; copijs locuples, neq; gloria ampla, sed virtute honesta: vt quicquid per illum effecit Dominus, id neq; generis splendori, neq; humanæ potentiæ, sed soli Deo acceptum feratur. Quod ipsemet paßim in scriptis suis & factis ipsis declarauit, non hominis, neq; principis vllius viribus, sed Dei vnius præsidio sese confidere, nec gratia & authoritate humana Euangelium niti debere. Mart. Luth. Familia.

II. Ingenium excellens, acre, & propè diuinum cum animi robore, & magnitudine incredibili coniunctum: quo & verum scripturæ sensum in tantis tenebris perspexit, & reiectis doctißimorum & sapientißimorum hominum in mundo commentis, sanam doctrinam Ingenium.

protulit, & inter tot odia, maledicta, minas, pericula, & terrores damnationis, excommunicationis, exilij, & mortis deniq; ipsius defendit.

Studia. *III. Studia diuinitus gubernata, & ad vsum reformandæ ecclesiæ directa. Etsi enim de patris sui consilio, & sua quadam animi incitatione ad iurisprudentiam sese contulit: partim tamen tentationibus, partim inclinatione pia ad Theologiæ professionem impulsus & quasi retractus est. Literas quidem, & Philosophiam, quæ necessaria sunt ad omnes disciplinas rectè percipiendas & explicandas instrumenta, Erfurdiæ didicit, & VVitebergæ docuit primum, deinde verò ad vsum verum in Theologia applicauit, vt & docere ordine perspicueq; posset, & in disputando refellere aduersarios sciret.*

Professio. *IV. Professio, in qua præcipuam curam & cogitationem in lectione Bibliorum posuit, & digitum ad fontes Israelis intendit, nihil tam in votis habens, quàm vt ea semel, postea, vt quam sæpissimè*

pißimè perlegere posset. Cum Biblijs coniunxit lectionem Augustini, & Scholasticorum quoque commentarios euoluit. Sed re & facto comperit, ex his neque succum neq; fructum consolationis veræ vllum percipi posse. Itaque vitam & spiritum omnem in tentationibus ex sancto Dei verbo petendum esse cognouit. Interim verò munera sui ordinis monastici sedulò ac diligenter obiuit, precatus est, missas celebrauit, & VVitebergam vocatus diligenter fideliterq; docendi partes sibi commissas tutatus est.

V. Ad gradum Doctoris hortatu Staupitij Augustinianorum prouincialis, mandato verò Friderici Saxoniæ Electoris traductus, potestatem iam & authoritatem publicam sese adeptum esse arbitratus est, non tam docendi Theologiam, quàm propugnandi pro dogmatibus ecclesiæ, & refutandi abusus atque errores in ecclesiam inuectos. Quamobrem maiore animi impetu in Theologiæ studium incubuit, vt & pro- Gradus.

 fessio-

fessioni tantæ satisfaceret, & ne spem principis Electoris, Staupicij, & aliorum falleret, qui quasi vaticinati sunt, Deum ad rem magnam opera illius vsurum esse.

Methodus. *VI. Methodum in docenda Theologia, non scholasticis vsitatam, sed quæ ad Biblia maximè accommodata esset, adhibuit. Vnde statim spes magna lucidioris doctrinæ eluxit. Inprimis magnam operam dedit, vt legem & Euangelium rectè discerneret, Christum bene nosset, & singulas partes doctrinæ Christianæ ex veris & solidis fundamentis Biblicis extrueret, ac confirmaret. Quo quidem studio tantum profecit, vt terrori esset pontificijs omnibus, nemoq; ferè audiret cum eo congredi aut disputare. Neque id mirum: cum scholastica Theologia, & sententiæ Lombardi plerisq; Theologis notiores essent, quàm sancta Biblia.*

Opus reformationis. *VII. Ad arduum opus reformationis Euangelij & Ecclesiæ agressus est*

pro-

proposito pio, consilioq́ aut cupiditate minimè mala: Primum quidem permotus impudentißima impostura & fraude indulgentiarum: quas tamen non iccirco impugnare cœpit, vt damnaret prorsus, sed vt abusus earum nimius comprimeretur. Disputandi saltem caussa cum doctis Theses edidit, de ijsq́ iudicia cunctorum exquisiuit: vt si fortè errore quodam ductus esset, ad sanitatem reuocaretur. Hoc velut principio lenißimo prætexere Deus opus reformationis, quod contentione acerrima agendum erat, voluit.

VIII. Postea vehemens magis & pugnax visus fuit, partim ab aduersarijs acerbißimis laceßitus, partim rei magnitudine compulsus, vt acri quadam concitatione inflammaretur. Atque ad hanc vehementiam non tam naturæ vi, quàm diuino impetu quodam raptus esse videtur, vt in Epistola quadam à Melanchthone scriptum est ad Ioannem Langium, Theologum Erfurdianum: cum quidem ipse Philippicam lenita- Vehementia

tem & moderationem sibi sæpius optarit.

Studium pacis. *IX. Turbulentè & seditiosè nihil egit, sed ad concordiam & pacem omnia consilia sua direxit. Idq́ in Carolostadio primum probauit, cuius tumultum Vuitebergæ suscitatum vehementer improbauit. Deinde in rusticis furiosis, eorumque concionatoribus, quos ad obedientiam magistratui debitam hortatus est, tum in bello Germanico ob religionem suscepto, quod dissuasit, & ad mortem vsq́ suam duxit.*

αὐτάρκεια. *X. Commodi & emolumenti proprij rationem nullam habuit, neq́ munera, voluntates, & plausus hominum captauit, sed stipendio & sorte tenui contentus fuit. Quin cum à principe Electore vestis aliquando donata ei esset, inuitus accepit, & datis literis eum orauit, ne in posterum quicquam largiretur, nisi rogatus.*

Constantia. *XI. Constantia fuit tanta, vt quæ recta verboq́ Dei fundata esse sciret, ad extremum vsque tueretur, & fuso etiam sanguine suo firmare gestiret. Quod*

vniuersa eius vita, & singulæ actiones demonstrant: tametsi aliqua primis annis scripta, in posterioribus magis iam eruditus & confirmatus Dei verbo vel emendauit, vel mitigauit, vel perpoliuit. Id quod Augustino etiam, & alijs sanctis patribus vsu venisse partim ipsi scripserunt, partim scripta eorum testantur. Quare ex sequentibus iudicium fieri de antecedentibus haud difficulter potest.

Tandem placidè in complexu Martini & Pauli filiorum, propinquorum, & piorum complurium expirauit in patria, anno 1546. die februar. 18. ætatis 63. Mors.

Nicolaus Ambsdorfius ex familia nobili natus, anno 1483. VVitebergæ primum cum Luthero & Philippo theologiæ studia coluit. Postea anno 42. episcopatui Numburgico à Ioanne Friderico Electore præfectus est, & à Luthero inauguratus. Inde in bello Germanico depulsus, Magdeburgum sese contulit, & Euangelium ibi obsidionis Nicolaus Ambsdorf.

tempo-

tempore periculosissimo docuit. Tandem Isenaci, quod reliquum fuit vitæ, consumsit. Propositionem edidit, quæ perniciosa esse bona opera ad salutem affirmat. Hæc hyperbole visa fuit plerisq; minimè orthodoxa: verum ipse eam excusauit, & ad excludendum meritum bonorum operum detorsit.

Ioan. Bugenhagen. *Iohannes Bugenhagius Pomeranus anno 1484. natus, Ecclesiæ Vuitebergensis pastor designatus est, circa annum 1520. in eoq; officij munere vsque ad annum 1558. qui finem vitæ attulit, permansit. Fidus & diligens collega Lutheri fuit, & Ecclesiam Christi, quæ est Brunsuigæ, Hamburgi, Goslariæ, anno 1528. Lubeci verò anno 30. in Pomerania anno 32. ad exemplum siue normam Augustanæ confessionis reformauit. Tum in Daniam vocatus anno 37. Friderico regi solenni consecratione coronam imposuit, & religionem veram per totum regnum plantauit. Concionator fuit placidus, & ex deuotione quandoq; copiosior, quàm audi-*

auditorum quorundam captus ferret.

Ioannes Eccius Ingolstadiensis Academiæ procancellarius, anno 1486. natus in Sueuia, fulcrum Romanæ sedis à plerisq; habitus: disputator fuit acris & vehemens. Disputauit Lipsiæ cum Carolostadio & Luthero, anno 19. lacessitus scilicet ab vtroq;, à Luthero quidem editis contra indulgentias propositionibus, à Carolostadio verò diuulgatis pro Luthero contra Eccij obelos enunciationibus. Cum igitur anno 18. Lutherus & Eccius Augustæ in comitijs essent, conuenit inter eos, consentiente Georgio Saxoniæ duce, vt Lipsiæ de controuersijs disceptaretur. Conuentum est mense Iulio, ac primum cum Carolostadio disputatum de libero arbitrio, de quo fassus est primum Eccius, non esse in voluntate hominis vim genuinam, qua opus bonum producat, sed asciticiam tantum. Deinde verò cum quæreretur, totumne opus bonum sit à Deo? Respondit Sophisticè, totum quidem, sed non totaliter.

Ioan. Eccius.

Disputatio Lipsica.

Secun-

Ioan. Hiltenius.

Circa annum Christi 1483. vixit Isenaci in Thuringia Ioannes Hiltenius, S. Francisci monachus, pietate & doctrina in primis clarus: qui abusus & superstitiones nonnullas ordinis sui reprehendit, & ob id in carcerem coniectus est. Ibi cum ex fœtore, & squalore in morbum incidisset, Gardianum accersiuit, eumq; precibus multis rogauit, vt vel è carcere dimitteretur, vel molestijs aliquantum leuaretur. Cui cum asperè respondisset Gardianus, nihil egi, inquit, Hiltenius, pœna dignum, nisi quod abusus pauculos & superstitiones placidè benigneq; indicaui, & argui. At anno post Christum natum 1516. alius existet monachus, qui vos monachos acriter reformabit, pontificiumq; regnum oppugnabit. Hunc vos neq; carcere neq; vinculis coercere poteritis. Scripsit hic commentaria Danielis & Apocalyps. Ioannis, cuius quidem vaticinium inter alia hoc etiam memorabile est de anno 1600. quo Europa omnis tyranni crudelissimi dire-

ptio-

ptionibus, & incendijs vasta sit futura.

Martinus Lutherus in oppido Cheruscorum Islebia natus anno 1483. de quo supra in reformatæ religionis historia expositum est. Sunt autem maximè memorabilia in Lutheri historia primum familia, neq; opibus firma, neq; copijs locuples, neq; gloria ampla, sed virtute honesta: vt quicquid per illum effecit Dominus, id neq; generis splendori, neq; humanæ potentiæ, sed soli Deo acceptum feratur. Quod ipsemet paßim in scriptis suis & factis ipsis declarauit, non hominis, neq; principis vllius viribus, sed Dei vnius præsidio sese confidere, nec gratia & authoritate humana Euangelium niti debere. Mart. Luth. Familia.

II. Ingenium excellens, acre, & propè diuinum cum animi robore, & magnitudine incredibili coniunctum: quo & verum scripturæ sensum in tantis tenebris perspexit, & reiectis doctißimorum & sapientißimorum hominum in mundo commentis, sanam doctrinam Ingenium.

protulit, & inter tot odia, maledicta, minas, pericula, & terrores damnationis, excommunicationis, exilij, & mortis deniq; ipsius defendit.

Studia. *III. Studia diuinitus gubernata, & ad vsum reformandæ ecclesiæ directa. Etsi enim de patris sui consilio, & sua quadam animi incitatione ad iurisprudentiam sese contulit: partim tamen tentationibus, partim inclinatione pia ad Theologiæ professionem impulsus & quasi retractus est. Literas quidem, & Philosophiam, quæ necessaria sunt ad omnes disciplinas rectè percipiendas & explicandas instrumenta, Erfurdiæ didicit, & VVitebergæ docuit primum, deinde verò ad vsum verum in Theologia applicauit, vt & docere ordine perspicueq; posset, & in disputando refellere aduersarios sciret.*

Professio. *IV. Professio, in qua præcipuam curam & cogitationem in lectione Bibliorum posuit, & digitum ad fontes Israelis intendit, nihil tam in votis habens, quàm vt ea semel, postea, vt quam sæpissimè*

pißimè perlegere posset. Cum Biblijs coniunxit lectionem Augustini, & Scholasticorum quoque commentarios euoluit. Sed re & facto comperit, ex his neque succum neq; fructum consolationis veræ vllum percipi posse. Itaque vitam & spiritum omnem in tentationibus ex sancto Dei verbo petendum esse cognouit. Interim verò munera sui ordinis monastici sedulò ac diligenter obiuit, precatus est, missas celebrauit, & VVitebergam vocatus diligenter fideliterq; docendi partes sibi commissas tutatus est.

V. Ad gradum Doctoris hortatu Staupitij Augustinianorum prouincialis, mandato verò Friderici Saxoniæ Electoris traductus, potestatem iam & authoritatem publicam sese adeptum esse arbitratus est, non tam docendi Theologiam, quàm propugnandi pro dogmatibus ecclesiæ, & refutandi abusus atque errores in ecclesiam inuectos. Quamobrem maiore animi impetu in Theologiæ studium incubuit, vt & pro- Gradus

 fessio-

fessioni tantæ satisfaceret, & ne spem principis Electoris, Staupicij, & aliorum falleret, qui quasi vaticinati sunt, Deum ad rem magnam opera illius vsurum esse.

Methodus. *VI. Methodum in docenda Theologia, non scholasticis vsitatam, sed quæ ad Biblia maximè accommodata esset, adhibuit. Vnde statim spes magna lucidioris doctrinæ eluxit. Inprimis magnam operam dedit, vt legem & Euangelium rectè discerneret, Christum bene nosset, & singulas partes doctrinæ Christianæ ex veris & solidis fundamentis Biblicis extrueret, ac confirmaret. Quo quidem studio tantum profecit, vt terrori esset pontificijs omnibus, nemoq; ferè audiret cum eo congredi aut disputare. Neque id mirum: cum scholastica Theologia, & sententiæ Lombardi plerisq; Theologis notiores essent, quàm sancta Biblia.*

Opus reformationis. *VII. Ad arduum opus reformationis Euangelij & Ecclesiæ agressus est*

pro-

proposito pio, consilioq́ aut cupiditate perminimè mala: Primum quidem permotus impudentissima impostura & fraude indulgentiarum: quas tamen non iccirco impugnare cœpit, vt damnaret prorsus, sed vt abusus earum nimius comprimeretur. Disputandi saltem caussa cum doctis Theses edidit, de ijsq́ iudicia cunctorum exquisiuit: vt si fortè errore quodam ductus esset, ad sanitatem reuocaretur. Hoc velut principio lenissimo prætexere Deus opus reformationis, quod contentione acerrima agendum erat, voluit.

VIII. Postea vehemens magis & pugnax visus fuit, partim ab aduersarijs acerbissimis lacessitus, partim rei magnitudine compulsus, vt acri quadam concitatione inflammaretur. Atque ad hanc vehementiam non tam naturæ vi, quàm diuino impetu quodam raptus esse videtur, vt in Epistola quadam à Melanchthone scriptum est ad Ioannem Langium, Theologum Erfurdianum: cum quidem ipse Philippicam lenitatem

Vehementia

tem & moderationem sibi sæpius optarit.

Studium pacis. *IX. Turbulentè & seditiosè nihil egit, sed ad concordiam & pacem omnia consilia sua direxit. Idq́ in Carolostadio primum probauit, cuius tumultum Vuitebergæ suscitatum vehementer improbauit. Deinde in rusticis furiosis, eorumque concionatoribus, quos ad obedientiam magistratui debitam hortatus est, tum in bello Germanico ob religionem suscepto, quod dissuasit, & ad mortem vsq́ suam duxit.*

αὐτάρκεια. *X. Commodi & emolumenti proprij rationem nullam habuit, neq́ munera, voluntates, & plausus hominum captauit, sed stipendio & sorte tenui contentus fuit. Quin cum à principe Electore vestis aliquando donata ei esset, inuitus accepit, & datis literis eum orauit, ne in posterum quicquam largiretur, nisi rogatus.*

Constantia. *XI. Constantia fuit tanta, vt quæ recta verboq́ Dei fundata esse sciret, ad extremum vsque tueretur, & fuso etiam sanguine suo firmare gestiret. Quod vni-*

vniuersa eius vita, & singulæ actiones demonstrant: tametsi aliqua primis annis scripta, in posterioribus magis iam eruditus & confirmatus Dei verbo vel emendauit, vel mitigauit, vel perpoliuit. Id quod Augustino etiam, & alijs sanctis patribus vsu venisse partim ipsi scripserunt, partim scripta eorum testantur. Quare ex sequentibus iudicium fieri de antecedentibus haud difficulter potest.

Tandem placidè in complexu Martini & Pauli filiorum, propinquorum, & piorum complurium expirauit in patria, anno 1546. die februar. 18. ætatis 63. Mors.

Nicolaus Ambsdorfius ex familia nobili natus, anno 1483. VVitebergæ primum cum Luthero & Philippo theologiæ studia coluit. Postea anno 42. episcopatui Numburgico à Ioanne Friderico Electore præfectus est, & à Luthero inauguratus. Inde in bello Germanico depulsus, Magdeburgum sese contulit, & Euangelium ibi obsidionis Nicolaus Ambsdorf.

tempo-

tempore periculosissimo docuit. Tandem Isenaci, quod reliquum fuit vitæ, consumsit. Propositionem edidit, quæ perniciosa esse bona opera ad salutem affirmat. Hæc hyperbole visa fuit plerisq; minimè orthodoxa: verum ipse eam excusauit, & ad excludendum meritum bonorum operum detorsit.

Ioan. Bugenhagen. *Iohannes Bugenhagius Pomeranus anno 1484. natus, Ecclesiæ Vuitebergensis pastor designatus est, circa annum 1520. in eoq; officij munere vsque ad annum 1558. qui finem vitæ attulit, permansit. Fidus & diligens collega Lutheri fuit, & Ecclesiam Christi, quæ est Brunsuigæ, Hamburgi, Goslariæ, anno 1528. Lubeci verò anno 30. in Pomerania anno 32. ad exemplum siue normam Augustanæ confeßionis reformauit. Tum in Daniam vocatus anno 37. Friderico regi solenni consecratione coronam imposuit, & religionem veram per totum regnum plantauit. Concionator fuit placidus, & ex deuotione quandoq; copiosior, quàm audi-*

ditorum quorundam captus ferret.

Ioannes Eccius Ingolstadiensis Academiæ procancellarius, anno 1486. atus in Sueuia, fulcrum Romanæ sedis à plerisq; habitus: disputator fuit aris & vehemens. Disputauit Lipsiæ cum Carolostadio & Luthero, anno 9. lacessitus scilicet ab vtroq;, à Luthero quidem editis contra indulgentias propositionibus, à Carolostadio verò diuulgatis pro Luthero contra Eccij obelos enunciationibus. Cum igitur anno 18. Lutherus & Eccius Augustæ in comitijs essent, conuenit inter eos, consentiente Georgio Saxoniæ duce, vt Lipsiæ de controuersijs disceptaretur. Conuentum est mense Iulio, ac primum cum Carolostadio disputatum de libero arbitrio, de quo fassus est primum Eccius, non esse in voluntate hominis vim genuinam, qua opus bonum producat, sed asciticiam tantum. Deinde verò cum quæreretur, totumne opus bonum sit à Deo? Respondit Sophisticè, totum quidem, sed non totaliter.

Ioan. Eccius.

Disputatio Lipsica.

Secun-

Secundo cum Luthero idem disputauit, de pontificis Romani authoritate, vtrum iure diuino ea probari posit nec ne? Hic Eccius multa, quæ ad speciem & gratiam valere videbantur, protulit: sed potißimum hoc argumento probare pontificis primatum in ecclesia conatus est: Ecclesia non potest esse ἀκέφαλος, cum sit corpus ciuile. Iure igitur diuino Papa ecclesiæ caput est. Respondit Lutherus, Christus est caput ecclesiæ, quæ cum sit regnum spiritus, aliud caput nullum desiderat. Cum etiam obijceretur Eccio constitutio ex decretis, ne pontif ex vniuersalis episcopus nominetur: respondit ille, non quidem vniuersalem episcopum, sed vniuersalis Ecclesiæ episcopum esse nominandum.

Tertio. De purgatorio disputatum est, ad quod probandum adduxit Eccius locum ex Macabæorum historia: quem cum in contentione non valere dixisset Lutherus: Respondit Eccius: tantum esse tribuendum Macabæorum libro, quantum ipsi Euangelio.

Postre-

Postremo de indulgentijs contentione non magna certatum est, quod eas tanquam ludum & iocum irrideret Eccius. Concessit tamen Lutherus tunc, cum de pœnitentia ageretur, satisfactionis aliquas pœnas, sed non pro singulis peccatis. Reliqua de hac, & alijs disputationibus Eccij cum Philippo supra in cap. de genere doctrinæ exposita sunt. Obijt Ingolstadij anno Christi 1543. ætatis verò suæ 57.

Martinus Bucerus Selestadij, Alsatiæ oppido natus, anno 1491. Luthero in comitijs VVormatiæ familiaris factus, in purioris doctrinæ studium tota mente incubuit, & Argentinæ cum Hedione & Zellio Ecclesiam anno 1528. reformauit. Cum Luthero iterum Marpurgi congressus, de controuersis articulis placidè contulit, vt supra dictum est. Augustæ in comitijs professionem doctrinæ Euangelicæ adiuuit. Ad Lutherum & Philippum VVitebergam, componendi caussa dissidium de cœna Domini, excurrit. Ratisponæ cum pon-

Martin. Buzerus.

pontificijs de religione ſemel & iterum diſputauit. Anno 1548. cum nouam religionis formulam, quàm obtrudebat Cæſar, amplecti nollet, in periculum magnum venit. Quod cum in Angliam nunciatum eſſet, ope Thomæ Cantuarienſis archiepiſcopi vna cum Fagio ad docendum ſcripturam ſanctam eò vocatus eſt: & in Cantabrigenſi Academia Theologiam vterq; tradidit, vitaq; ſancta, ſobria, & ſimplici profeßionem ornauit. Mortuus eſt ibi Bucerus anno 1551. & humatus honorificè, quemadmodum & Fagius. Sed non multo poſt, anno ſcilicet 56. conuerſa religione Euangelica in pontificiam per reginam Mariam, Gardinerus, Bonerus, & Polus Cardinalis vtrũq; hæreſeos condemnatum effoderunt, & cadauera combuſſerunt. Voluerunt etiam Petrum Martyrem, qui Theologiam in Oxonienſi Academia docuerat, cremare. Sed cum is ex faucibus eorum ereptus eſſet, in vxorem eius ante triennium mortuam ita ſæuierunt, vt cadauer

dauer è terra erutum in cœnum proiecerint, anno 1555. At anno 60. per reginam Elisabetham missis legatis, à cunctis Academiæ ordinibus honos supremus, qui mortuis & benè meritis debetur, cumulatè fuit redditus.

Iustus Ionas in oppido imperiali Northusen natus anno Christi 1493. Lutheri collega & συνεργὸς, primum VVitebergæ rei ecclesiasticæ præpositus fuit, deinde Halensis ecclesiæ moderator, tum Eisfeldensis, & Francicæ ecclesiæ in ducatu Coburgensi pastor & inspector, è vita cessit anno 1555. cum annos vixisset 63. **Iustus Ionas.**

Philippus Melanchthon natus in oppido Palatinatus Bretta, anno 1497. literarum & artium restitutor, Scholarum multarum parens, & Theologiæ purioris cum Luthero instaurator ac propugnator, humanitatis, concordiæ, & coniunctionis veræ conciliator. Erasmus Roterodamus tria encomia illi tribuit; insignem eruditionem, raram eloquentiam, & fatalem quandam gratiam, **Phil. Mel.**

vt & candidis omnibus esset gratissimus, & ne hostibus quidem ipsis admodum inuisus. Historiæ eius capita præcipua possunt esse hæc:

I. Initia studiorum eius ita sese dederunt, vt statim spem vberrimarum frugum pollicerentur. Nam & celeriter Latinas & Græcas literas arripuit, & ita eas tractauit, vt è tenebris & squalore, in lucem & nitorem prolaturus esse illas videretur.

II. Professio. VVitebergam venit anno 1518. ætatis verò suæ 22. accersitus à Friderico Saxoniæ Electore ad docendum literas Græcas. In hoc autem officij munere sic versatus est, vt orsus ab Homero & epistola Pauli ad Titum ordine authorum genus penè omne enarraret. Ad Græcas literas non multo post adiunxit Latinæ linguæ & artium interpretationem: ac Latinos quidem authores plerosq; dilucidè artificioseq; explicauit, omnia ad vsum in dicendo & scribendo referens. Hinc lux magna vtriq; linguæ in his & alijs regionibus

bus accessit Artes verò ex fontibus sic deduxit, illustrauit, & perpoliuit, vt vsum earum copiosè perspicueq; monstraret: & quod vsum in disciplinis, disputationibus, & omni studiorum tractatione non habet, id tanquam inutile aut superfluum membrum resecaret. Adiecit ad literarum artium professionem etiam historiarum & Theologiæ explanationem, effecitq; vt nulla pars, nulla quæstio nullum dogma in Theologia reperiatur, quod ab illo non sit patefactum, apertum, & perspicuè dilucideq; enodatum. Historias verò sic enarrauit, vt ad vsus veros in disciplinis, & vita ciuili atq; domestica omnes eius partes adiunxerit.

III. Methodus, qua in docendo vsus est, eximia & singularis est. Non enim spectauit, quo ordine alij ante ipsum in barbarie docuissent, sed totum sese ad captum vtilitatemq; discentium accommodauit. Inprimis summam rei, deinde seriem membrorum siue partium, tum singularum partium argu-

menta & ornamenta exposuit. Post hæc verborum & rerum vsum indicauit, inculcauit verborum significata & emphases, demonstrauit artificium, eruit definitiones & diuisiones, ponderauit singula argumenta, vt quantum vnumquodq; valet, intelligi posset. Hac methodo authores latinos & græcos enarrauit, hac artes explicauit, hac historicos illustrauit; hac Theologiam vniuersam declarauit.

IV. Ad fontes artium & disciplinarum doctrinam suam omnem direxit, in Dialectica, Rhetorica, Physica, Ethica, ad authores ipsos viam muniens; in Chronicis ad historicos præparans, in Theologia ad scripturam sanctam aditum patefaciens.

V. In explicatione genus orationis æquabile, perspicuum, puris & electis verbis constans adhibuit, vt Atticum quiddam redoleat, & influere in animos legentium & audientium videatur.

VI. φιλόπονος *fuit* καὶ πολύπονος, *amans & perferens laborum, adeo vt plus*

cura-

curarum, negociorum, & occupationum sustineret vnius, quàm alij multi. Id enim sibi omnino persuasit, nullum esse laborem defugiendum, qui studiosis ecclesiæ, & reipublicæ vtilis esset.

VII. *Consilia amauit moderata & συμβιβαστικά, hoc est, ad conciliandos animos, ad consociandas voluntates, & ad fouendam retinendamq́ mutuam beneuolentiam directa. Ideircò verum est omni ex parte Ferdinandi Imperatoris elogium, qui audita morte Melanchthonis dixit: Huius viri consilia semper fuerunt moderata. Et meminerunt qui superiora tempora cum his conferunt, suauissimam fuisse animorum coniunctionem inter plerosq́ eruditos, quo ad ille in vita mansit, mirabilem verò voluntatum distractionem & diffidentiam detestabilem, simul ac mortem obijt, secutam esse.*

VIII. *Alienus ab auaritia fuit, non opes quæsiuit, nec munera appetiuit, sed paruo victu cultuq́ contentus, quæ præterea habuit liberaliter cum alijs communicauit.*

IX. *Constantiam in doctrina, moribus, dictis & factis seruauit. Etsi enim quædam prius scripta emendauit: nihilominus tamen in vera sententia permansit, eamq; ad extremum tenuit. Constat eum cum Luthero sic per omnem vitam versatum fuisse, vt alter alterum coleret & obseruaret, nec dißidium vllum inter eos deprehendi posset. Quod demonstrant encomia amplißima Lutheri, quibus Philippi scripta celebrauit, & omnibus mortalibus commendare studuit.*

Confecto annorum 63. curriculo laborioso, & curarum molestiarumq; pleno, tandem febri correptus è vita migrauit, anno 60. & authoritatis, prudentiæ, & humanitatis suæ triste bonis omnibus desiderium reliquit.

Hieronym. Sauonorola. *Hieronymus Sauonorola Ferrariensis, monachus Dominicanus, vir integerrima vita, multa prædixit Florentinis verè, & quæ, vt Cominæus ait, nemo mortalium potuit eum admonere. Inter alia verò vaticinatus est regis*

Galliæ

Galliæ aduentum in Italiam, vt per vim & arma statum ecclesiæ emendaret, & tyrannos Italiæ multaret. Tum docendo multos ad sanitatem vitæq́ emendationem perduxit. Iccircò in plurimorum reprehensionem incurrit, & accusatus tandem hæreseos, anno Christi 1498. acerbißimis quæstionum cruciatibus excarnificatus est. Inter medios verò carceris horrores, supplicijq́ metum verbis viuis, sententijs animatis & spiritus feruore flagrantibus scripsit meditationes in Psal. 51. quas tantopere prædicauit Lutherus. Recitantur crimina quædam vaticiniorum à Nauclero, quæ haud scio, an persona huius viri susceperit; cum Ioannes Franciscus Picus Mirandulanus, & Marsilius Ficinus defensionem eius susceperint, & Cominæus ipse, qui cum eo locutus est, pietatem illius mirificè prædicet. Prædicasse etiam dicitur, Papam non esse audiendum, quod publicam vtilitatem ecclesiæ impediat, & contra fraternam caritatem agat. Etsi autem propter authori-

tatem, qua valebat apud populum, nihil moliri aduersus eum potuerunt Florentini: tamen pontificis hortatu damnatus est. Submissus fuit quidam Franciscanus monachus, qui Sauonorolam hæreticum & impostorem appellauit, quod sibi fingeret arcana cum Deo colloquia. Acta est caussa coram magistratu, ac vt verisimile magis videretur crimen, ad ignis probationem prouocauit Sauonorolam, vt nisi planum faceret quod dixisset, ignis supplicium subiret. Hic inuentus est familiaris quidam Sauonorolæ, qui conditionem accepit, & si aduersarius crimen demonstraret, ignem ingredi pro Sauonorola voluit. Ad diem verò constitutum aduersarius ad certamen susceptum panem azymum consecratum attulit, vt cum eo, si caussa caderet, combureretur. Quod ferre magistratus noluit. Itaq; infecta re discessum est. Populus vero incitatus facto concursu in Hieronymum irruit, eumq; cum duobus socijs ordinis prædicatorum grauißimis tormentis

mentis ſubiecit, & occidit. Quod vbi pontifex cognouit, miſſo legato, cauſſam cognoſci & Sauonorolam cum ſocijs cremari iuſſit.

Andreas Caroloſtadius, de quo ſupra in cap. de profeſſoribus doctrinæ ſanctæ dictum, ex oppido Chemberga, vbi lignorum ſectione, & manuum operibus victum quæſiuit, profugus Tigurum, inde Baſileam venit, vbi mortuus eſt. Caroloſtad.

Andreas Oſiander natus anno 1498. primum Norimbergæ Euangelium docuit, & in conuentibus Auguſtæ & Ratiſponæ pontificijs ſeſe oppoſuit. Poſtea verò propter nouam religionis formam, quæ interim nominabatur, in Boruſsiam migrauit, & vſque ad finem vitæ, qui incidit in annum 1552. Regiomonte Eccleſiæ Chriſti inſeruijt. αὐτοδίδακτος *fuit, & vel errore, vel faſtu quodam ductus nouum certamen de iuſtificatione ſuſcitauit, anno Chriſti 1550. Docuit enim hominem non quidem Chriſti merito, quod fide ad nos* Andreas Oſiander.

applicamus, sed essentiali iusticia, quæ est ipse Deus, iustificari: quando is in credentibus habitat, & ad rectè agendum eos impellit. Hoc dogmate valdè turbauit Ecclesiam, & multum negocij Melanchthoni, & pijs doctoribus exhibuit, sed perspicuè tandem ex verbo Dei refutatus est. Ipsumq; adeò dogma anno 56. publico edicto Alberti ducis ex omni Porußia profligatum est.

Ioannes Brentius.

Ioannes Brentius in oppido Sueuiæ Villa natus, anno 1499. Halæ Sueuorum annos viginti sex Euangelium docuit vsque ad annum 48. quo Cæsar decretum de religione factum ab omnibus recipi volebat. Hoc ergo cum Brentius facere recusaret, in periculo magno versatus est. Hispani enim in domum eius inuaserunt, vt prædam inde auferrent. Ipse verò in fuga à duce VVirtembergico receptus est, & clam sustentatus. Tandem ab eodem ecclesiæ, quæ est Studgardiæ præfectus est, vbi etiam mortem obijt anno 1570. Maiestatem & omnipræsentiam carnis

Chri-

Christi compluribus scriptis defendit.

Georgius Maior Norimbergæ natus anno 1502. VVitebergæ Theologiam professus est. Vnde ad colloquium Ratisponense missus anno 46. pro Euangelij doctrina repurgata propugnauit. Propositionem edidit, quæ motus magnos fecit: Bona opera sunt necessaria ad salutem. Sed eam ipse sic interpretatus est, vt neq; meritum, neq; caussam salutis vllam bonis operibus tribuat. Georgius Maior.

Caspar Cruciger natus Lipsiæ anno 1504. natura melancholicus. Ergo & ingeniosus: quamuis initio tardior & segnior parentibus visus fuerit, quod animum in res defixum & nimis intentum haberet. Primum à Georgio Helto, postea à Bornero, tum à Petro Mosellano, & Croco in literis Latinis & Græcis eruditus est in patria. Inde VVitebergam venit, & cum literarum Latinarum & Græcarum scientia linguæ Hebrææ cognitionem excellentem coniunxit. In mathematis vero eos progressus fecit, vt artificibus præstantissimis Caspar Cruciger.

anu-

annumerari posset. Instrumenta summo ingenio summaq; arte confecit, quibus & loca stellarum fixarum, & æquinoctia obseruauit. Ac æquinoctium quidem autumni parum à calculo discrepare animaduertit: Vernum verò penè sedecim horis integris tardius fieri, quam computationes vsitatæ ferunt, deprehendit. Quid de medicina dicam? cuius ille plerasq; partes sic animo comprehenderat, vt & simplicia penitus cognita haberet, & morbos eorumq; remedia nosset. Accessit ad hæc Theologiæ professio. Nam & publicè scripta Prophetica & Apostolica enarrauit, & conciones in templo habuit. Luthero carus pluribus de causis fuit. Nam & in interpretatione Bibliorum ab eo adiutus est, non minus quam ab Aurogallo & Forstero, à quibus obscuriorum locorum explanationem requisiuit. Et cum scribendi celeritate valeret Cruciger multæ conciones & lectiones Lutheri ab eo exceptæ sunt & editæ, non pauca etiam eiusdem scripta ab eo conuersa sunt

Forsterus Aurogal.

ſunt. Fuit igitur συνεργὸς Lutheri, ex eorum numero qui profeßionem purioris doctrinæ fideliter auxerunt & honeſtarunt. Anno ætatis 44. colicis cruciatibus extinctus eſt, Chriſti anno 1548. Eius dictum memorabile eſt: Credo Domine fide languida, ſed fide tamen.

Georgius princeps Anhaltinus natus anno 1507. VVitebergæ à Luthero & Melanchthone eum diſciplinas liberales omnes, tum inprimis magna cura Theologiam didicit. Quare præpoſitus Eccleſiæ Magdeburgenſis deſignatus eſt, & coadiutor factus in Epiſcopatu Merſeburgenſi, munus veri Epiſcopi ſedulò diligenterq́ue obiuit, conciones magna grauitate & facundia habuit; mæſtorum animos conſolatus eſt, gregem ſibi commiſſum curauit, Eccleſiam viſitauit, & nihil prætermiſit, quod ad animi corporiſq́ue ſalutem pertineret. Rarum exemplum ſanctitatis, & prædicatione, præconioq́ue ſempiterno efferendum. Mortuus anno 1553. Georgius princ. Anhaltinus.

Pau-

Paulus Speratus.

Paulus Speratus in Sueuia ex nobili familia prognatus anno Christi 1484 primum Lutetiæ & in Italiæ Academijs literas coluit. Deinde ad studium sacrarum literarum animum appulit; & in quibusdam Germaniæ ciuitatibus verbum Dei professus pontificios abusus liberè ingenueq́; refutauit. Quamobrem accusatus ab Olomucensi episcopo & in carcerem coniectus est. Ex quo tamen diuinitus euasit, & Vuitebergam ad Lutherum profugit, anno 1524. Is benignè illum recepit, & in Borußiam misit, vbi paucis annis post Pomezanensi episcopatui præfectus est, in quo castè integreq́; vixit, & zelo magno pro doctrina Orthodoxa propugnauit, falsam verò redarguit. Extant cantiones ab eo compositæ, pietatis ac veræ religionis plenißimæ: Salus nobis illuxit. In Deo confido. O Deus quanta est hominum miseria.

Ioannes Caluinus.

Ioannes Caluinus, Nouiodunensis, pastor ecclesiæ Geneuensis per annos 23. cura, industria, re, opera, & scriptis Eccle-

clesiam reformatam in bona parte Galliæ, Scotiæ, & vicinis regionibus iuuit & auxit. Anno 1538. Basilea Argentinã vocatus in schola theologiam docuit, & senatus permissu Gallicam ecclesiam ibi propter Gallos exules instituit. In colloquio Vuormatiensi anno 1541. cum Melanchthone, Capitone, Bucero, Brentio, pontificijs sese opponere paratus fuit: sed cum sententia eius de cœna Domini efflagitaretur, fassus est, non quidem Zuinglij verbis, in cœna sancta verbum est, idem esse, quod significat: sed esse in ea verum corpus & sanguinem Christi, verum fide tantum accipi. Et in institutione religionis Christianæ ait, duabus rebus constare sacrum cœnæ mysterium, corporeis signis, quæ ob oculos proposita, res inuisibiles secundum imbecillitatis nostræ captum repræsentent, & spirituali veritate, quæ per symbola ipsa figuretur simul, & exhibeatur. Ab eo Caluiniani cœperunt nominari, qui sententiam ipsius de cœna sancta profitentur. Ad exitum vitæ vocatus est, anno 1564. ætatis verò suæ 56.

Fran-

Franciscus Ximenius Cardinalis
Biblia complutensia. *& archiepiscopus Toletanus, anno 1515 præclarum opus Bibliorum Hebraicorum, cum tribus translationibus Chaldaica, Græca, & Latina edidit, sex tomis distinctum.*

Petr. Galat. *Petrus Galatinus Minorita, anno 1518. diuulgauit opus de arcanis Catholicæ veritatis aduersus Iudæos, defendendi caussa Capnionem.*

Theodorus Beza. *Theodorus Beza, anno 1519. natus, Geneuensis Ecclesiastes opera & scriptis Euangelij doctrinam atque professionem defendit atque dilatat. Quo in genere Caluinum ducem atque magistrum sequitur, pari studio, eademq; constantia doctrinam reformatæ Ecclesiæ voce & scriptis declarans, & in varietate magna certaminum ac colloquiorum pro ea propugnans. In doctrina de cœna Domini (quoniam de ea præcipua est dimicatio) non alium modum apprehendendæ carnis Christi agnoscit, quàm spiritualem, & qui fidei manu & ore percipitur. Oralem verò esum corporis Chri-*

Christi dignis & indignis communem reijcit. Scribit etiam in 9. caput ad Rom. quosdam ad iustum exitium à Deo esse esse conditos.

Mathias Flacius Illyricus, circa annum Christi 1520. natus, Theologiæ studio à primis annis delectatus est, & in Italia monasterium ingressus esset, nisi à Franciscanorum prouinciali ministro, qui postea ob Euangelij confessionem Venetijs submersus est, admonitus fuisset, vt in Germaniam ad cognoscendum puram religionem sese conferret. Huius igitur suasu primum Basileam venit, anno 1539. vbi à Grynæo liberaliter acceptus & habitus est. Inde Thubingam, Thubinga VVitebergam accessit, & Lutherum, Melanchthonem, & VVinsemium græcas literas profitentem audiuit. Tentationibus diuturnis & grauibus vexatus est, quæ postquam ad Pomeranum & Lutherum delatæ fuerunt, publicæ preces pro eo susceptæ sunt, quibus etiam adiutus est, & leuatus. Anno 1545. Hebræas literas ibi Flacius Illyricus.

docuit, & cum anno 1548. propter nouam religionis formulam, quam Interim vocabant, deliberationes essent in ecclesia, de adiaphoris præsertim, cœpit Flacius VVitebergensibus & Lipsensibus Theologis sese opponere, editisq́ scriptis Magdepurgi defectionis cuiusdam à vera doctrina eos insimulauit, quasi pontificiorum caussa quædam concessissent, quæ absque impietate probare non possint: vsus ad ornandum & stabiliendum caussam suam hoc axiomate: Quæ per se adiaphora sunt, ea, cum affertur necessitas, vel accedit opinio cultus, vel alioqui ad impietatem patefit aditus, adiaphora esse desinunt. Anno 57. Ienam vocatus sacram scripturam docuit. Inde dimissus Ratisponam peruenit, & tandem Francofurti ad Mœnum anno 75. ætatis verò 55. mortuus est.

Vlricus Zuinglius. *Vlricus Zuinglius Heluetius, anno 1519. Tigurinum vocatus ad ecclesiæ ministerium, per omne tempus vitæ Euangelium ibi docuit. Indulgentias papales*

les à Franciſcano quodam venditatas, paulò poſt Lutherum cum Tezelio pugnantem oppugnauit, & fraudem impoſturamq́ detexit. Inde ſenſim religionem totam reformauit. Quòd vbi cognouit Conſtantienſis epiſcopus, & pontifex, literis eum vt deſiſteret, hortati ſunt. Miſſus quoq́ ad eum eſt Ioannes Faber, epiſcopi Conſtantienſis vicarius, qui cum eò diſputationem quidem inſtituit: ſed cum neq́ is, neq́ alius ex toto pontificiorum cœtu refutare doctrinam Euangelij poſſet: Senatus Tigurini edicto traditiones humanæ abrogatæ ſunt, & Euangelium ex ſcriptura ſacra tradi cœptum. Quin imagines etiam eiectæ & exuſtæ ſunt, miſſa abolita, & ceremoniæ pontificiæ exterminatæ. Verba cœnæ Dominicæ, hoc eſt corpus meum, per tropum ſic interpretatus eſt, quaſi dixiſſet Chriſtus, hoc ſignificat corpus meum, vel, hoc eſt corporis mei ſignum: nec ore, ſed corde tantum, neq́ corporaliter, ſed ſpiritualiter tantum ſumi corpus & ſanguinem Chriſti docuit. Anno 31. in bello Ioan. Faber.

Heluetico, inter Euangelicos & paganos pontificios, cum more Tigurinorum in aciem prodijsset, vna cum Tigurinis cæsus est, & cum insequentibus hostibus in fuga ter succubuisset, & iterum sese erexisset, tandem cuspide sub mento fixa in genua prolapsus, hæc verba recitasse dicitur: Ecquid hoc infortunij? age corpus quidem occidere possunt, animam non possunt, & mox expirauit. Hostes verò etiam in mortui corpus acerbitatis suæ virus euomuerunt.

Caspar Suengfeld. Caspar Suenckfeldius nobilis Silesius anno 1526. dogmata sua contra pontificiam & Euangelicam religionem disseminare cœpit, primum in Silesia, postea Argentorati, tum in Sueuia, & paßim apud nobiles familias. Idq; clam, quod scripta eius edicto imperij prohibita essent. Fuerunt autem dogmata eius complura, primum negauit humanam naturam Christi esse creaturam, adeoque Christum secundum humanam naturam naturalem Dei filium esse, patriq; per omnia æqualem contendit. Secundo,

cundò, ministerium quidem ecclesiæ, & Sacramenta non reiecit, sed media esse, per quæ Deus efficax sit ad salutem & vitam credentibus impertiendam negauit. Verba Cœnæ sanctæ sic interpretus est, quasi corpus Christi pro nobis fractum, sanguisq́ pro nobis profusus tantum cibus & potus sit ad vitam æternam. Nam pronomen hoc simpliciter ait demonstrare spiritualem & cœlestem cibum. Politicus fuit, & dum contrahendis negocijs implicatus esset, diuinitus se vocatum esse ad studium tractandi cœlestem scripturam commentus est.

Ioannes Cochleus Norimbergensis, pertinaciter infensus Luthero, anno 30. Augustæ cum Eccio caussam protestantium oppugnauit. Inde in colloquio Ratisponensi, cum Maluenda Euangelicis restitit, &, quoad vixit, Lutheri & Melanchthonis scripta dente maledico carpsit & insectatus est. **Ioannes Cochleus.**

Georgius Vicelius Saxo, apostata, VVitebergæ primum Theologiam didicit. **Georgius Vicelius.**

est. Inde Lipsiam commigrauit, & sub duce Saxoniæ Georgio aduersus Lutheri doctrinam calamum strinxit. Lipsia pulsus Moguntiæ & Coloniæ reliquum vitæ transegit.

Fridericus Staphylus.

Fridericus Staphylus VVestphalus, apostata, VVitebergæ amplius decennium literas, linguas, artes, & Theologiam imbibit, tum magisterij etiam gradum ibi adeptus est, & ad mensam Melanchthonis adhibitus. Inde commendatione Melanchthonis in Borussiam venit, & apud Regium montem sacras literas ad exemplum Lutheri & Philippi interpretatus est. Cum autem ab hostibus compluribus inuaderetur, Vratislauiam concessit. Sed paulo post in Borussiam reuocatus, aulæ consiliarius est factus. Ingruebat tunc Osiandri dogma, quod cum ferre Staphylus non posset, Vratislauiam rediјt, & tandem ob pericula, quæ Euangelicis impendebant, & ob Theologorum etiam dissidia, ad Catholicos defecit, ac Nissæ in Silesia literas docuit. Hinc Euangelicis infe-

stus

ſtus inimicè eos inſectatus eſt, & Viennæ, Ingolſtadijq́; pontificiam religionem defendit, ac propagauit. Conſiliarius complurium principum fuit, Ferdinandi, Alberti Bauariæ ducis, & Cæſaris deniq; ipſius. Ceßit è vita, anno 1554. ætatis verò 50.

Fridericus Myconius

Fridericus Myconius Gotanæ ecleſiæ in Thuringia paſtor fidelis, probus & Luthero in primis carus: cum miſero diuturnoq́; morbo intabeſceret & mortem impendentem in dies ſingulos expectaret, conſolatus eſt eum Lutherus epiſtola, qua fidem ei fecit, non moriturum eſſe illum, niſi prius ipſe mortuus eſſet. Id enim precibus ſe impetraſſe à Deo confirmauit, atq; adeò certum eſſe de euentu. Eodem anno nempe 46. è vita exceßit vterq;, ſed Myconius quadraginta nouem dierum interuallo Lutherum ſecutus eſt.

Franciſcus Stancarus

Franciſcus Stancarus Mantuanus, nouum dogma anno 1551. diſſeminauit, quod Chriſtus mediator ſit tantum ſecundum humanam naturam. Sed refutanit

tauit eius errorem Philip. Melanchthon anno 1553. tanta perspicuitate ac euidentia, vt fractus atq; repressus facilè bellum reliquis traderet.

Bernardus Ziglerus. *Bernardus Ziglerus, Laterensis latinè dictus, nobilis ex gente Misnica, propter Hebræarum literarum scientiam principem locum & authoritatem in his regionibus tenuit: quas etiam annis multis in Academia Lipsica professus est. Carus vehementer fuit & iucundus Melanchthoni pluribus de caussis. Nam & de lingua Hebrææ difficilioribus & obscurioribus locis familiares sermones cum eo contulit, & ingenio, moribusq; illius mirificè delectatus est. Fuit in eo grauitas & constantia in dictis & factis; tum libertas etiam magno viro digna, quamq; tempora & mores sæpe postulant. Fraudis verò & simulationis non modo crimen, sed suspicionem etiam accuratè vitauit & integritatem, candoremq;, cum gratificandi ac benefaciendi studio cunctis probauit, vsq; ad annum ætatis 56. quo ad*

exi-

exitum vitæ vocatus est, nempe anno Christi 1552.

Alexander Alesius natione Scotus, Theologiæ gnarus inprimis, & disputator acutus atque peritus fuit, VVitebergam venit anno 1533. Inde progressus est Lipsiam, vbi scripturam sanctam multos annos docuit, Melanchthoni coniunctißimus officijs, vsu, consuetudine. Anno 61. Naopurgum in Turingiam, vbi principes Augustanæ confeßionis cum Theologis suis conuenerant, vocatus, operam, & fidem in dando consilio nauauit. Lucem hanc deseruit anno 1565. mense Martio. **Alexander Alesius.**

Ioannes Pfeffingerus ecclesiastes Lipsiensis, natus anno 1493. ex Bauaria venit VVitebergam anno 1523. Cum autem duci Saxoniæ Georgio mortuo succeßisset Heinricus frater, Lipsiam vocatus est, & abolitis ritibus pontificijs præconij Euangelici lætum initium ibi fecit, & quasi sitim diuturnam ciuium incredibili gaudio expleuit. Idq; factum est ductu & auspicijs Lutheri, **Ioannes Pfeffinger.**

qui eodem accersitus, pontificium statum in Euangelicum conuertit, successu & celeritate tanta, vt cum Paschatis tempore pontificij fuissent Lipsenses, Pentecostes festo Euangelium pleno ore profiterentur. Mansit in hoc docendi munere Pfeffingerus vsque in annum ætatis 80. & Ecclesiam Lipsensem magna grauitate, cura, ac moderatione gubernauit, vsq; ad annum Christi 1573. Ita curriculum eius bene longum in Ecclesiastico munere totos annos 55. comprehendit. Concio eius erat grauis & suauis, plenaq; literatæ senectutis.

Erasmus Sarcerius.

Erasmus Sarcerius Annæbergæ, ducatus Saxonici oppido natus anno 1500. primum in scholis compluribus literas & artes docuit, Viennæ in Austria, Grecij in Styria, Lubeci in Saxonia, Rostochij in ducatu Megalpurgico. Deinde progressus ad Ecclesiæ gubernationem episcopi veri, integri, & constantis munere functus est, primum Sigenæ in comitatu Nassouio. Inde ob nouam religionis formam, quam Cæsar statibus impe-

imperij proponebat, extrusus, Lipsiam venit, & templo Thomiano præfectus, munus pastoris insigni grauitate gessit, & conciones eruditas, acres, ardentes, amplas, & copiosas habuit. Relicta Lipsia Islebiensem Ecclesiam constituit, moderatus est, & auxit, vsque ad annum 1559. quo Magdeburgum sese contulit, & paucis concionibus illic habitis finem laborum & ærumnarum inuenit, & in cœlestem consuetudinem migrauit anno ætatis 59.

Iustus Menius.

Iustus Menius Fuldæ natus anno 1494. multis annis Gotæ in Turingia ecclesiastes fidelis & salutaris fuit, commendatus senatui illius vrbis à Melanchthone, cui valde iucundus, sicut & cæteris omnibus, qui iudicare aliquid de ingenijs & doctrina poterant, erat. Supremo autem vitæ tempore ob certamina à Flacio mota discessit ex Turingia, & Lipsiam profugit, vbi benignitate magna acceptus amplius annum docuit Euangelium, & anno Christi 1558. è vita excessit.

Ioan-

Ioannes Vuigandus Mansfeldiæ ad radices montis Meliboci vel Herciniæ natus anno 1523. Vuitenbergæ Lutherum, Philippum, & alios doctores audiuit. Inde Norimbergam vocatus, in schola aliquantisper docuit, sed maturè VVitenbergam reuersus, interruptum studiorum cursum continuauit, & gradu Magisterij ornatus, in patriam ad Ecclesiasticum munus accitus est. Mansfeldia Magdeburgum inuitatus, Pastoris & Superintendentis munus suscepit. Magdeburgo Ienam venit, ibiq; in Academia docuit, & Ecclesiam gubernauit. Iena pulsus, Vuismariam accersitus curam docendi, & inspiciendi ecclesiam recepit. Vuismaria in Borussiam profectus primum Regiomonte docuit, postea episcopus Pomezaniensis factus, vsque ad duodecimum annum eo munere functus est, & anno Christi 1587. è vita migrauit.

Erhardus Sneppius Heilbronnensis Vuimpinæ, Marpurgi, Stutgardiæ, Tubingæ docuit. Tubingæ pulsus propter nouam

nouam religionis formulam à Carolo propositam, Ienæ Euangelij doctrinam propagauit, adfuit conuentui Augustano anno 30. & colloquijs, quotquot religionis causa instituta fuerunt, mortuus anno 58. ætatis 63.

Heinricus Salmutus pastor ecclesiæ Lipsensis, collega Pfeffingeri, & tandem eo mortuo Superintendens, natus est anno 1522. Doctrinæ & methodi Melanchthonis amator ac propagator sincerus & fidelis, cuius concio erat placida, & cum lenitate quadam æquabiliter profluebat, sensus & neruos doloris & solatij habens: cessit vita anno 1576. mense Maio, ætatis 55. Heinricus Salmutus.

Michael Seruetus Hispanus, negauit Christum esse Deum, & iccirco adorare illum recusauit. Itaq; condemnatus est, & exustus Geneuæ anno 1553. Seruetus.

Paulus Eberus in oppido Franciæ Kittinga natus anno 1511. VViteberga doctrinam Lutheri & Philippi summa auiditate comprehendit, & mortuo Bugenhagio, pastor eius loco designatus Paulus Eberus.

est,

est, fideliterq́ gubernauit Ecclesiam, conciones habuit, & in academia docuit, vsq; ad annũ 1569. quò è vita migrauit. Philosophus fuit insignis & Melanchthoni præter cæteros carus.

Ioannes Hessus sapiens, & omni laude cumulatus orator, anno 1525. Vratislauiæ primus ministerium doctrinæ purioris incoauit. Collega eius fuit Ambrosius Moibanus, pietate, doctrina, & moderatione insigni præditus. Hi vna mente coniunctaq́ opera Ecclesiæ doctrinam emendarunt, abusus sustulerunt, idolatriam, superstitionemq́ abrogarunt, & ordinem Ecclesiasticum vtilem instituerunt. Ad quam quidem rem inprimis moderationem magnam adhibuerunt, ne vel doctrinæ nouitate animos populi offenderent, vel rituum Ecclesiasticorum mutatione pontificios exasperarent, vel regem etiam ipsum in se concitarent. Quocirca ante omnia doctrinæ veræ fundamenta ex verbo Dei iecerunt, Euangelij, & politicæ potestatis discrimen inculcarunt,

Ambrosius Moibanus.

runt, & quæcunque ceremoniæ Ecclesiasticæ, inuiolata religione, seruari poterant, eas retinuerunt. Adiuuit emendationis opus Episcopi quoque moderatio, qui tametsi sacerdotum vocibus ad vim faciendam solicitabatur, à violentia tamen abstinebat, ne motus maiores suscitarentur. Quin Ferdinandi regis mentem etiam sic flexit Deus, vt contra multorum incitationes, incoatam emendationem non solum non impediret, sed vsum eius vsque ad legitimam in synodo dijudicationem permitteret. Iacobus Salzensis Episcopus Vratisl.

Ioanni Hesso in pastoris munere successit Ioannes Aurifaber Vratislauiensis, qui tam literarum, quàm religionis doctrinæ peritißimus, mirifico studio ac fide doctrinam veram propagauit, & vitæ sanctimonia commemorabili ornauit. Ioan. Aurifaber.

Heinricus Bullingerus Heluetius, ingenio, doctrina, & pietate excellens, annos 50. pastor Ecclesiæ patriæ, quæ Heinricus Bullingerus

est

est Tiguri, fuit, & anno ætatis 71. Christi verò 1575. obijt.

Petrus Martyr.

Petrus Martyr Florentinus, primos ætatis annos inter monachos Fesulani monasterij consumsit. Inde egressus Batauij, Bononiæq; literis latinis, græcis, & hebræis pectus suum perpoliuit. Cum autem primum Neapoli; postea Lucæ puriorem religionem docere cœpisset, nomen eius de hæresi ad pontificem delatum est. Ex quo cum periculum ignis sibi certum impendere intelligeret, suasu & opera amicorum Tigurum, inde Basileam & Argentinam concessit. Argentina in Angliam cum Bucero & Fagio profectus, tempestate verò turbulenta inde reiectus Tigurum redijt, & docendo, scribendoq; fructum ferre studuit. In Galliam vocatus à rege, à Nauarræo, & pijs quamplurimis colloquio Possiaci religionis caussa instituto, interfuit. Et anno 1562. ætatis vero 63. è vita migrauit.

Iosias Simlerus.

Iosias Simlerus in Tigurina ecclesia theologiam professus est, & ab inferis exci-

excitatas Samosateni, Arrij, Nestorij, & id genus aliorum hæreses voce & stylo persecutus est, patriæ historiam pura & illustri breuitate exposuit, & bibliotheca nouæ miro artificio distributæ telam incoatam successori suo, Ioanni Iacobo Frisio texendam, & absoluendam reliquit. E vita exijt anno 1576.

Conficere cupientem susceptum ecclesiæ doctorum in hoc millenario catalogum de medio cursu reuocat institutus libelli modus, quem eiusmodi esse omnino oportet, vt ne à superioribus Isagoges nostræ partibus discrepet. Quocirca prætermittendi & relinquendi mihi sunt multi magniq; theologi, quorum eruditio, opera, industria, fides, ecclesiæ plurimum emolumenti attulit. Relinquo igitur de veteribus Guitmundum archiepiscopum Auersanum, qui circa annum Christi 1060. scripsit de corporis & sanguinis Christi veritate in eucharistia contra Berengarium: Algerum, cuius extat scriptum de Sacramento corporis & sanguinis Dominici,

in quo transsubstantiatio defenditur: Stephanum episcopum Eduensem, qui de Sacramento altaris scripsit. Omitto missæ commentarios penè innumeros, Maximum monachum, cuius liber de Ecclesiastica μυσταγωγία extat, Nicolaum Cabasillam, qui de diuini altaris sacrificio librum edidit: Philotheum, VValafridum, Bernardum Augiensem abbatem, Hildebertum Cenomanensem episcopum, Florum magistrum, Radolphum de Riuo. Prætereo multos, qui hæreses confutarunt, Philasterium episcopum Brixiensem, Iulianum Pomerium, Rabbi Samuelem, Victorium Afrum, Paulinum episcopum Aquileiensem, Cerealem, Victorem, Gelasium, & alios prope innumerabiles. Recentiorum verò copia tanta est, vt recensere omnes nimis operosum sit. Satis ergo in præsentia fuerit aliquos ex magno numero indicasse, quorum labore adiuta & aucta est religionis vtriusque, Catholicæ & Euangelicæ professio. Interim fuere, & adhuc sunt non solum in singulis regionibus,

nibus, sed in singulis etiam ciuitatibus & Academijs doctores, quorum praeconio atque ministerio, quasi quodam cælesti rore suauiter rigatur ecclesia.

DE MARTYRIBVS.

Martyres, hoc est, professores doctrinæ veræ in tenebris pontificijs hactenus recitaui multos, sed plures multò inuenti sunt, qui succensa Euangelij luce, sanguine suo tanquam sigillo fidem in Christum testati sunt. Equidem P. Paulus Vergerius episcopus Iustinopolitanus, quem aliquoties legatum in Germaniam misit pontifex Romanus, scribit sua ætate, intra annos triginta, 150000. Christianos diuersis in locis ex inquisitione prauitatis hæreticæ alios alijs supplicijs atque tormentis trucidatos esse. Regnante in Anglia Maria sæuitum est crudelissimè in viros & mulieres, in pueros, adolescentes, ac decrepitos. Et, vt scribit Guilelmus VVittynganus, duobus plus minus annis, amplius

octingenti propter confeßionem Euangelij interierunt, magna verò turba peregrinorum in Daniam & Germaniam profugit. Alius circiter duo millia martyrum in Anglia numerat. Hiſpania quot martyres peperit? Gallia certè cum primis fœcunda fuit mater martyrum. Nam & ſingulos igne, ferro, alijſue ſupplicijs ſuſtulit; & Valdenſes vniuerſos propter purioris doctrinæ confeßionem, immanitate horribili, ſine vlla ætatis aut ſexus ratione, anno 1535. deleuit. Quid de Belgio dicam? quod iam ab anno 1566. quo dux Albanus cum exercitu eò venit, totum fermè martyrum cruore commaduit, ac redundauit. Profectò non numero vllo comprehendi poſſunt, qui Euangelij cauſſa parentibus, liberis, cognatis, fortunis, dignitate ſpoliati ſunt, proſcripti, damnati, vinculis, verberibus, gladijs, igni, atq; omni ſupplicio excruciati atque necati. Deniq; quid aliud ſunt hodie, quotquot Euangelium Chriſti profitentur, quàm oues ad mactationem deſtinatæ?

natæ? quid aliud minatur fœdus sanctum, quod vocant, quàm carcerem, exilium, ignem, ferrum, & interitum omnibus, qui Euangelium confitentur in Hispania, Gallia, Germania, Anglia, Scotia, regnisq́; & rebuspublicis alijs? Hic nimirum est fructus doctrinæ repurgatæ vberrimus, quo & beatorum numerus augetur, & cœlum completur.

CAPVT III.

DE CONCILIIS, EORVMQVE DECRETIS, & damnatis hæresibus.

Concilia tantùm ea ponam, quæ de religione, aut statu ecclesiæ aliquid tractarunt, aut decreuerunt, vel memorabile aliquid continent. Cætera de pontificijs ritibus, dignitatibus, aut reditibus tanquam ociosa, & à religione aliena prætermittam.

Anno Christi 1005. Imperatore Heinrico V. concilij Northusij ad Her-

cyniam

cyniam syluam coactum fuit, in quo cum primis actum est de ordine ecclesiastico, & disciplinæ, quæ tunc penitus collapsa erat, restitutione. Iccirco in multis partibus ea emendata est, & simonia abrogata, tum ministerio reuerentia magna tributa.

Anno Christi 1023. Salingstadij Synodus ab Aribone episcopo Moguntino coacta est, in qua aliquot decreta sunt facta. I. De ieiunijs in quorundam festorum vigilia seruandis. II. De nuptijs intermittendis ab aduentu Domini vsque ad octauas Epiphaniæ, & à diebus septuaginta vsque ad octauas Paschatis. III. Ne presbyter Missam eo die, cuius nocte præcedente post cantum galli, æstiuo tempore bibisset, celebraret. Postremò reprobata est superstitio presbyterorum, qui lineum corporale, in quo Christi corpus consecratum fuerat, in ignem coniecerunt, ad restinguendum incendium, vt est in chronico Hirsaugiensi.

Anno Christi 1059. Papa Nicolaus

laus II. concilium Romæ in Laterano habuit, in quo Berengarius damnatus & ad retractandum dogma suum compulsus est. Fuit autem Berengarius Turonensis, ecclesiæ Andegauensis diaconus, qui de Cœna sancta docuit, corpus & sanguinem Christi sacramentaliter tantum esse in pane & vino consecrato, non naturaliter, nec tam verba ipsa, quàm sententiam eorum spectari oportere. Hoc dogma pontifex Leo IX. primum in concilio Vercellensi improbauit. Deinde idem refutarunt Lanfrancus archiepiscopus Cantuariensis, & Guitmundus episcopus Auersanus. Tum Nicolaus II. coram centum quatuordecim episcopis prorsus damnauit, & ad palinodiam authorem eius adegit. Cuius palinodiæ verba in tertia parte decreti de consecratione, distinctione secunda recitantur: Ego Berengarius indignus Andegauensis ecclesiæ Diaconus, cognoscens veram Catholicam & Apostolicam fidem, anathematizo omnem hæresin, præcipuè eam, de qua hactenus infa-

Lateranense concilium.

Berengarij dogma.

Refutatio.

Guitmund.

Reuocatio.

matus sum: quæ astruere conatur, panem & vinum, quæ in altari ponuntur, post consecrationem solummodo sacramentum, & non verum corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi esse, & non posse sensualiter nisi in solo sacramento manibus sacerdotum tractari vel frangi, aut fidelium dentibus atteri. Consentio autem sanctæ Romanæ ecclesiæ & apostolicæ sedi: & ore & corde profiteor de sacramentis Dominicæ mensæ eandem fidem me tenere, quam Dominus & venerabilis Papa Nicolaus, & hæc sancta synodus authoritate Euangelica & Apostolica tenendam tradidit, mihiq; firmauit: scilicet panem & vinum, quæ in altari ponuntur, post consecrationem non solum Sacramentum, sed etiam verum corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi esse, & sensualiter non solum sacramentum, sed in veritate manibus sacerdotum tractari, frangi, & fidelium dentibus atteri. Cum autem latè disseminatum esset Berengarij dogma, & vt fit, ab

ab alijs probatum ab alijs improbatum: publicauit pontifex confeßionem eius in Gallia, Italia, Germania: vt qui ante hæresi eius doluissent, tunc eiusdem conuersione lætarentur, & qui cum eo sensissent, tandem agnito errore ad sanitatem redirent.

SYNODVS PAPÆ GREGORII VII. in qua coniugium sacerdotum fuit damnatum, anno Christi 1074.

Gregorius VII. magna cura & contentione id egit, vt clericis iugum cælibatus perpetuum imponeret. Non enim fas esse existimauit, eum sacra Domini administrare, qui in coniugio viuit. Itaque frequentes synodos in Italia indixit, & cum Episcopis tandem hoc decretum fecit, vt ad sacerdotium nemo admitteretur, nisi cælibatum perpetuum profiteretur. Qui verò vxores haberent, vt eas vel dimitterent, vel sacerdotium desererent. Publicauit hoc decretum per omnem Italiam, & Galliæ

Marianus. Scotus. Sigebertus. Nauclerus. Schafnaburg.

etiam Episcopos crebris literis hortatus est, vt idem & ipsi ratum haberent. Sed offensi eo clerici fremere, & repugnare totis animis atque viribus cœperunt, hæreticum dogma esse & impium dictitantes: quod in medio esset & notum omnibus Dei verbum, quod ait: Qui se non continet, nubat. Melius est enim matrimonium contrahere, quàm vri. Tum satis etiam constare, Spiritum sanctum per Sacramentum esse efficacem, siue per bonos siue per malos administretur. Coniugio igitur sacerdotes arcere nihil esse aliud, quàm verbum Dei euertere, naturæ cursum impedire, & libidini, scortationiq́ue frena laxare. Quod si alterum omnino oporteat facere, satius esse sacerdotium, quàm coniugium deserere. Tum demum fore manifestum, si homines ad gerendum sacerdotium desint, an angeli inueniantur, qui ecclesiam gubernent. Pontifex verò de seueritate sua nihil remittens, crebris legationibus atq́ue conuitijs obedientiam efflagitabat. Archiepiscopus quidem

Mogun-

Moguntius cum difficile esse perspiceret, nouum hoc & adeo durum iugum sacerdotibus obtrudere: Primum hortabatur suos blandè ad obediendum, deinde minari, nisi obtemperent, aggressus est.

Ac ne quid inconsideratè videretur agere, deliberandi tempus in annum dimidium dedit. Tandem Synodum Erfurdiæ indixit, qua id quod moliebatur, conficeret, & sacerdotes vel ad deserendum coniugium, vel ecclesiæ ministerium cogeret. Hi verò cum neq; rationibus, neq; precibus, neq; supplicationibus obtinere, quod æquum erat, possent, simul egreßi, tanquam mox in synodum reuersuri, foris deliberarunt de turbando & è medio tollendo episcopo, priusquam sententiam tam execrabilem contra sacerdotes ferret: laudabilius esse iudicantes memorabili ad omnem posteritatem exemplo ordinis sui ius diuinitus concessum tueri, quàm cuiuscunq; commodi caussa illud prodere. Quod vbi Episcopo renunciatum

est,

est, omissa actione orauit, vt pacatis animis in synodum redirent, pollicitusq́ est, se omnem curam & operam adhibiturum esse, vt quo ad eius fieri posset, pontifex ab asperitate decreti deduceretur.

CONCILIVM CLAROMONtense in Gallia.

Anno Christi 1095. placuit Papæ Vrbano II. terram sanctam bello recuperare, & ad obedientiam Ecclesiæ Romanæ reducere. Itaque concilium Claromontense indixit, factoq́ decreto ad expeditionem in terram sanctam principes Christianos hortatus est. De quo infra in actis imperatorum. Bono autem an malo consilio fecerit pontifex, iudicent alij. Principum quidem studium laude & prædicatione sempiterna dignum est, qui pontificis iussu subuenire Ecclesiæ afflictæ & oppressæ cupiuerunt. Sed considerandum forte illud fuit, quod à Pindaro dictum est, ἕα πόλεμον, ἕα μάχαν χωρὶς θεοῦ, *mitte bellum,*

lum, mitte pugnam absq; Deo. Equidem ex verbo Dei satis constat, sic Deum irasci terræ sanctæ, vt benedictionem in maledictionem conuerterit, & templum, vrbemq; Hierosolymam ita euerti funditus voluerit, vt reparari nunquam poßit. Et quid est Ecclesia per omnes gentes dispersa, si vetus templum, vnde Ecclesia noua prodijt, requiris?

LATERANENSE concilium.

Anno Christi 1116. Papa Paschalis II. Synodum vniuersalis concilij celebrauit Romæ in sede Lateranensi, ad quam ex diuersis regnis & prouincijs venêre Episcopi, abbates, cum comitibus & legatis omnium prouinciarum. Pontifex primum de bellicis suis conatibus multa commemorauit, quæ ab episcopis cum molestia magna fuerunt audita. Itaq; surrexit ex illis vnus, qui nomine omnium admonuit Papam, vt cur tam longinquis itineribus conuocasset episcopos, recordaretur, & ea proponeret,

ret, quæ ad ecclesiæ vtilitatem pertinerent, quæq; ipsi domum reuersi renunciare suis possent. Tunc veniam petijt pontifex, & quod ante imperatori Heinrico V. concesserat, vt ius & potestatem haberet conferendi episcopatus, & abbatias siue prælaturas per annulum & baculum: id in præsentia reuocauit, damnauit, & abrogauit, per vim sibi extortum esse, inquiens, in castris. Itaque prauilegium non priuilegium appellauit, & imperatorem insuper etiam anathematizauit. Huic plausus ab vniuerso concilio datus est, & ita conclamatum, fiat, fiat. Hinc deficere ab Imperatore episcopi & principes in Germania multi cœperunt, vt postea dicetur.

LATERANENSE MAXImum, Anno 1215.

Papa Innocentius III. concilium Romæ celebrauit, cui interfuerunt patriarcha Hierosolymitanus & Constantinopolitanus, Metropolitani 70. episcopi 400. abbates 12. priores conuen-

tuales

tuales 800. Græci & Romani imperij legati, & oratores regis Hierusalem, Franciæ, Hispaniæ, Angliæ, & Cypri. Acta sunt alia multa, tum transsubstantiatio etiam confirmata est, hoc est, conuersio panis & vini in corpus & sanguinem Christi, quasi post consecrationem panis in corpus, vinum in sanguinem Christi mutetur. Pronunciatum est etiam contra Ioachimum Abbatem pro magistro sententiarum, qui sic argumentatus est. Transsubstantiatio.

Idem non gignit seipsum.
Essentia est eadem.
Essentia igitur non gignit neq; gignitur.

Quod sophisma Ioachimus Abbas impugnauit, & sophisticam detexit. Idem enim aliàs incommunicabile est, cuiusmodi est proprijssimè dictum indiuiduum, aliàs communicabile, cuiusmodi est essentia diuina. Quamobrem gignit & gignitur & procedit. Factus est quoque canon de confessione peccatorum semel in anno edenda & de cura tegendi ea, quæ in confessione Quæstio an essentia gignat. Tegenda quæ in confessione dicuntur.

dicun-

dicuntur. Tum de bello ſacro, & recuperanda Hieroſolyma decretum eſt, factum. Quod vt alacrioribus animis ſuſciperetur, & maioribus viribus gereretur, miſsi ſunt in omnes fines Chriſtiani orbis doctores, qui non voce ſolum excitarunt homines, ſed ſigno etiam crucis notarunt omnes, qui ſacræ militiæ nomen dabant.

VIENNENSE.

Anno Chriſti 1311. Papa Clemens V. Viennæ in Gallia concilium generale celebrauit, quod biennium durauit. In hoc probatæ ſunt inprimis conſtitutiones Clementinæ. Deinde concluſum eſt, animam rationalem per ſe & eſſentialiter eſſe formam humani corporis. Tum decretum eſt, in baptiſmo tam paruulis, quàm adultis gratiam tribui, virtuteſq́ infundi. Confirmatum quoq; eſt feſtum corporis Chriſti, ante annos 49. ab Vrbano IV. inſtitutum, vt feria V. Dominicæ Trinitatis celebretur, & indulgentias habeant, quotquot eius celebrationi

tioni intersunt. Postremò templariorum ordo condemnatus est, postquam annos 184. steterat. Memorabilis etiam est constitutio in hoc concilio edita, de discendis linguis, Græca, Hebræa, Chaldæa, & comprobati sunt gradus in Academijs.

CONSTANTIENSE.

Anno Christi 1414. Constantiæ indictum concilium mense Nouembri incoatum est, circa Maium verò anni 1418. finitum. Caussa conuentus fuit schisma pontificum Romanorum, cum tres essent, qui se pro veris pontificibus gererent, Ioannes XXIII. Romæ, Gregorius XII. Arimini, & Benedictus XIII. in Hispanijs. Ventum erat in contentionem discrimenq; tantum, vt ruinam vndiq; minaretur res pontificia. Non iam erat Cardinalium consilio locus vllus relictus, nec inuenire remedium tanto malo quisquam poterat. Vnus inuentus est Imperator Sigismundus, qui opem labascenti sedi Romanæ tulit. Nam vniuer-

Fuerunt in hoc concilio 65000. hom. archiepiscopi & epis 346.

uniuersam penè Europam incredibili celeritate peragrauit, vt ad concilium cunctorum principum animos alliceret. Hic pontifici quoq; Ioanni XXIII. persuasit, vt concilium indiceret, in quo de reparanda salute totius reipublicæ Christianæ agi posset. Conuocauit autem Papa ille concilium, non quidem vt saluti reipublicæ consuleret, sed vt id, quod sperabat, obtinere posset, nempe dominatum in ecclesia, damnatis & reiectis reliquis duobus pontificibus. Venit igitur Constantiam maturè; & quia de pontificum improbitate ante omnia deliberatio futura erat: opus fuit inprimis authoritate Imperatoris, qui ob id etiam partes suas egit strenuè, & annos fermè totos quatuor Constantiæ tanquam in statione mansit. Cum in oratione de reipublicæ conuulsione schismos horrendos nominasset, derisus fuit à Cardinali Placentino. Cui festiuè respondit, Placentinum minus sibi placere, quàm alijs, quod existimet Imperatorem, cum politicis legibus solutus sit, adeo præceptio-

ptionibus Grammaticis teneri. Vocauit autem Imperator reliquos duos Papas ad concilium : sed alter Gregorius XII. senectutis onere impeditus suo loco legatos misit. Alter verò Benedictus XIII. venire recusans, prælatos duos eò ablegauit.

In prima sessione abrogatus est Ioanni XXIII. pontificatus, scriptaq; fuit formula, quam accipere primum renuit ille, sed vim concilij metuens tandem approbauit.

In secunda sessione formula publicè recitata est, & professus est, spopondit, promisit, iurauit, & vouit pontifex, se pacis tranquillitatisq; publicæ caussa sponte ac liberè cessurum pontificatu, & obtemperaturum concilio.

In quarta & quinta sessione decretum statutumq; est, ecclesiam habere potestatem in Pontificem. Iussus autem secundum recitatam formulam pontificatu abire Ioannes XXIII. hîc atq; illic tergiuersatus est, & mutato habitu clam noctè aufugit, sed ex fuga re-

tractus, in custodiaq́ positus, per biennium retentus est. Tandem auro sese redimens Florentiam venit, & decretum in concilio factum denuo approbauit. Idcirco in gratiam receptus Cardinalatum consecutus est, & sede eminentiore aliquanto collocatus, quam reliqui Cardinales. Depositi deniq; sunt etiam reliqui duo pontifices, & electus est vnus consentientibus suffragijs Martinus V. vt supra etiam dictum est.

VVicleuus.

Altera species in cœna sacra.

Detractio alterius speciei in venerabili sacramento.

In sessione octaua, pronunciata est sententia damnationis doctrinæ Ioannis VVicleuij, qui inter alia docuit, substantiam panis materialis & vini materialis manere in Sacramento altaris. In sessione 13. reiecta est altera species in venerabili Sacramento cænæ; his verbis: Licet in primitiua ecclesia Sacramentum cœnæ acceptum sit à fidelibus sub vtraq; specie secundum Christi institutionem: tamen consuetudo ad euitandum aliqua pericula & scandala rationabiliter introducta est, vt à conficientibus sub vtraq; specie, & à Laicis

tan-

tantummodo sub specie panis suscipia-
tur : cum firmissimè credendum sit, &
nullatenus dubitandum, integrum Chri-
sti corpus & sanguinem tam sub specie
panis, quàm sub specie vini veraciter con-
tineri. Item, præcipimus sub pœna ex-
communicationis, vt nullus presbyter po-
pulum sub vtraq; specie communicet.

In sessione 15. damnati sunt arti-
culi Ioannis Hussi, qui ad concilium ve-
nerat instructus & munitus Cæsaris lite-
ris, & duobus comitibus VVenceslao de
Duba, & Ioanne de Chlum deductus. In
itinere aduentum suum in singulis oppi-
dis, quæ transijt publicè significauit, &
ad respondendum cuiuis de doctrina sua
sese obtulit. Acceptus autem fuit aman-
tissimè à plerisque, etiam in Norimber-
gensi republica. Ad concilium vbi ve-
nit, petiuerunt comites eius à pontifice,
vt tutum illum præstaret. Quod se fa-
cturum esse sanctè pollicitus est Papa:
si fratrem meum, inquiens, occidisset,
non comittam tamen, vt contumelia
vlla Constantiæ afficiatur. Mox arti-

Crimina Husso obiecta.

culos conscripserunt Cardinales, qui dogmata Hussi complectebantur. Vnus erat de specie vtraque Sacramenti Cœnæ Laicis porrigenda, alius de pontificis potestate, infra non supra ecclesiam collocanda. Alius de donatione Constantini nequaquam probanda, vtpote quæ opibus ecclesiam cumulasset. Alius de Ioanne VViclefo iniustè damnato. Etsi autem nihil tam in optatis ei erat, quam vt à concilio audiretur: tamen impetrare id minimè potuit, sed ad Cardinales tantum ductus est, & ab armatis vndique septus, tum contra fidem datam custodiæ traditus, primum in Cantoris ædibus, postea vero in prædicatorum monasterio ad Rhenum: vbi propter fætorem viciniæ cloacæ in febrim periculosam incidit. Hac leuatus aduocatum sibi concedi postulauit: sed negarunt Cardinales per ius Canonicum licere, hæreseos nomine suspecto aduocatum concedere. Ita ergo hyemem totam in carcere detentus est, vsque ad Mercurij diem eum, qui Dominicam palmarum

ante-

antecedit. In carcere scripsit aliquot opuscula de decem præceptis, de caritate & cognitione Dei, de coniugio, de pœnitentia, de oratione Dominica, & Sacramento cœnæ sanctæ. Eo autem die, cum fuga elapsus esset pontifex, traditus est Hussus episcopo Constantiensi, qui in arce eum sic custodiendum curauit, vt interdiu compedibus vinctus inambulare posset, noctu verò, ferro ad lectum alligatus teneretur. Interim equestris ordo Boiemicus omnes vias persecutus est, quibus eum liberaret, sed frustra. Paulo post, recitatis in concilio articulis contra Hussum, parum abfuit, quin absens statim, nondumq; auditus damnatus esset. Quod cum ad Boiemos delatum esset, illico Cæsarem appellarunt, qui concilio indicari iußit, ne damnare Hussum auderet, priusquam benignè audisset. Tandem igitur 5. Iunij productus ille, postquam articulus vnus, & pauca testimonia perlecta essent, respondere voluit, sed clamore populi impedi-

peditus verbum nullum proloqui potuit. Quare 7. Iunij iterum productus fuit, & articuli obiectorum criminum omnes recitati sunt. Cum autem ab eo postularetur, vt cederet, & concilij iudicio sese subijceret: respondit, libenter sese cessurum esse, si modo erroris vnius ex verbo Dei conuinceretur. Iccirco in carcerem iterum est ductus, vnde literas ad amicos complures scripsit, quibus eos in doctrina confirmauit, & de morte impendente eos certiores fecit. XVI. eiusdem mensis ductus est ab archiepiscopo Rigensi in templum magnum, vbi concio habita est, & offensio odiumq; graue in eum concitatum. Tum articuli errorum prælecti, de quorum vno cum respondere is vellet, imperatum est illi silentium. Postremo sententia condemnationis publicè recitata est, vt & ipse, & libri eius comburerentur. Scribunt vnum Cancellarium Cæsaris, Casparem Schlickium sententiam hanc vehementer improbasse, exijsseq; è concilio, & palam protestatum esse, ferri non

Caspar Schlick.

posse

posse tam præceps iudicium. Hussus vero damnatus nullum consternati aut abiecti animi documentum dedit, sed ante omnia pro hostibus suis precatus est. Mox veste sacerdotali indutus, iterum ea spoliatus est, vt priuatus omni potestate sacra videretur. Quod vsu venire solet de hæresi suspectis. Eodem modo etiam magisterij & Bacularíatus in Theologia gradu exutus est, & corona papyracea deformatus, in qua spiritus mali fuerunt picti cum hac epigraphe: Iste est hæresiarcha. Vbi ad locum supplicij venit, qui erat amplus satis in prato inter vrbem & arcem, voce contenta precatus est: O Domine Iesu Christe, hoc supplicium libenter sufferam propter sanctum tuum Euangelium & propter prædicationem verbi tui. Tu verò veniam da omnibus hostibus meis. Id à te ex animo precor. Deinde circumductus à carnifice circumstantes omnes rogabat, vt ne erroris vllius caussa ipsum esse captum crederent. Ad ignem propius admotus dixisse fertur:

age post annos centum rationem mihi reddere cogemini: hodie anserem assatis, sed post annos centum veniet cygnus, qui melius canet. Illum assare non poteritis. Multa etiam ad astantes dixit de doctrina sua, & alligatus palo, forte vidit rusticum quendam ligna apportantem ad augendum incendium. Quod festiuè ridens verba Hieronymi pronunciauit, O sancta simplicitas. Rogo iam incenso voce magna exclamauit; O Christe fili Dei viuentis miserere mei. Tum symbolum Nicenum cecinit, & vento flammaq; subito extinctus est. Memorabile est, quod Æneas Syluius scribit, Hussum, & Hieronymum Pragensem, qui sequente anno eodem in loco ob eandem confeßionem crematus est, animo magno & excelso ad supplicium perinde atq; ad conuiuium iuisse, nullumq; planè specimen animi demißi dedisse, sed in medio igne cecinisse. Cinis combustorum in profluentem Rhenum sparsus est. Sed Boiemi terram super qua combusti sunt,

Hieronymi Pragensis.

effode-

effoderunt, eamq; in Boiemiam secum asportarunt, tanquam rem sacram, & vtrumq; in martyrum numerum retulerunt.

BASILIENSE.

Anno Christi 1431. Papa Eugenius IIII. concilium iampridem à Martino V. indictum Basileæ conuocauit. Ad quod tamen ipse non venit, sed suo loco præsidere in eo iußit Iulianum Cæsarinum Cardinalem S. Angeli, qui propter Hußitarum hæresin iam ante in Germaniam missus erat. Cæsaris loco protectores concilij erant Ioannes comes in Dirstein, & Cunradus Vuinspergensis Baro. Varia inciderunt, quæ concilij cursum impediuerunt. Papa enim id vnum semper visus est quæsiuisse, vt vel patres concilij dißiparet, vel libertatem eis adimeret, vt Syluius scribit. Itaq; modò Ferrariam, modò Florentiam, modò Bononiam transferre conatus est: in Germania feroci & intractabili nihil geri aut effici posse, quod

ad

ad Ecclesiæ reformationem pertineat, dictitans. Reuocauit etiam Iulianum legatum, & pœnas maximas, nisi rediret, minatus est. Concilium vicißim citauit pontificem, vt vel ipse veniret, vel oratores suo loco mitteret, postulans: ni id faciat, contumaciæ pœnas maximas addit. Ita distractio pontificis & concilij horrenda extitit. Cui quidem vt remedium inuenirent principes Germaniæ, operam enixè dederunt. Itaq; conuentus complures habuerunt Naopurgi, Erfurdiæ, Francofurti, Moguntiæ, miseruntq; oratores Basileam, qui ad concordiam omni consilio & ratione hortarentur. Habuit vtraq; pars fautores suos. Pontificis quidem partes præter cæteros strenuè egit ac tutatus est tanquam Hercules quidam Nicolaus Cusanus, literarum scientia valde præstans, & vsu peritus. Cum disceptatum esset variè, placuit imperij Electoribus, & aliorum principum oratoribus incoatum concilium continuari, qui etiam decreta eius rata esse, atque obseruari

*uari à suis iusserunt. Quamobrem dispu-
tatum est in primis de Eugenio Papa,
hæreticus ne haberi posset, ob tantum ec-
clesiæ contemtum? inde conclusiones fa-
ctæ sunt hæ: veritas catholicæ fidei, sa-
crum generale concilium esse supra Pa-
pam. II. Concilium generale legitimè
congregatum sine pontificis ipsius consen-
su, nec dissoluere, nec transferre, nec pro-
rogare ad tempus ex authoritate sua po-
test Romanus pontifex. Idq; veritatis
eiusdem est. Verum hæ ipsæ conclusiones,
summa contentione impugnatæ sunt,
tantaq; exorta turba est, vt nunquam
in maiore discrimine concilium vllum
fuerit. Panormitanus quidem Euge-
nianorum Achilles, Ludouicus verò
Arelatensis Cardinalis concilij Hector
appellatus est. Plus tamen valuit Are-
latensis sententia, quæ ad expediendam
ecclesiæ salutem magis directa erat. Ic-
circo pontifice Eugenio deposito, nouus
est electus, Sabaudiæ dux Amadeus,
Laicus, & coniugatus, sed religiosissimus
princeps, qui dictus est Felix V.*

Cum autem Sigismundi Imperatoris cura & labore magno coactum esset concilium, caussa reformationis Ecclesiæ Romanæ, item caussa pontificis, & Cardinalium, tum etiam Boiemorum, qui ancipiti contentione ob nouam religionem Hußi erant distracti: iccirco facta sunt quædam decreta de celebrandis Synodis & conuentibus prouincialibus, de vitando concubinatu, de detractione alterius speciei in cœna sancta, de discendis linguis, Græca, Hebræa, & de constituendis stipendijs pro ijs, qui eas docent. Statutum est in sessione 30. fideles Laicos siue Clericos communicantes & non conficientes non astringi ex præcepto Domini ad suscipiendum sub vtraque specie panis scilicet & vini, sacrum eucharistiæ Sacramentum, sed Ecclesiam habere potestatem ordinandi prout pro reuerentia ipsius Sacramenti; & vt saluti fidelium viderit expedire. Decretum item est Mariam virginem sine peccato originis conceptam esse, idq́ singulari quodam priuilegio.

Decreta concilij.

Maria ἀναμάρτητος.

Tum

Tum vocati per literas & oratores concilij Boiemi & Moraui publica fide & commeatu libero illuc venerunt quarto Ianuarij, & palam suum gaudium vbiq; declararunt, quod tandem aliquando publicè audiendi essent. Inprimis accepit eos humanißimè Iulianus Cardinalis, qui etiam oratione quadam ad amplectendum Ecclesiæ matris consensum eos hortatus est. Ipsi verò responderunt, se neq; concilia, neque ecclesiam contemnere, sed id existimare, sententiam aduersus inauditos latam Constantiæ nihil de religione Christiana detrahere. Quæsitum est igitur, quibus in rebus ab Ecclesia Romana dissentirent? Mox illi quatuor articulos protulerunt, quorum primus fuit de communione sub vtraq; specie panis & vini. II. de ciuili dominio, quod Clericis interdictum lege diuina dicebant. III. de prædicatione verbi, quam liberam omnibus esse arbitrabantur. IV. de publicis delictis, quæ nulla ratione toleranda putarunt.

Quatuor articuli Boiemorum.

De

De his capitibus disputatum est diebus quinquaginta, vtrinq; delectis quatuor magistris. Et cum per eos effici ac nauari nihil posset, tentata est transactio, sed frustra. Scribunt Iulianum obiecisse Boiemis etiam hoc, quod mendicantium religiones pro inuento diabolico haberent: Ad quod respondit Procopius ille bellicosus, & poliorcetes, non falsum id esse, iuquiens. Nam si neq; Moyses, neq; ante eum patriarchæ, neq; postea prophetæ, neque in noua lege Christus instituerunt mendicantes: quis non intelligit, à diabolo eos originem habere? Tandem Boiemis ipsis inter se dissentientibus, re infecta, discessum est. Aiunt in concilio Basiliensi institutum esse festum visitationis Mariæ, conceptionis verò eiusdem confirmatum.

FERRARIENSE & Florentinum.

Anno Christi 1438. concilium Ferrariæ celebratum est, ad quod venit imperator Constantinopolitanus, Ioannes Paleo-

Palæologus VIII. & patriarcha Bizantinus cum episcopis, abbatibus, & prælatis multis ecclesiæ Græcæ, vt discordia, quæ inter Græcam & Latinam ecclesiam erat, sedaretur, & in corpus vnum vtraq; redigeretur. In primis igitur quæsitum est, vellentne tam Latini, quàm Græci, ex duabus ecclesijs iam pridem dissidentibus vnam fieri? quod cum velle & placere sibi vtraq; pars magna voce confirmasset, modo rationibus illa confutarentur, quæ dissidij caussa fuissent: vtrinq; delecti fuerunt, qui de his, quæ in controuersiam venerant, disputarent. Sed interrupit disputationem pestilentia, quæ Ferrariam inuaserat. Sequente igitur anno Florentiæ iterum disputatum est, tandemq; concordia sic reconciliata, vt vtraq; ecclesia crederet, Primum, Spiritum sanctum procedere à Patre & Filio. Secundo, Papam Romanum tenere primatum in vniuerso orbe. Tertio, Corpus Christi veraciter confici in azymo, & fermentato pane, prout ferat ecclesiæ Orientalis &

Decreta concilij

R Occi-

Occidentalis consuetudo. IV. Animas in purgatorio leuari missarum sacrificijs, orationibus, eleemosynis, & alijs officijs pietatis, quæ à fidelibus pro alijs fidelibus fieri consueuerint. Sed ab his decretis simul atque domum reuersi fuerunt Græci recesserunt, & ad priores sententias redierunt, immò multo etiam alieniore animo à pontifice Romano, quàm ante fuerant, facti sunt. Sub exitum concilij aduenerunt legati patriarchæ Armeniorum, qui & ipsi suum cum ecclesia Romana consensum declararũt, & decretis eius parere se velle confirmarunt. Statutum deniq; est, septem esse nouæ legis Sacramenta, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam vnctionem, Ordinationem, & Matrimonium. Tum concessum est Laico in necessitatis casu more instituto'q; ecclesiæ baptisare.

Sacram. 7.

LATERANENSE.

Anno Christi 1515. cum Iulius II. Papa nullis rationibus ac precibus adduci

duci posset, vt secundum iusiurandum quod dederat, concilium pro reformatione ecclesiæ & pace inter principes Christianos componenda indiceret: ausi sunt Cardinales ipsi, inuito pontifice, consilium Pisis conuocare. Verum pontifex aliud in Laterano coegit, Pisano contrarium, in quo primum omnium acta & decreta Pisani reprobauit, & damnauit. Tum de bello contra Turcos suscipiendo, de reformandis ecclesiæ moribus, & de Boiemis ad ecclesiæ consensum reducendis sententiæ dictæ sunt. Facta item decreta, quorum illud maximè est memorabile, vt in Scholis præceptores vna cum Philosophia etiam Christianæ religionis fundamenta tradant discipulis, & qui sacro ordini addicti sunt, non vltra quinquennium post Grammaticam, & Dialecticam Poeseos aut Philosophiæ studijs vacent. Tum vt nullum scriptum imprimatur, nisi prius ab episcopo aut inquisitore diligenter examinatum sit. Theologis verò mandatum est, vt Euangelicam ve-

Decretum de professoribus.

ritatem & sanctam scripturam iuxta declarationem & interpretationem doctorum, quos ecclesia, vel vsus diuturnus approbauit, legendosq; hactenus recepit, & in posterum recipiet, prædicent & explanent, nec quicquam eis ex proprio sensu contrarium vel dissonum adijciant, sed illis semper resistant, quæ ab ipsius sacræ scripturæ verbis ritè ac sanè ex præfatorum doctorum interpretationibus intellectis non discordant. Vetitum quoq; est, vt ne quis antichristi aduentum prædicere audeat.

TRIDENTINVM REPETITIS operis sæpius instauratum.

Anno Christi 1545. mense Decembri incoatum est concilium Tridenti indictum à Papa Paulo III. hortante & vrgente Carolo V. Imperatore. Continuatum verò est vsq; ad annum 1547. quo Bononiam fuit translatum, & illic vsq; ad mortem Pauli III. intermissum, post Paulum verò III. à Pio III. iterum est congregatum Bononiæ, sed nihil agi pro-

propter patrum paucitatem potuit. Quare Iulius III. pontifex Cæsaris hortatu Tridentum illud reuocauit anno 1551. vbi instauratum est. Ac pontifex quidem misit ad hoc concilium Reginaldum Polum Mariammontium, & Marcellum Ceruinum. Cæsaris verò loco fuit Franciscus Toletanus, Hugo comes Monfortus, Guilelmus Pictauius. Habuit & Ferdinandus rex nonnullos suo loco. Venerunt eodem archiepiscopi Electores, Moguntinus, Coloniensis, Treuirensis, alijq; antistites Germaniæ. Rex Galliæ misso oratore abbate Bellosano cum literis, primum rationẽ reddidit, cur de suis neminem ad conuentum illum misisset, nempe propter iniecta vndiq; belli pericula. Deinde non pro legitimo concilio, sed pro priuato conuentu illud se habere ostẽdit. Tum negauit, se suiq; regni quenquam decretis eiusmodi conuentus teneri. Quocirca de nullitate contra acta eius protestatus est, nec multo post ab omnibus supremis parlamentorum curijs concilium totum reiectum, est ad-

eoq́, à Sorbona ipsa. In fine anni huius dux VVirtenbergicus suos Tridentum misit. Idem fecit Argentinensis respublica & aliæ cum illa coniunctæ ciuitates. Scripta est tum etiam confeßio Saxonicarum ecclesiarum, cui multorum principum & vrbium theologi subscripserunt, vt eidem concilio offerretur. Tum vero princeps Elector Saxoniæ Mauricius ablegauit eò primarios viros duos, VVolfium Colerum, & Leonhartum Badehornum I.C. illum, cuius in Academia & republica Lipsica maximè viguit eruditio, virtus & industria. Hi ab oratoribus Cæsaris petiuerunt, vt Theologis, qui iam pleno gradu iter ad concilium ingreßi essent, ad exemplum datæ Boiemis fidei in Basiliensi synodo caueretur. Deinde ne Pontifex potestatem præsidis aut iudicis supremi in concilio sibi sumeret, tum vt actio omnis de integro susciperetur. Summa orationis est: inprimis precatur princeps noster, vt actio omnis in concilio suscepta diuinitus guberne-

Oratio Sax. ducis per legatos ad concilium.

tur,

tur, & salutaris sit ecclesiæ. Deinde, cum diu iam concilium vniuersale, liberum, & Christianum optarit, in quo religionis controuersia dijudicari ac dirimi, sepositis affectibus, posßit, & tale nunc institutum esse speret: mandatum dedit Theologis suis, vt mißis ex ordine suo quibusdam doctrinæ suæ confeßionem in hoc cœtu edant, eamq́ testimonijs scripturæ sanctæ confirment, & quoad patitur verbum Dei, piè vobiscum consentiant. Quod illi ita se facturos promiserunt. Quod autem aduentus eorum ad hoc vsq; tempus dilatus est, id caussæ est, quod princeps noster admonitus est cuiusdam constitutionis concilij Constantiensis, quæ fidem publicam saluumq́ conductum, siue ab Imperatore, siue ab alio quocunq; datum negat hæreticis, & de hæresi suspectis seruandum esse. Mouetur q́ adeo Boiemorum exemplo, qui ad Basiliense concilium venire nolebant, nisi cautum sibi de ea constitutione satis esset. Quod igitur tunc Boiemis concessum est, idem

sibi quoq; tributum iri sperauit. Cum autem scheda membranea aperta sine sigillo nuper missa ex concilio, cautionis formulæ Boiemis datæ multum dissimilis sit: non sine periculo venire adhuc Theologi potuerunt. Quocirca excusatum se eo nomine haberi petit, & ad Basiliensis concilij exemplum suis conductum saluum quamprimum transmitti.

Quod autem ante aduentum suorum Theologorum, in ijs etiam religionis capitibus, quæ controuersiam habent, processistis, & conclusistis: id verò graue sibi omnino ducit, & est sane contra diuinum, naturale & humanum ius, vt nondum auditi grauentur. Quocirca illius nomine petimus, vt tractatio talium articulorum ac publicatio, donec ipsi Theologi adueniant, differatur. Allatum est etiam ad principem nostrum, Vos ea, quæ hactenus tractastis, pro firmis decretis habere. Quoniam verò in illis decretis sunt etiam nonnulla, quæ errores non leues in articulis

ticulis de salute nostra continent: necessitas summa postulat, vt de ijs prius ipsi theologi audiantur. Itaq; orat, vt repetantur omnia illa decreta, quæ controuersiam habent, de ijsq; theologi Augustanæ confessionis plenè audiantur.

Accedit & ea difficultas, quod decreta illa præsentibus paucis prælatis, atque legatis ordinam Germaniæ facta sint, quemadmodum catalogus editus indicat: cum tamen ad vniuersale, liberum & Christianum concilium omnes nationes Christiani orbis adhiberi conueniat, si modo nomen œcumenici & liberi subire debeat. Neque hoc dissimulandum princeps noster censet: cum articuli controuersiam habentes partim ad fidem Christianam, partim ad pontificem pertineant, iura autem & præter ea etiam Constantiensis & Basiliensis concilij decreta postulent, vt pontifex in caussis fidei, & in ijs quæ ad ipsum spectant, concilio subiectus sit: decet vtique etiam in hoc concilio idem seruari, vt videlicet prælati, & reliqui

cuiuscunque gradus & condititionis fuerint, à iureiurando pontifici dato liberi sint, nullaque obligatione impediti sententias dicant. Nec sanè censet ad eam rem opus esse pontificis peculiari quadam iurisiurandi remißione, cum decreta ipsa Basiliensis concilij papalem eminentiam ac dignitatem in talibus casibus concilio submittant, & personis concilij plenam potestatem dent tam in fidei articulis, quàm in reformatione Christiana capitis & membrorum instituenda. Quod si etiam liberum esse concilium debet, necesse est, & personas esse liberas, vt liberè secundum Dei verbum disserere & iudicare poßint. Rogat ergo princeps, vt secundum has Constantiensis & Basiliensis concilij constitutiones etiam in hoc concilio in fidei articulis, & ijs, qui pontificem eiusque potentiam complectuntur, libertas dicendi omnibus, qui legitimè in eo aßident concedatur, & pontifex non supra, sed infra concilium ponatur.

Et verò in promtu est, quanta & quàm

quàm grauia vicia in clericorum ordinem & vitam inuaserint, quibus reformatione magna opus sit. Hæc verò cum neglecta hactenus sit contra superiorum conciliorum decreta: necessariò mala infinita, odia, dissensiones, schismata, bella, tumultus exorti sunt. Religio verò omnis in fucum, qui specie quadam assimilatæ pietatis homines tenet, conuersa est. Quod sanè difficilius fuerit, abusus tantos, & iam longo tempore inueteratos emendare, nisi personæ concilij ita liberæ sint, vt ad præscriptum pontificis, vel potius ad nutum voluntatemq́; eius sua consilia & dicta minimè cogantur inflectere. Quod si propter Dei gloriam, communemq́; Ecclesiæ vtilitatem fecerit pontifex, non solum conciliabit sibi animos hominum, & ad obedientiam maiorem excitabit, sed concilij etiam ipsius authoritatem vehementer augebit.

Orat autem omnibus modis, vt in partem optimam accipiatur, quod libertatem personarum in dicendis sen-

tentijs tantopere vrget. Testem enim Deum adhibet, se nihil aliud in hac re spectare, nisi Christianam religionem, & caussæ ipsius, quæ agitur, magnitudinem. Nec dubitat omnes sapientes, atque adeo vos ipsos intelligere atque fateri, talem libertatem summè necessariam esse ad vniuersale concilium, in quo tractari debet de communi omnium salute, de vera fide, de vero Dei cultu, de inuocatione; de tollendis item erroribus atque abusibus, de reformandis moribus Christiani populi, tam in capite, quàm in membris, de reparanda ecclesiæ pace, de propaganda fide, & regno Christi. Quamobrem quò quisq; propensiore est animo ad communem ecclesiæ salutem tuendam, eò maiori studio, fide & industria hanc necessariam in dicendis sententijs libertatem adiuuabit. Quod vt fieri poßit, corda omnium flectat & moderetur Iesus Christus, cui sit cum Patre & Spiritu sancto laus & gloria, Amen.

Princeps etiam Vuirtembergensis per lega-

legatos suos, difficultates quasdam, siue vt vocant, grauamina quædam concilio exposuit. Primum quod nondum essent ordinati ad audiendum Theologorum Augustanæ confessionis explicationem, iudices idonei: quod tamen summopere necessarium sit ad dijudicandam inter pontificios & Euangelicos theologos controuersiam. Nullo enim iure, nullaq; æquitate fieri posse, vt pontifex & episcopi suæ ipsorum doctrinæ in controuersia cum Euangelicis, iudices sint. Petijt igitur, vt certior fieret, quinam iudices aut arbitri eius rei essent futuri? II. Cum ante quædam decreta essent in religionis negotio, de quibus controuertitur, petijt vt secundum Augustani conuentus decretum, ea de integro tractarentur, & vtraq; pars rectè audiretur. III. Cum etiam iam tum decreta quædam palam cum scriptura pugnantia essent facta, contendit, vt ne ante vtriusq; partis cognitionem atque consensum ea rata haberentur. Vicißim pollicitus est de

se of-

se officium principe pio & Christiano dignum.

FORMVLA SALVI CONductus dati protestantibus 25. Ianuarij anno 1552.

Sacrosancta oecumenica & generalis Tridentina synodus publicam fidem ac plenissimam, verissimamque securitatem, quam saluum conductum vocant, dat omnibus cuiuscunque status & conditionis viris ecclesiasticis & secularibus, praesertim Augustanae confessionis personis, quae ad hoc generale concilium Tridentinum venerint aut profecturae sint, liberè ad hanc ciuitatem Tridentinam veniendi, ibidemque manendi, standi, morandi, proponendi, loquendi, vna cum ipsa synodo de quibuscunque negocijs tractandi, examinandi, discutiendi, & omnia quaecunque ipsis libuerint, ac articulos quoslibet tam scripto quàm verbo liberè offerendi, scripturisque sacris & beatorum patrum verbis sanctis & rationibus declarandi, astru-

astruendi & persuadendi, & si opus fuerit, etiam ad obiecta Concilij generalis respondendi, & cum ijs qui à Concilio delecti fuerint disputandi, aut caritatiue absq; omni impedimento conferendi, opprobrijs, conuicijs & contumelijs penitus semotis, quo sententiæ controuersæ secundum sacram scripturam & Apostolorum traditionem, probata concilia, & Catholicæ Ecclesiæ consensum & sanctorum patrum authoritates in prædicto concilio Tridentino tractentur.

Obtinuerunt autem magna cum difficultate Electorales legati Saxonici, idq; intercedente pro ijs Cardinali Tridentino, vt in consessu frequenti audirentur. Difficultatis caussa alia non fuit, nisi vt Rom. pontifex Concilio submitteretur, petitio. Responsum verò est breuiter, patres in Concilio conscriptos audisse, quæ à legatis Electoralibus dicta essent, & de his deliberaturos esse. Theologi autem, qui tum itineri sese dederant, Electoris Mauricij nomine,

erant,

erant Philippus Melanchthon, Erasmus Sarcerius, Valentinus Pacæus, quibus literæ erant datæ in hanc sententiam. Quoniam ita visum fuit Cæsari, vt & ego de meis ecclesijs aliquos ad institutam synodum mitterem: clementissimæ illius voluntati minimè volui deesse: præsertim cum res tota ad illustrandam Dei gloriam, & conseruandum doctrinæ Christianæ consensum spectet. Eos autem mitto, quorum & vitæ integritas perspecta est, & concordiæ tranquillitatisq; publicæ studium maximè exploratum. Quare vt eorum sententia de singulis controuersijs audiatur peto. Habent certè in mandatis, vt nihil ex affectibus suis, sed omnia ex veris fundamentis doctrinæ orthodoxæ, & perpetuæ in Ecclesia Christi placidè explicent. Proinde vos etiam, patres concilij, sic omnia agetis, & moderabimini, quemadmodum præses & inspector Ecclesiæ summus Dei filius à vobis expetit & flagitat. Inprimis quidem, vt ipsius gloriæ inseruiatur,

Literæ Mauritij ad conciliũ.

tum

tum ecclesiæ etiam saluti consulatur. Negari sane non potest, multos, magnos, & haud ferendos errores, viciaq; intoleranda in ecclesiam inuecta esse. Vnde etiam dissidium hoc omne, quo hodie laceratur ecclesia, ortum est. His ergo tot tantisq; incommodis vt idonea reperiantur remedia, etiam atq; etiam curandum vobis esse existimabitis. Quod superest, filium Dei oro, vt hæc vulnera ecclesiæ sanet, & concordiam salutarem restituat. Præter literas has mandatum erat Theologis, vt Augustæ Vindelicorum subsisterent, nec inde se mouerent, priusquam vel ab Electore ipso, vel à legatis eius, qui in concilio erant, quid faciendum esset, edocerentur.

Quod autem Mauricij Saxonis legati à concilio petiuerunt, idem VVirtenpergici, & Argentinenses contendebant. De quo cum reponsum expeditum aut certum satis nullum redderetur, Mauricius Elector suos, qui Norimbergæ commorabantur, de medio cursu in fine Februarij reuocauit. Et mox per

crebrescēte bello, quod Mauricius aduersus Carolum Cæsarem susceperat, concilium prorsus dißipatum est. Post annos verò nouem fermè instauratum à Pio IV. Papa, & anno 63. ad exitum adductum est.

Sunt autem decreta huius concilij omnia ex pontificia religione, & Romanæ ecclesiæ moribus institutisq́; facta absque collatione cum doctrina Euangelica, quæ caput controuersiæ erat. Quam quidem collationem in controuersijs adhiberi æquum esse omnes sani iudicant. Etsi autem sub formula publicæ fidei ad dicendas sententias omnes vocati sunt: tamen suspecta Euangelicis fuerunt omnia, nec impetrari id potuit, quod maximè debuit, vt & de integro de singulis controuersijs doctrinæ partibus cognosceretur, & iudicium synodo absq; omni præiudicio Papæ & pontificiorum liberum concederetur. Itaq; fieri facilè potuit, vt pars præsens suam caussam obtinuerit, altera absens in bona conciderit.

CAPVT IV.

DE ORDINIBVS SAcris, equeſtribus, & academicis in millenario ſexto.

ORdines in hoc millenario complures & penè innumerabiles ex maiori parte quaſi quoddam robur & ſoboles pontificij regni prodierunt. Initio quidem non malo conſilio cœnobia extructa ſunt, vt eſſent pietatis officinæ & doctrinæ literarum, linguarumque gymnaſia, vnde homines eruditi accerſerentur. Sed vicit tandem pietatem ſuperſtitio, vſum ſuperauit abuſus. Et proſeminatæ ſunt familiæ ſiue ſectæ monachorum, qui abiecta doctrinæ cura totos ſeſe in ritibus & cultibus pontificia authoritate introductis & ſtabilitis collocarunt: vt verè dici poßit, nullum tempus feracius religionum, ſterilius verò in pietate, quàm hoc ipſum millenarij poſtremi extitiſſe. Cauſſam dedit Imperatoribus & principibus iſta monachorum ignauia atq; inertia, vt Cœnobia.

de collegijs constituendis alijs consilium caperent, & scholas aperirent, in quibus literæ vtiles & necessariæ docerentur, & Theologia, Iurisprudentia, & Medicina excolerentur. Quæ Scholæ honesto & antiquo nomine dictæ sunt Academiæ, item Vniuersitates. Suntq; illis concessa & tributa priuilegia, tituli, honores, stipendia, ne doctrinæ professio penitus conticesceret & interiret. Sunt autem ordines alij sacri, monachorum, sacrificulorum, prælatorum, abbatum, episcoporum, Cardinalium. Alij militares, vt Ioannitarum, Teutonicorum, Vngaricorum equitum. Alij scholastici, vt studiosorum, Baculariorum, Magistrorum, & Doctorum in Academijs. Quibus & honos amplus satis tributus est, vt & sub protectione sint Imperatoris, & tanquam filij eius speciales habeantur, & nullibi nisi coram Rectore suo conueniri poßint. De singulis, vel certè præcipuis ordine exponetur.

Sacri ordines. *Sacri ordines quatuor sunt primarij & probati, S. Basilij, Augustini, Benedicti,*

dicti, & Francisci, ex quibus reliqui tanquam soboles progeniti sunt, vt Sabellicus, & Polydorus Virgilius scribunt.

REGVLARES.

Ordinis Canonicorum Regularium authbor esse perhibetur Arnulphus abbas, circa annum Christi 1070. secundum Volaterranum. Est autem dissectus in diuersas familias, alius quidem à S. Iuone in oppido Bellouacensi, circa annum Christi 1080. alius circa annum 1100. à S. Rufo in Gallia, Italia & Germania suscitatus esse dicitur: quem Iacobus Bergomensis anno 1407. imitatus est. Tunica eius, secundum Polydorum est candida, cum toga lintea sub nigro pallio. Tegumentum verò eiusmodi, vt scapulis impositum ceruicem & caput contegat, præterquam à fronte.

ORDO CARTHVSIENSIS.

Anno Christi 1086. ordo Carthusiensium fundatus est Coloniæ à Brunone

Theologo erudito: ita dictus à loco vbi institutus est. Caussam dederunt voces tristes cuiusdam hominis ad exitum vitæ vocati, & metu iudicij Dei, quod subiturus esset, exhorrescentis. Institutum est vitæ inprimis horridum & arduum, cuius sectatores intus cilicio, foris pallio atro vel albo amiciuntur, carne perpetuò abstinent. Ratio Erfurdiæ in Carthusiano monasterio ostenditur in pictura carnem in pisces versam demonstrare. Soli in cubiculis edunt, nisi in quibusdam festis diebus, & silentium seruant.

CISTERTIENSIS.

Anno Christi 1098. cœpit ordo Cistertiensis in Burgundia, sic appellatus à loco Cistertio. Author fuit Hartungus monachus, confirmator verò Vrbanus Papa secundus. Huius sectatores intus tunica atra, foris chlamyde alba teguntur, calceos gestant rubros, cum pedo pastorali. Hunc ingressus est Bernardus anno Christi 1113.

man-

mansitq́ in eo annis amplius triginta. Postea ingressus cœnobium Clareuallense primus abbas in eo factus est. Dicti sunt ab eo Bernardini seu Bernarditæ monachi, qui à Cistertiensibus nihil differunt, nisi vestitu nigro. Adeoq́ fœcundus fuit iste ordo, vt in sodalitates centum sexaginta distributus sit.

PRÆMONSTRATENSIS.

Anno Christi 1116. Præmonstratensis ordo fundatus est à Noberto, viro facundo & sancto, qui spreta voluptate blandißima mundi domina, paupertatis onus suscepit, & Christum nudum nudus secutus est, iugum acerbum & durum subiens, per prædicationemq́ diuini verbi mundum ab errore conuertit, vt habet appendix Sigeberti, in qua fabulosa etiam quædam de reliquijs vnius de vndecim millibus virginum & Gereonis commemorantur.

DE GRADIBVS ET titulis Academicis.

Scholastici ordinis titulos ante editum Gratiani decretum, & Petri Lombardi sententias non reperio vsurpatos. Incidit autem decreti editio in annum Christi 1151. Lombardi verò sententiarum in annum 1160 Ab hoc igitur tempore distincti gradus discentium & docentium in Academijs esse cœperunt: Lytæ. *nisi quod Lytæ à Iustiniano Imperatore in proœmio Digestorum nominantur, studiosi, qui annos quatuor iuri ciuili operam dederunt:* Prolytæ *sicut Prolytæ, qui in quintum annum disciplinæ eidem dediti sunt. Nazianzenus quoque in monodia narrat, Basilio Magno in Academia Attica oblata esse à Doctoribus pro more illius Scholæ, honoris & professionis insignia. Caussam verò graduum hanc esse apparet: cum pontifices Romani Decreta sua & Theologiam scholasticam cognosci atque teneri in ecclesia & foro cuperent: titulis tanquam præmijs ad discendum atq; profitendum sua*

iura

ura traditionesq́, cunctos allicere atque inflammare aggreßi sunt. Euocarat paulò ante Lotharius Saxo ius ciuile è tenebris in lucem. Huius igitur cultum & professionem, vt vel redardarent, vel minuerent pontifices, Decretorum suorum professores honoribus auxerunt. Imperatores contra priuilegia impertiuerunt, quibus suum in scholares amorem & benignam defensionem exhiburerunt. Id quod indicat Friderici Barbarossæ clementißima constitutio, quæ Codici inserta est, l. vlt. c. ne filius pro patre. Accèßit postea authoritas concilij Viennensis, quod & approbauit scholasticos gradus, & sumtuarias leges tulit, ne quis sumtuum magnitudine grauaretur, anno 1311. Primum autem scholares in genere appellati sunt studiosi literarum, qui in scholis siue academijs dediti sunt disciplinis & artibus ijs, quibus instruimur ad vsus ecclesiasticos & politicos. Depositionis ritus, qui in academias nonnullas irrepsit, antiquus est, & ab Athieniensibus vsq, vt Depositio.

apparet, deductus. Apud hos enim vsitatum fuit, nouitios siue hospites, qui in academiam venerant, examinare rigidius, captiosè & sophisticè propositis quæstionibus præsertim dialecticis, vt profectus eorum exploraretur, tum deinde per forum ad balneum deducere cum clamore & gestibus prorsus insanis, nempe his verbis: Balneum prohibetis, nec nos recipitis, simulq; portas calcibus confregerunt, vt vox & sonitus hospitem eò deductum perterreret, liquidoq; constare posset, vtrum intrepidus & constans, an verò mollis & inconstans esset. Tandem omni metu liberatum in balneum introducebant, recepturi iam eum in collegium. Morem totum nominat Nazianzenus ἐρεσχελίαν nugamentum, & ἐρεσχελεῖν significat per iocum irritare, & ludibrio habere. Spectaculum quidem videtur inane esse, sed non est prorsus ἄσημον, vtpote in quo seria iocis miscentur. Primum enim Depositio est velut quædam initiatio, per quam cooptantur in collegium hospites, vt priui-

legio-

legiorum & immunitatum participes fiant. Deinde est quoddam examen, & exploratio ingenij & morum. Tertio excutit fastum seu φιλαυτίαν, persuasionem, quæ est ἐγκοπὴ προκοπῆς impedimentum progreßionis. Quarto simulacrum est patientiæ ab eruditis per omnem vitam vsurpandæ, quod pulcrè monuit Arrianus, σχολαστικὸν, inquiens, δεῖ σε γενέσθαι: τοῦτο τὸ ζῶον, ὃ πάντες καταγελῶσι: Scholasticum te oportet fieri, animal hoc est, quod omnes derident. Quod tametsi iure non sit, de facto tamen verißimum videtur esse. Quinto ὑπόμνημα, admonitio est de officio, vt non tam nomine, quàm re studiosus esse coneris. Postremo veræ philosophiæ siue sapientiæ symbolum, Sal adhibetur, & vinum affunditur, vt ad προθυμίαν alacritatem animi in tuenda profeßione inflammet.

Bacularij à baculo dicti sunt, qui tanquam insigne traditus est candidatis, hoc est, ijs, qui studium suum dare doctrinæ cœpissent. Beatus Rhenanus

in

in Tertulliani scholijs scribit se in vetustioribus Parisiensis academiæ codicibus, qui constitutiones gymnasij continent, legisse Bacellarios, à bacillo scilicet, deducto vocabulo, qui quasi quoddam mancipationis signum fuerit, quo ab alijs distinguerentur.

Licentiati. *Licentiati, μελλοδιδάσκαλοι, prodoctores nominati sunt, quibus potestas recipiendi gradum supremum data est.*

Doctores. *Doctores à docendi facultate, quæ authore Aristotele maximum scientiæ signum est, appellati sunt primum Parisijs, qui Longobardi sententias edidicerant, & alijs prælegerant, adepti prius studij authoritatem per baculi exhibitionem. Quot autem Parisijs primum Theologis contigit, idem Bononiæ vsu venit Iurisconsultis, qui decretorum rhapsodiam profitebantur. Aucto autem iam Doctorum numero, constitutiones adiectæ sunt de promotione, de annorum numero, & sancita alia, quæ ordinem doctorum in singulis disciplinis honestarent.*

Magi-

Magistri nomen à Magis videtur deductum, quibus sapientiæ & doctrinæ liberalis professio in Persia fuit commendata. Quanquam autem hic titulus maximè conuenit Philosophis, tamen tribuitur etiam theologis eximijs in quibusdam academijs κατ' ἐξοχὴν. Parisijs enim & Louanij magistri nostri dicuntur Theologiæ doctores, qui omnis doctrinæ censuram sibi vendicant, & velut regnum poßident. Ex quo fit vt doctoribus etiam in titulis aliquando Magistri præferantur. Magistri.

TEMPLARII.

Templariorum ordo anno Christi 1124. confirmatus est ab Honorio Papa, vt scribit Volaterranus. Fuerunt autem Templarij fratres militiæ templi Hierosolymitani. Habent enim nomen à templo Domini, quod est Hierosolymis, cuius partem incoluerunt. Abolitus autem est idem hic ordo vno die per vniuersum orbem, anno Christi 1312. à Papa Clemente V. qui bona & reditus Caussa defectionis Christianorum in terra sancta per orientem.

Tem-

Templariorum hospitalariјs D. Ioannis, qui & Rhodii equites nominantur, attribuit. Caussa deletionis subitæ fuit, vel religionis ethnicæ inductio, vel effusa in omni intemperantia libido, vel perfidiæ & conspirationis cum Turcis suspitio, vel potentiæ nimiæ metus. Vrspergensis & Cranzius narrant, Templarios à pontifice Gregorio IX. incitatos perfidia, & iniquitate sua multum nocuisse Friderico Imperatori, in Asia bellum gerenti.

EQVESTRIS ORDO S. IOHANNIS.

Anno Christi 1119. designatus est Hierosolymorum rex Balduinus II. de Burgo, qui sacræ militiæ ordinem à S. Ioanne cognominatum Hierosolymis instituit. Huius munus fuit proprium, regiam potestatem roborare ac firmare contra hostes, pro repub. Christiana excubare, & terram sanctam adeuntibus mare ac iter tutum præstare. Postea anno Christi 1308. occupata Rhodo

Rho-

Rhodiæ militiæ nomen adeptus est, & milites eius Rhodiæ militiæ equites dicti sunt, vsq; ad annum Christi 1522. quo Turca adductis ducentis hominum millibus vrbem & insulam Rhodum expugnauit, & equites fortissimos, omni Christianorum ope destitutos in exilium proficisci coegit. In hac misera fuga in insulam Melitam anno Christi 1529. migrarunt vbi non minus quàm ante cum Turcis de capite & fortunis reipub. Christianæ omnibus opibus, viribusq; dies ac noctes dimicant.

Qui in hunc ordinem cooptatur, his ritibus initiatur, primum peccata confitetur, & in Caluariæ monte corpus Christi in cœna sancta, more institutoq; pontificio accipit. Deinde in sepulcrum Domini cum pompa quadam Ecclesiastica adducitur: vbi Missa agitur, foris verò psalmi nonnulli latini canuntur. Interim candidatus in sepulcro flexis genibus coram Guardiano connititur. Postea iubet Guardianus astantes orationem dominicam & salutationem angeli-

geliçam pro candidato dicere. Recitatis precibus Guardianus de iurisiurandi religione & magnitudine eum admonet, ac iterum astantes pro eo preces adhibere Deo iubet. Tum denuo eum iurisiurandi admonet, indicans simul quo pacto colere & obseruare Romanam Ecclesiam debeat, vero scilicet studio resistendi Turcis & Lutheranis, tanquam hostibus & hæreticis, quoad vixerit, rogat etiam an ista omnia, quæ iurisiurandi formula comprehendit, seruaturus sit, & iureiurando fidem super sacro sepulcro firmaturus. Ad quod respondet Candidatus, se gaudenti animo facturum, ac gratias Deo pro tanto munere agit. Monachi verò canere iterum incipiunt, & inter canendum Guardianus catenam auream centum fermè ducatorum Vngaricorum, à qua crux aurea pendet, collo illius inijcit, gladium verò auro ornatum femori, calcaria flaua pedibus aptat. Tum librum, in quo iusiurandum continetur, proponit, & iterum officij admonet.

Qui-

Quibus peractis prouoluitur candidatus in genua, & duobus digitis libro aureæq; cruci impositis iurat, Guardiano voce præeunte:

Capita autem iurisiurandi sunt, I. Se catholicum esse, & Romanæ ecclesiæ religionem defensurum, Lutheranam verò oppugnaturum. II. Se genere nobili natum esse, tantasq; opes habere, vt reditibus suis se & duos equos ad necessarios ecclesiæ Romanæ vsus alere poßit. III. Quod per omne tempus vitæ suæ Missam colere, & frequentare velit singulis diebus quater aut aut quinquies; cibos à pontifice vetitos vitare, singulis mensibus vel sextâ quâq; hebdomade peccata confiteri, Sacramento vti, & alia seruare, quæ ecclesia Romana ordinarit. Singulis item diebus quadragies nouies Dominicam orationem, & salutationem Angelicam recitare: quotannis semel pontificem visere, templa septem ingredi, & alia, quæ ad cultum sanctorum pertinent, obire. Postremo prohibetur ei omnis in sermone va-

nitas, ebrietas, scortatio, & alia flagitia, quibus equestris dignitas dedecoratur. Dato ad hunc modum iureiurando, preces iterum fiunt. Tum Guardianus gladium educit, & in capite humerisq́; candidati cruces tres signat, inquiens: De Dei & sedis Romanæ mandato ad incrementum ecclesiæ Romanæ creo te equitem in nomine Patris, Filij, & Spiritus sancti. Absoluit simul etiam ab omnibus peccatis, & potestatem dat gerendi & vsurpandi insignia & ornamenta ordinis equestris. Statim fit gratulatio à cunctis, & occinitur hymnus, Te Deum laudamus. Etsi autē recepti sunt olim nulli, nisi nobili loco nati: tamen admittuntur hoc tempore etiam alij, qui vndecim aut duodecim ducatos persoluunt, vt sint qui pro sede pontificia propugnent, & Turcorum furori resistant.

TEVTONICORVM MILITUM ORDO.

Anno Christi 1190. imperante Heinrico VI. ad vrbem Ptolemaidem

Teu-

Teutonicorum militum ordo initium sumsit, qui & hospitalis ordo appellatur, à domo hospitali, quam prope sepulcrum Domini ad recipiendos hospites instructam habebat. Milites verò etiam Mariani sunt dicti à symbolo D. Mariæ, quod vsurparunt. Officium eorum fuit curare peregrinos pauperes, & imprimis propugnare pro religione Christiana. Iccircò vestem albam cum cruce nigra tanquam insigne & notam professionis gestant. Augustini regulam tenent; pro Canonicis horis orationem Dominicam certo numero recitantes. Aucti sunt penè in immensum honoribus & opibus, dum reges & principes Christiani sua dona & beneficia certatim in eos contulerunt Eiectis è Palestina Christianis, ipsi Venetias sedem suam transtulerunt. Inde euocati à Cunrado duce Masouiæ aduersus Borussos, eorum ferociam compresserunt, & potiti sunt Prussia, deinde Liuonia, Curlandia, bona parte Pomeraniæ, Poloniæ & Gotlandiæ. Cum autem prosperæ for-

tunæ statu elati insolescerent, ambitione arderent, mutua odia & dissidia alerent, tyranniceq; multa agerent: ea quæ ante virtute pepererant, studijs contrarijs maxima ex parte amiserunt. Fuit alius ordo auratorum equitum in Anglia ab Eduardo III. institutus, anno 1350. qui equites Garterij sunt dicti, summo genere nati, & laude virtutis bellicæ præstantes, qui Sacramento solenni ad mutuam perpetuamq; amicitiam obligati, & cærulea periscelide in tibia sinistra tanquam Symbolo insigniti sunt.

Garterij siue periscelidis equites.

Alius ordo equitum fuit S. Iacobi in Hispania, anno Christi 1158. à Papa Alexandro III. confirmatus: interius atram, exterius albam vestem, crucis verò loco concham pectinis supra ventriculum gestat.

Equites S. Iacobi.

Gladiatorum ordo in Liuonia pene eodem tempore, quo Teutonum cœpit. Gerunt hi vestes cum cruce & duobus gladijs affixis, quibus tanquam Symbolo eorum professio ac munus pugnandi

Gladiatorum seu gladiferorum ordo.

di pro aris & focis significatur. Coniunxerunt se cum ordinis Teutonici militibus in Borussia, anno 1238. à quibus etiam recepti sunt: vt plus virium haberent aduersus VVoldemarum Daniæ regem, à quo maiorem in modum premebantur.

HVMILIATI.

Ordo Humiliatorum in Germania coaluit ex Gallis Cisalpinis, maximè verò ex Mediolanensibus, qui ab Imperatore Friderico Barbarossa in Germaniam traducti sunt, & aucti beneficijs, humiliati fratres dici cœperunt, confirmati à Papa Innocentio III. anno Christi 1200. Vestes gerunt atras, ac victum quærunt tela viri pariter ac mulieres, nihilominus tamen inter ipsos labores precibus vacantes.

CARMELITÆ.

Carmelitæ à Carmelo Syriæ monte dicti mendicantes monachi sunt, qui & Mariani appellantur, à Maria virgine,

cuius templum in monte eo incolunt. Institutus est ordo hic ab Alberto patriarcha Constantinopolitano, vel ab Almerico Antiocheno episcopo secundum alios, anno Christi 1204. sub Papa Alexandro III.

PRÆDICATORES.

Anno Christi 1198. ordo prædicatorum institutus est à S. Dominico Hispano, confirmatus verò à Papa Honorio III. anno Christi 1216. Fratres huius ordinis vocantur prædicatores à munere scilicet prædicandi seu docendi Euangelium, per totum terrarum orbem. Tunica vtuntur candida superiniecto pallio nigro, & tegmine scapulari ab humeris ad caput. Creuerunt adeo, vt monasteria eorum numerata sint quatuor millia, centum & quadraginta tria, fratrum verò circiter octoginta millia, exceptis ijs, qui in Armenia & India sunt. Diuisi sunt in familias duas, quarum vna conuentualium, altera obseruantium est. Ac conuen-

tuales

tuales quidem communibus cibis victitant ; Obseruantes verò tantùm rapis, cepis, raphanis, olere, lacte, & ouis vescuntur.

FRANCISCANI.

Anno Christi 1209. institutus est ordo Franciscanorum à S. Francisco, cuius monachi fratres minores appellantur. Tunicam natiui velleris gestant & funiculo præcinguntur. Confirmatus est ordo ab Heinrico III anno 1253. adeoque auctus, vt supra 1743. monasteria eius paßim recenseantur.

Ordo virginum S. Claræ cœpit circa annum Christi 1223. Ordo S. Claræ.

Anno Christi 1213. ordo monachorum S. Trinitatis institutus est, authoribus Anachoretis duobus, Ioanne Matta & Felice, qui cum aliquandiu vitam solitariam in Gallijs egissent, à pontifice Innocentio III. certum viuendi modum sibi præscribi petiuerunt. Is candida veste cum rubra cruce & cæruleo insigni eos ornauit, negociumq́ Monachi S. Trinitatis.

dedit colligendi eleemosynas, quibus capti ab hostibus Christiani nominis redimerentur.

Monachi S. Mariæ.

Anno Christi 1295. Florentiæ, authore Philippo artis medicæ professore, cœpit ordo monachorum S. Mariæ, qui & serui dicuntur, pontifice Martino IV. Hi nigra tunica succincti incedunt cum pallio nigro, circa humeros in rugas complicato, & amictu scapulari ab humeris reiecto. Gestant etiam sacculum, mendicando victum quærentes.

FLAGELLATORES.

Anno Christi 1260. ortus est Flagellatorum ordo, qui ex Tuscia confertim venerunt in Germaniam seminudi, & scuticis sese ad sanguinem vsque verberarunt, singularem religionem & sanctitatem præ se ferentes. Diuisi & hi sunt in duo genera, quorum vnum certis diebus personatum templa frequentat, & virgis sese cædit. Idque in Italia & Hispania potissimum viguit, nuper verò etiam in Galliam inuasit.

Alte-

Alterum verò quotidie se flagellat, & ad Niniuitarum exemplum pœnitentiam perpetuam simulat. Adeo creuit hæc secta, vt à Carolo IV. Imperatore, & Papa Clemente VI. eam comprimi & coerceri oportuerit.

CÆLESTINI.

Cælestinus V. pontifex Romanus est factus anno Christi 1294. Qui cum ante fuisset Anachoreta, honestare voluit Eremum, & à suo nomine dictum ordinem Cælestinorum instituit. Gerit is vestem cærulei coloris, in cæteris Benedictinorum regulam sectatur.

CAPELLANI.

Ordo Capellanorum institutus est anno 1283. cuius vestitus est coloris atri, cæruleo mixti.

STELLATORES.

Anno Christi 1351. Stellatorum monachorum ordo Parisijs à Ioanne rege institutus est. Hi atrati sunt, & alij togati, alij cucullione tecti incedunt.

S. BRIGIDÆ ORDO.

Brigida princeps vidua fuit, quæ ex Suecia Romam venit anno 1363. & à Papa Vrbano V. ordinis sui ac regulæ confirmationem impetrauit. Communis est hic ordo vtriq; sexui, muliebri & virili, commune est etiam templum, sed ita tamen, vt superiorem partem cœnobij mulieres, inferiorem viri teneant, & choros distinctos habeant. Regitur totus ordo ab vna Abbatissa, cum confessore, qui prior fratrum appellatur. Regulam Augustini profitetur, vestimenta gerunt tam fœminæ quàm viri grisea, cum chlamyde & cruce rubra, vt Nauclerus scribit.

IESVATÆ.

Anno Christi 1368. Iesuatarum secta Senis orta est, authoribus Ioanne Columbano & Francisco Vincentio. Hi ab initio simplici vestimento amicti labore victum quærebant, & religionem magnam profitebantur. Quo nomine in suspicionem superstitionis detestabilis vene-

venerunt, & à pontifice Romam vocati, vitæ atque instituti sui rationem reddiderunt. Quam comprobauit pontifex Vrbanus V. & tunicam huius ordinis fratribus albam dedit, cum capitio quadrato à ceruice ad humeros pendente. Adsignata est eisdem etiam zona scortea, qua cingerentur, & soleæ ligneæ, quibus pedes nudos in inferiori parte munirent. Tum tributum quoque pallium canusinum, quod tunicæ superinijcerent. Dicti autem sunt Iesuatæ à nomine Iesu, quod in ore eorum frequens erat, item apostolici fidi, qui sacris quidem non initiantur, vt Polydorus Virgilius ait, sed precibus tantum vacant.

ORDO S. CATHARINAE.

Ordo monialium S. Catharinæ à Catharina Senensi martyre nomẽ accepit sub annum Christi 1372. Vestem habet interiorem albam, cum velo & capitis tegumento coloris atri.

ALBATI.

Anno Christi 1399. Albatorum secta mirabilis extitit, authore quodam presbytero, qui ex Alpibus in Italiam descendit, cum magna hominum multitudine. Panno albo indutus fuit, ac modestiæ, sanctitatisq; speciem magnam præ se tulit. Itaq; mulierum & virorum ingens turba eum secuta est, quæ promiscuè sineq; discrimine sexus linteis albis amicta, paßim pecudum more victitauit, & dormiuit. Sacerdos ipse crucem gestabat, quam ob hominum delicta lacrymari dictitabat. Lacrymante autem ea, veniam à Deo turba omnis petebat. Hymnum de diua virgine canebant aßiduè: stabat mater dolorosa iuxta crucem lacrymosa, dum pendebat filius, &c. Aiunt multos peccatores isto spectaculo incensos ad Deum conuersos esse. Cum autem Romam ad visenda loca sancta iter suscepisset presbyter, veritus est papa, ne pontificatum ficta & simulata quadam religione inuaderet. Itaq; emißis militibus comprehendi eum

iußit,

iußit, adductumq; & sceleris condemnatum exußit. Quanquam sunt qui negent, fraudis aut criminis in eo aliquid deprehensum esse. Sic dißipata turba, euanuit secta. Polydorus & Nauclerus.

Anno 1417. ingens multitudo Maurorum fuscorum, squalidorum, deformium vtriusq; sexus Germaniam & Galliam peragrauit cum mulis, asinis, & equis, furto & rapinis sese pascens. Die Zigeuner.

Ordo Compostellanorum equitum in Hispania vniuersam fere nobilitatem, siue equestrem dignitatem comprehendit. Signatus est cruce purpurea, quæ effigiem capuli militaris Spathæ habet. Officium eius est aduersus Mauros pro religione Christiana pugnare. Magister ordinis proximam à rege dignitatem obtinet. Compostellani equites

ORDO AVREI VELLERIS.

Anno Christi 1429. à Philippo Burgundiæ duce qui cognominatus est Bonus, institutus est aurei velleris ordo, qui

qui & Tosoruus, & equestris ordinis senatus appellatur; equites verò ipsi Torquati etiam dicuntur. Causa institutionis hæc fuit: firmamentum ecclesiæ perpetuum constituere dux ille voluit, quo ab hostibus tutior ea esse posset. Iccircò in senatum hunc asciuit florem equestris ordinis, & fœdere vinculoq; arctißimo ad Ecclesiæ defensionem obligauit: tribuens ei aurei torquis & velleris insigne, quo ad pietatis ac fortitudinis cogitationem curamq; incenderetur. Perinde atq; olim Iasonis socij ad expeditionem claßicam ad Colchos velleris aurei spe atq; dignitate extimulati sunt. Recepit autem author ille viginti quatuor heroas, quorum præter cæteros nobilitata erat animi magnitudo, virtus atq; industria. Id quod epitaphium indicat, quod extat:

Tuta à nobilibus quo ecclesia firmior esset,
Nobilis inuentus velleris ordo mihi est.

IESVITÆ.

Anno 1540. societas Iesuitarum pontificia authoritate confirmata propaga-

pagari longe lateq; cœpit. Author eius fuit Ignatius Loiola Hispanus nobili genere natus. Is primis ætatis suæ annis militiæ disciplinam secutus ob rem bene gestam parti exercitus Hispanici præfectus est, sed in oppugnatione arcis Pompeipolitanæ in vtroque crure læsus in Gallorum potestatem venit. Ab his verò dimissus, tantaq; calamitate affectus militiæ curam omnem abiecit, & cogitationem ineundæ sanctioris vitæ suscepit. Itaque vestitu mutato ad paupertatis atque religionis professionem sese totum applicauit. Factum est id anno ætatis ipsius 26. quo tempore adhuc literarum omnium ignarus fuit, sed nihilominus tamen Spiritus sancti lucem magnam præ se tulit. Abijt mox nescio qua animi deuotione permotus Hierosolymam, indeq; reuersus in Hispaniam conciones ad populum hăbuit, & ad pœnitentiam hortari omnes instituit. Quod cum absque venia potestateq; Ecclesiastica faceret, in carcerem velut hæreticus est detrusus. Inde verò elapsus

Lute-

Lutetiam Parisiorum adijt, & annis decem literarum doctrinam in egestate summa coluit, titulumq́ Magistri artium consecutus est. Quod autem semel in animum suum induxerat; vt concionando & hortando quàm plurimis prodesset; id per hoc tempus etiam persecutus est. Quamobrem facile effecit, vt propter vitã morumq́ sanctitatem alios ad societatem religionis & sectæ suæ alliceret. Ex Gallia in Hispaniam redijt, indeq́ Romam cum socijs profectus Hierosolymam denuo visere decreuit. At cum Venetias venisset, periculum quod à Turcis impendebat, ab instituto eum deterruit. Accepit autem à pontifice Paulo III. potestatem peccatorum confessiones, quocunque in loco, recipiendi. Peragrauit igitur Venetorum ditionem, & passim Dei verbum in paupertate summa docuit. Romam deinde venit, & confirmationem ordinis sui per Contarenum Cardinalem à pontifice Paulo III. impetrauit, ea conditione, vt ne plures quam sexa-

exaginta in societatem suam coopta-
et. Idem tamen pontifex anno tertio
ost, lege hac de certo numero sublata,
otestatem quotquot vellet aut posset,
sciscendi dedit. Inde ergo aucta est
cietas, & in omnes penè partes orbis
erræ diffusa. In antiquitatibus Ro-
anis legitur, societatem Iesu authorita-
Alexandri Farnesij Cardinalis & pon-
ficis Pauli III. nepotis primum rece-
tam fuisse, & decretis amplissimis orna-
m. Gradus societatis complures esse di- Gradus societatis Iesu.
ntur. Caput quidem eius est Romanus
ntifex, cui obedientiam spondet: sed
ost illum generalis est siue primarius
æpositus, à quo cœtus gubernatur. Præ-
sito proximi sunt quatuor vota professi,
aupertatis scilicet, castitatis, obedientiæ,
propagationis dogmatum ecclesiæ Ro-
anæ per totum terrarum orbem, non
etito viatico. Hos sequuntur alij tria
ota communia professi, paupertatis, ca-
itatis & obedientiæ. Tertium locum sibi
endicant coadiutores spirituales. Quar-
m coadiutores temporales, quintum

V scho-

scholastici, sextum nouitij. Neq; vero à Pp. Paulo III. tantùm, sed à sequentibus etiam pontificibus Paulo IV. & Pio IV. hæc eadem societas confirmata est, tum in synodi Tridentinæ sessione 25. canone 16. approbata. In primis prædicatur studium mirificum Moroni Cardinalis, cuius consilio & sumtibus Romæ Iesuiticum collegium Germanorum institutum est, in quo gratis adolescentes erudiuntur, vt literis doctrinaq; liberali instructi in Germaniam ad docendam, propagandam, ac stabiliendam Romanæ ecclesiæ religionem mittantur. Numerantur ad septuaginta collegia huius societatis, quorum fermè præcipua in vita Pp. Gregorij XIIII. supra commemoraui.

LAZARITÆ.

Ordinis S. Lazari, vel S. Magdalenæ initium incertum est. Sed diuiditur is in duas sectas, quarum vna est contemplantium, siue contemplatiuorum, qui interius atra, exterius candida veste, cibo autem communi vtuntur. Altera

Acti-

Actiuorum est, siue Agentium, qui bulbis oleribusq; solis vescuntur.

GVILELMITÆ.

Ordinem Guilelmitarum Guilelmus Burgundiæ dux instituit, qui cum sobole careret, facultates suas ad alendum hunc ordinem contulit. Imitatur autem Eremitarum Augustinianorum regulam, & atri coloris vestitum gerit. Dicitur dilapsus esse, & à Ioanne Mantuano, alijsq; denuo restitutus, circa annum Christi 1161. & 1256.

Ordo equitum Spiritus S. cœptus anno 1579. ab Heinrico III. Franciæ rege ad perpetuam religionis Catholicæ defensionem. Caput ordinis ipse rex fuit, Sodatores verò equites ab eo creati. Equites Spiritus S.

Anno Christi 1562. Stephanitarum ordo institutus est à Cosmo Florentiæ duce, ad exemplum militiæ Melitensis in Tusci maris insula, vbi noua vrbs Cosmopolis condita est. Huius magister summus ipse dux Florentiæ est. Nomen verò habet à Papa Stephano Florentiæ patrono.

RES POLITICÆ IN MILLENARIO mundi ſexto.

DE IMPERATORIBVS Germanis in Occidente.

Heinricus II. *ANno Chriſti 1001. Imperator creatus eſt Heinricus II. Bauariæ dux ex Othonis Saxonis familia natus. Imperauit annos 23. menſes 5. Primus hic eſt ab Electoribus ſecundum conſtitutionem Othonis III. & Gregorij Papæ deſignatus Imperator, cognomento*
Sanctus. *ſanctus & claudus. Sanctus quidem propter eximiam pietatis laudem: vnde etiam Vngarorum Apoſtolus eſt appellatus, quod author conuerſionis eorum*
Claudus. *ad fidem Chriſti extiterit; Claudus verò fuit dictus à luxato femore, quod in bello Italico cum Papiæ in tumultu, aliquandiu obſeſſus eſſet, de muro ſe præcipitarit, & crus fregerit. Vel, vt alij ſcribunt, à Saracenis & Græcis captus cuſtodes eluſerit, & è contignatione, in qua detinebatur, proſiliens pedem al-*

terum

erum fregerit. Educatus est & eruditus doctrina religionis & literarum in collegio, quod est Hildesheimi. Coronam verò ei imposuit. Aquisgrani archiepiscopus Moguntinus ille, qui vt ortus sui humilis nunquam obliuisceretur, rotas duas, quod carpentarij esset filius, clypeo Moguntinæ Ecclesiæ inseruit, & in thalamo grandibus literis hæc verba scripsit. Vuilligis, Vuilligis, recole vnde veneris. Vuilligis.

Imperatori inprimis negocium facesserunt æmuli regni, in Italia Ardoinus, in Germania verò Henricus Marchio Austriæ, & alij, qui rebellionem fecerant. Hos igitur ante omnia comparato exercitu repressit, & imperata facere coegit. Occisus est id temporis Eccardus Saxoniæ marchio à ducibus Saxoniæ Lothario & Bennone fratribus. Moliebatur quoque res nouas Henricus Austriæ dux, adiutus à fratre Brunone episcopo Augustano: sed is Bruno ex inimicitijs in gratiam tandem ab imperatore receptus est. Ardoini mar- Ardoinus.

chionis in Italia rebellio diuturnior & difficilior fuit. Is enim iam tum Italiæ rex erat lectus & coronatus, vt Sigonius scribit. Itaq; armis ex faucibus eius regnum eripi oportuit. Quod adducto in Italiam exercitu Imperator quidem tentauit, sed in conflictu, acie inclinata, cedere coactus est. Quocirca Italiam in præsens omisit, & ad Germaniæ res componendas curam & cogitationem omnem conuertit. Sed aliquanto post Ardoinus prospero rerum successu elatus atq; inflatus, Mediolanensem agrum populari aggressus est. Quod minimè ferendum ratus Arnulphus Mediolani archiepiscopus, Heinricum Imperatorem in Italiam ad reprimendam Ardoini ferociam accersiuit. Is cum equestribus & pedestribus copijs magnis aduenit, & cum Ardoino prælium per dies complures fecit, in quo Germanorum virtute fugatus est Ardoinus, vt vix ex periculo magno Papiam euaserit. Ita reparauit Italiæ regnum Henricus, & coronam ab archiepiscopo Mediolani, se-

cundum antiquum Gregorij Papæ decretum accepit. Pacatis deinde rebus Italiæ Romam venit & corona à pontifice Benedicto VIII. solenni ceremonia decoratus est, anno Christi 1013. Tum, vt Cranzius ait, Græcos & Saracenos ex Apulia & Calabria eiecit, Troiamq; Apuliæ vrbem, quam Græci tenebant, diruit, & Normannis vtramque illam regionem incolendam, & contra Græcos Saracenosq; defendendam dedit.

In Germania VVindos, quos Sclauos dici Cuspinianus putat, alij Henetos appellant, propter defectionem à Christiana religione tumultuantes, & episcopatum Magdeburgensem, Mysnensem, & Merspurgensem diripientes domuit. Tum Boleslaum Boiemiæ ducem subegit, Poloniam debellauit, & pacem restituit. A cura politica ad studium ornandæ & augendæ ecclesiæ sese conuertit. In primis cum liberos ex Cunegunda castissima vxore nullos suscepisset, opes omnes ad constituendum & locu- VVindi. Sclaui. Heneti. Ecclesiæ cura.

Bamcergen. episcopat. pletandum episcopatum Bambergensem contulit, impetrauitq́ adeo à pontifice Benedicto VIII. vt coram sedem illam episcopalem consecraret. Attribuit ei dignitatem amplissimam, vt principes Germaniæ illius Vasalli habeantur, & Electores imperij feuda, quæ Electorali nomine ac titulo habent inde accipiant. Auxit etiam alios episcopatus, Mysnensem, Magdeburgensem, & Mersburgensem. Tum author Vngarorum conuersio. fuit Stephano Vngarorum regi, vt Christianæ fidei professionem susciperet. Cum enim is sororem Imperatoris Giselam vxorem sibi dari peteret, ex ea parte daturum se esse Imperator pollicitus est, quatenus Christianam religionem amplecteretur. Paruit Stephanus, & suscepto Baptismo, genti suæ, vt idem faceret, persuasit.

Purgatio de adulterio. Cum coniuge cœlibem vitam egisse scribitur, quæ tamen in suspicionem adulterij nullo suo delicto venit, & in conspectu multorum testium vomeres candentes pedibus absq; omni detrimen-

to

o calcans innocentiam & integritatem uam spectaculo admirabili probasse ertur. Dicitur hic imperator à calculi olore, quo extremè laborauit, in somnis er sectionem à S. Benedicto factam liberatus esse, vulnereq́ solidato calculus xemtus in manu regis dormientis esse ollocatus, quem ipse experrectus suis rincipibus tanquam miraculum ostendet. Quod quidem perinde erit, vt acperis. Postremo ad exitum vitæ voatus, parentes suæ coniugis, propinuosq́ conuocauit, & virginem castam illis reddere confirmauit. Mortuus anno Christi 1024. & sepultus Bamergæ.

Miraculum execti calculi.

Anno Christi 1024. imperator creas est Cunradus, cognomento Saliquus gente Francica, quæ Salica appellar: & Franci ipsi Salij à flumine Sala, uius accolæ aliquot è Francis fuerunt, icuntur, vt ait Ammianus libro 12. uit enim dux Franconiæ & Vuormaæ ad vtramq́ ripam Rheni, natus ex atre Hermanno de Caroli Magni pro-

Cunradus Saliquus.

V 5 sapia,

sapia, & matre Adelheide, è Francia Orientali, vt Cuspinianus ait, orta. Imperauit annos quindecim. Erat iam ante translata dignitas imperatoria à Francis ad Saxones, penes quos hactenus fuit ab anno Christi 920. Quo spacio non magno extiterunt imperatores iustitia, fortitudine, & felicitate antecellentes. Hoc tempore ad Francos recidit, à quibus ad Bauaros postea transijt, donec ad Rudolphum Habspurgensem, à quo Austriaci archiduces, & imperatores, qui hodie rerum potiuntur, originem habent, peruenit.

Translatio dignitatis Imperatoriæ.

Electus autem est Cunradus à principibus Germaniæ, cum ob virtutem & rei militaris scientiam, tum etiam propter Henrici Sancti testimonium atq; authoritatem, qui imperium suo iudicio ad eum detulisse scribitur. Etsi autem in Italia & Germania reperti sunt, qui electioni sese opposuerunt, in Germania quidem Cuno Bauarus, in Italia verò Mediolanensis antistes: tamen quia diuinitus ea gubernata fuerat,

at, diuinitus etiam defensa est. Me-
iolanensis quidem archiepiscopus, cum
rustra se laborare in legendo Italiæ rege
nimaduerteret, vltro ad Conradum
Germauiam accessit, eumq́ regem
ro authoritate sua salutauit.

Coronatus est Aquisgrani ab ar-
hiepiscopo Coloniensi, vt Nauclerus me-
orat. In Germania quidem mortuo
Heinrico Bauaro, S. Cunigundæ fratre,
lium suum Henricum vix decem annos
atum in ducatu Bauariæ collocauit,
Italiam verò profecturus eundem fi-
um suum regem Romanorum decla-
uit. Erat autem in Italiam aduo-
tus ab Hereberto Mediolanensi ar-
hiepiscopo, tum coronæ etiam accipi-
dæ caussa à pontifice eodem sibi ve-
endum duxerat. Mediolanensi tumul-
sedato, honore magno Mediolanum
gressus est, & diadema accepit. Inde
omam contendit, vbi in ipso die re-
rrectionis dominicæ coronatus est,
nno Christi 1027. Illinc reuersus
variis

varijs bellis implicatus est. Cum enim Ratisponæ anno 29. conuentum ageret, Stephanus Vngariæ rex, misso legato, ducatum Bauariæ coniugi suæ hæreditarium sibi reddi postulauit. Quod si Cæsar forte recuset, mox ei bellum indicit. Ad hunc conuentum adduxit Babo comes de Abensperg filios suos triginta duos singulari quodam & admirabili spectaculo. Tot enim viuentes habebat filios, cum filiabus octo. Inde ergo in bellum Vngaricum omni ope & studio incubuit Imperator, protesitq; adeo Rabam vsq; obuia omnia gladio & incendijs vastans. Cui cum par esse nullo modo aut resistere satis posset Stephanus, pacem cum eo fecit.

Conuentus Ratisponensis.

[illegible]

Bellum Vngaricum.

Sequente anno, qui fuit Christi 1031. Burgundiæ rex Rudolphus Giselæ Augustæ auunculus ad vitæ exitum vocatus regnum nepoti suo, Heinrico Conradi imperatoris filio, in testamento reliquit, diadema verò Conrado patri misit. Ab eo igitur tempore Burgundia in prouinciæ formam redacta cum Germania

Burgundia Imperio adiecta.

e imperio coniuncta est. Cœperuntq́ ermanici Imperatores titulum regni relatensis vsurpare. Cum autem lo vel Otho Celticæ comes, sororius Rulphi iure quodam Burgundiam sibi ndicaret: coactus fuit Cunradus, omisrebus alijs, bello eum persequi. Itaq; rro & flamma fines Othonis vastauit, ad cedendum regno Burgundiæ comlit.

Proximo anno Lombardi, facta iuratione, deficiunt ab imperatore, passuri alium sibi imperare, quàm faciat, quod ipsis libeat. Multa ergo aria in episcopum Landulphum, qui silia eorum improbabat, moliti sunt, cunctis viribus ad resistendum Cuno sese compararunt. Hæc rebellio in liam denuo attrahit imperatorem. o cum peruenisset, in Mediolanenconiurationis socios grauiter aniduertit, & archiepiscopum Ereberm in vincula coniecit. Is verò custoelapsus nouæ obsidionis caussam Imtori dedit. Cum autem grauiter vrbem **Lombardorum defectio.**

bem oppugnaret, ficta quadam specie Diui Ambrosij in cælo gladium vibrantis, tum tonitru etiam & fulgure sæuo deterritus, obsidionem soluit. Cremonam deinde venit, quo etiam pontifex accessit. Coronatio. *Cuspinianus scribit eum peruenisse Romam, & benedictionem ibi accepisse à pontifice Ioanne XVIII. proclamatumq; esse augustum imperatorem. Varij per Italiam tunc erant tumultus & seditiones, quas sedare inprimis magni laboris fuit & industriæ. Inde ad Normannos in Apuliam & Calabriam profectus, in fide Romano imperio debita eos confirmauit.*

Pacata Italia in Germaniam rediit tristis admodum propter iacturam multorum militum & ducum, quos in ora Adriatici maris pestilentia ex aeris corruptione nata, in exercitu eius absumserat. Italicam expeditionem alia mox excepit in Sclauos & Vngaros, Sclaui & Vngari domiti. *quorum motus quoq; componere Imperatorem oportuit. Inde in Germaniam reuertens propè Traiectum Belgij vrbem*

m morte subita extinctus est, & Spi-
in templo S. Mariæ à se constructo Mors Conradi II.
ultus, vbi etiam Gisela eius coniunx,
ius, nepos, & pronepos humati sunt.
uod inscripti monumento versus in-
ant:

Filius hic, pater hic, auus hic, proauus
iacet istic.

Anno Christi 1039. Henricus III. Henric. III.
nradi ex Gisela filius, cognomento
er, imperator Romanus à principi-
Electoribus designatus est, qui impe-
it annos septendecim, menses septem.
onius nominat Henricum II. quod
e fit, quia Italiam Henricus auceps
adijt. Iccirco imperator non nu-
ratur. Extat narratio de hoc Hen-
, quæ generum Cunradi II. non fi-
n appellat. Ait in venatione conti- Narratio de Henrico. III. ex Chron. During.
e, vt Conradus II. diuerteret in tu-
io quodam, vbi pariente vxore co-
is de Kalu, qui se ibi absconderat,
em audire sibi visus est: infans hic,
nperator, erit tibi gener & hæres.
c territus imperator mandatum

dedit

dedit duobus ministris, vt simul ac illuxisset, infantem occiderent. Hi verò miserti infantis sub arbore collocatum reliquerunt. Quo tamen fidei suæ documentum aliquod Imperatori darent, cor lepori exemtum pro infantis corde ei ostenderunt. Transijt fortè locum Hermannus Sueuiæ dux, infantemque suscepit, & educandum curauit. In quo cum indoles quædam virtutis eluceret, tradi illum sibi petijt aliquando Imperator, vt ad vsus magnos instruere posset. Venit tandem in mentem Imperatori vereri, ne ille ipse esset infans, quem occidi iussisset. Itaque metuens nescio quid, tum literis ad vxorem misit, quibus statim illum occidi iussit. Adolescens nihil mali suspicans, abit cum literis, & Spiræ ad decanum diuertit. Is nescio qua animi diuinatione permotus, dormiente adolescente, literas aperit, & mandato Imperatoris tam crudeli territus, verba quæ aderant, occidi facias, mutauit in hunc modum: filiam nostram vxorem tradas.

las. Quæ verba vbi legit imperatrix, filiam Henrico in vxorem dedit, & Imperator ipse, re cognita, ratum coniugium habuit. Sunt autem complura in hac narratione, quæ eius fidem eleuant. I. Repugnat tempus. Quî enim potuit annorum quindecim spatio, quibus imperauit Cunradus, infans nasci, educari, & in matrimonio collocari? Quis item tanta immanitate fuisse Imperatorem suspicabitur, vt facinus tam crudele in se admitteret, & hominem ex suspicione futili occideret? Maneat potius id quod supra dictum est, Cunradum ipsum secundo aut tertio anno imperij sui filium hunc suum regem declarasse.

Primum bellum quod gesit Henricus III. contra Boiemos susceptum est, quorum dux Vratislaus annuum tributum pendere recusabat. Iccirco cogere eum ad soluendum voluit Imperator. Sed prima expeditione efficere & obtinere parum potuit. Sequente anno quadragesimo primo scilicet, supra mille- Bellum Boiemicum.

millesimum à Christo nato, iterùm copias in Boiemiam duxit, Vratislaumq; ad dedendum sese ac pensitandum tributum compulit.

Vngaricum. *Secunda expeditio in Vngariam suscepta est ad restituendum Petrum regem, quem Vngari propter tyrannidem expulerant. Hic ad Henricum Imperatorem confugit, & opem ab eo aduersus Vngaros petiuit. Anno igitur 42. profectus in Vngariam Henricus Abam, quem Vngari regem crearant, accepto iureiurando, imperatisq; obsidibus, in deditionem redegit. Sed cum à fide data ille deficeret, aliam expeditionem contra eum suscepit Imperator; qua exuit illum regno, & Petrum eiectum restituit, anno 44. vt narrat Auentinus, & Schafnapurgensis.*

Lotharingicum. *Anno 1045. motus quidam suscitatus est à Godefrido Gottelonis Lotharingiæ ducis filio, propterea quod Cæsar, mortuo Gottelone, Adelbertum in Lotharingia collocârat. Id enim iniquo animo ferens Godefridus armis op-*

pugna-

pugnare Cæsarem aggressus est. Sed cum frustra rem viribus maiorem tentaret, dedere se in clientelam Cæsaris coactus est. Itaque custodiæ in arce Gibigstein ad Salam traditus est. Balduinus verò Flandriæ comes, qui ipsum adiuuerat, datis obsidibus, pacem cum Imperatore fecit. Tandem anno 1050. Godefridus in conuentu Moguntino, intercedentibus pontifice & principibus, in gratiam à Cæsare receptus est, & à pontifice cum alijs multis militibus in Italiam adductus, ad eijciendos Normannos, qui Apuliam occuparant. At infelix fuit bellum illud pontificis. Victus enim est in prælio magno ad Beneuentum, obsessus, captus, & vix tandem multa mala perpessus euasit, vt scribit Nauclerus, & Auentinus. Godefridus verò mortuo Bonifacio, Italiæ marchione, relictam ab eo vxorem ducit, & marchionatum adipiscitur. Quod Imperatori haud iucundum accidit. Cum enim augescentem eius potentiam formidarent Romani, querelam ad Impera-

peratorem detulerunt, qui ad comprimendum illum arma expediuit. Sed cum in Italiam venisset, obuiam ei processit Godefridus cum coniuge sua Beatrice, & cum sese purgasset; pax inter eos conciliata est.

Bellum Italicum.

Dissidium pontificum.

Anno 1046. pontificum ambitione & scelere in Italiam attractus est, vt dissidium exitiale trium pontificum tolleret. Venit igitur primum Papiam, deinde Sutrium, vbi synodo conuocata, tres pontifices de papatu simul contendentes deponit; & nouum Papam Suidigerum Bambergensem episcopum in sede pontificia collocat; qui Clemens II. est appellatus. Romæ iura Imperatorum, quæ Adrianus I. Carolo Magno, & Leo VIII. Othoni primo concesserant in electione & dispositione sedis pontificiæ recuperauit; & cum coniuge Agnete coronatus, Augustusq; appellatus est. Ita ergo non tam episcopos in Germania constituendi, quàm pontificem Romanum eligendi potestas penes Imperatores Romanos fuit; vt ante & post Carolum Magnum,

Iura Imperatorum in dispositione sedis pontificiæ.

Magnum, ita etiam hoc ipso Heinrici tempore vsq; ad Gregorij VII. ætatem. Quod demonstrant exempla petitorum à Romanis Imperatoribus pontificum quoties sedes vacauit. Quin ne Metropolitano quidem prælatus est Papa in Synodo Germanica, vt Cuspinianus memorat. Cum enim contentio inter Papam & præsulem Moguntinum orta esset, cessit pontifex præsuli, cum is iura sua allegasset. Papa cedit præsuli Germanico.

Mortuus est Heinricus III. anno 1056. ætatis verò 39. Burdfeldiæ, Saxoniæ oppido, grandi panis portiuncula, vt quidam tradunt, suffocatus; vel, vt alij scribunt, dolore, quem ex clade à Sclauis Lusatijs illata acceperat, confectus. Concidit cum eo potentia Romani imperij per Carolum Magnum instaurata, per posteros verò eius & Othones aucta.

Anno 1056. Henricus IV. Henrici III. filius Imperator factus, imperauit annis quinquaginta, minus duobus mensibus. Erat autem designatus à Henric. IV.

 patre

patre & principibus imperij cum nondum esset baptisatus, vt quidam scribunt. Imperium autem suscepit anno ætatis 6. & initio quidem mater Agnes bene sapienterq́ de consilio Henrici Augustani episcopi rebus præfuit, vsq́ ad annum Christi 1062. Ipse verò Henricus impubes à Conrado Sueuo nobili educatus anno ætatis sexto Coloniam abductus est, tutelam eius suscipiente Annone archiepiscopo Coloniensi cum Othone Bauaro & Ecberto comite. Agnes tandem Romam sese contulit, & in monasterio quodam ætatem contriuit.

Conuentus Coloniensis.

Interim res in imperio graues actæ sunt. Nam anno 1057. conuentus imperij fuit Coloniæ, in quo pontifex Victor adfuit, & intercessione sua obtinuit, vt dux Godefridus & Balduinus in gratiam reciperentur, omnesq́ iræ ac discordiæ inter Cæsarem & ipsos placarentur.

Eodem anno è viuis sublato Othone, Sueuiæ duce, magnum odiū cum crudelissimo dissidio extitit. Nam promiserat

ſerat Heinricus III. ducatum illum Bertholdo Zaringiæ duci, tradito ei pro pignore annulo ſuo. Sed Imperator, excluſo illo, Rudolphum comitem in Rimfelden Sueuorum ducem fecit, qui malam paulo poſt gratiam retulit. Suſceptum eſt etiam bellum Vngaricum impuberis Henrici auſpicijs. Cum enim Vngari regnum ab Andrea ad fratrem eius Belam transferre conarentur: Andreas vxorem ſuam & filium Salomonem cum opibus multis ad Imperatorem miſit, iuuari ſe contra rebelles ſuos petens. Imperatoris igitur authoritate exercitus geminus, quorum vni marchio Turingiæ Guilelmus, alteri Boiemiæ dux præfuit, ſubſidio Andreæ venit. Sed à Boleſlao Poloniæ rege cæſus eſt vterque. Andreas verò in fuga comprehēſus paulo poſt interijt, vt infra in rebus Vngaricis dicetur.

Rudolphus fit dux Sueuorum.

Bellum Vngaricum.

Anno 1065. annum agens 14. tutelaq; ſeſe abdicare cogitans, gladio accinctus eſt, & bella gerere cœpit. Fuit autem princeps in primis magnani-

Perſonæ deſcriptio.

mus, facundus, liberalis, pius, ingeniosus, & bellator felix, qui bis & sexagies cum hoste conflixit, & Marcum Marcellum, Iuliumq; ipsum superauit. Incidit eius gubernatio in medium rerum omnium discrimen, quando pontificia potentia maiestati imperatoriæ interitum apertè minabatur. Ac fortuna quidem varia stetit: modo abiectus pontificis imperata fecit, modo erectus, victor & Dominus eius euasit. A pontificibus certè vexatus, delusus, reiectus, & spoliatus opibus & dignitate est. Quod quidem ipsiusne culpa aliqua, an pontificum fraude, ambitione, odio & scelere factum sit, quæritur non immeritò. Equidem scriptores mirè variant, alij pontifices accusant, alij Imperatorem in culpa & suspicione ponunt. Quod si ab Imperatore culpa commissa est, iure eius siue temeritas, siue improbitas ab Italis & Germanis vituperatur. Sin Pontificum ambitio calamitatem & perturbationem tantam imperio attulit: nemo sanus non ipsorum scelus execran-

Status imperij.

Quæstio de fortuna Heinrici IV tam varia.

cerandum, contraq́ fortunam imperatoris miserandam putabit.

Tradunt autem historici multa esse ab hoc imperatore contra pietatem, leges, & bonos mores commissa. Nam & Ecclesiastica bona in abusum horrendum conuersa sunt, sacra turpi nundinatione vendita, ducatus translati, ordines confusi, disciplina corrupta, reuerentia aduersus leges sublata, iusticia deleta & licentia cupiditatibus permissa. At hæc mala non quidem imperatoris impuberis culpa, sed eorum potius delicto acciderunt, qui impuberi imperatori imperabant. Quin etiam eadem licentia imperator ipse deterior factus, vitam in ocio, venatione & luxuria egit. Inde ergo vitia in imperium infundi necesse fuit. Quæ tametsi corrigere postea imperator studuit, sanare tamen tanta vulnera non satis potuit. Et cum in facinorosos tanta seueritate non animaduerteret, quanta animaduertendum esse multi existimabant, malè audire cœpit. Hæc ipsa licentia Vitia in Imperio Rom.

etiam Saxones asperiores reddidit, vt rebellare Cæsari, quàm parere maluerint.

Diuortium ab Henrico IV. tentatum.

Non parum quoq; læsit famam Henrici, quod in conuentu VVormatiensi omni ope & opere enisus est, vt coniugem suam Vuertam repudiaret. Is enim conatus illius non principes solum offendit, sed pontificem ipsum etiam Alexandrum commouit, vt legatum in Germaniam mitteret, Petrum Damianum, qui in synodo Moguntina, audientibus principibus minatus est, pontificem adhibiturum esse ecclesiasticam vim, si consilio aut ratione flecti aut dimoueri ab instituto imperator non possit. Hæc & multa alia qui culpanda existimat, rectè quidem sentit, sed culpæ tamen non parum in educatore eius Adelberto Bremensi archiepiscopo residere cum historicis plerisq; fateatur necesse est.

Hildebrandus Pp.

Accessit anno Christi 1073. Hildebrandi pontificis, qui se Gregorium VII. nominauit, studium cupiditasq; honorum, & ambitio insatiabilis, qui ne quiescendum sibi esse duxit, nisi ius potestatemq;

omnem

omnem ab antecessoribus quibusdam ad imperatores Romanos translatam recuperasset, atque adeo imperatorem ipsum libidini imperioq́; pontificio subiecisset. Hinc de iure imperij primum certamen exarsit. Contra ius imperij euectus erat ad pontificatum Hildebrandus. Id ergo si scelerate deserere noluit imperator, vindicare facinus iniustum vtiq; oportuit. Et si iustior est is qui ius suum contra vim tuetur, quàm ille qui ius violat: profecto meliorem esse conditionem imperatoris quàm pontificis necesse est. Nihil tamen hostile fecit imperator, sed interdictum pontificis plenum furoris, ne quis ministerio eius vtatur in Ecclesia, qui in coniugio viuat, per Germaniam diuulgari summa patientia concessit, ne incendij, quod excitari videbat, author esse videretur.

Certamen de iure imperij.

Interea anno videlicet 1071. opera quædam præclara effecit. Cum inter Boleslaum Poloniæ regem, & Vratislaum Boiemiæ ducem dissidium atrox extitisset,

Factum præclarum Henrici IV.

tiſſet, iamq́ ad arma deuentum eſſet, & detrimenti multum vtrinq́ datum: authoritatem ſuam interponit imperator, & conuentum indicit Myſnæ, vbi à diſſidio & maleficio vtrumq́ iubet deſiſtere. Idq́ niſi faciant, profitetur ſe ſocium fore ei, qui prior arma deponat, ad oppugnandum alterum. Hoc decretum in Myſnenſi templo recitatum eſt.

Initium belli Saxonici.

Anno 1073. Cæſar loca quædam in Saxonia operibus, munitionibusq́ ſepſit, quibus militare etiam præſidium impoſuit. Id ferendum minimè arbitrantes Saxones, ad defendendam patriæ libertatem conſpirant, & ſocietatem periculi vel ſalutis vel laboris coeunt cum Bauaris, Turingis, Friderico Palatino cum epiſcopis item, Halberſtadienſi, Magdeburgenſe, Hildesheimenſe, Merſburgenſe, Mindenſi, Badebornenſi, VVurcepurgico, Myſnico & alijs. Qui vna mente legationem quidem ad imperatorem mittunt, ſed ſtatim tamen arma capiunt, eumq́ Hartzburgi prope Goſlariam obſident. Sed Imperator aufugit

fugit. Sequente anno pax quidem facta est, sed ea, quæ ad maiora certamina materiam præbuit. Nam anno 75. prælium ingens ad fluuium Onestrum, siue Vnstrudum in Turingia commissum est, in quo victi Saxones dedere sese cum omnibus principibus Saxoniæ & Turingiæ coacti sunt. Hæc clades Saxonibus caussam dedit accusandi Imperatorem apud pontificem Hildebrandum. Vnde dissidium pestiferum & funestum imperij ortum est. Pontifex enim iam diu optatam occasionem inuadendi in caput & fortunas imperatoris cupidè arripit, eumq́ citat, vt Romæ die præfinito se sistat: ni pareat, anathema minatur; atque denunciat. Tum iurisiurandi etiam religione omnes eius subditos soluit.

Saxones accusant impera. apud pontific.

Cæsar contra conuentum agit Vuormatiæ, & consentiente ecclesiastico ordine, Papam abdicat. Idq́ missis Romam legatis ac literis exequi instituit. Sed consilium eius casus inopinatus præripit. Nam in Germania Rudolphus Bauariæ dux

Conuentus Vuormat.

dux Vuelphus, eximia laude fortitudinis & integritatis in vniuerso imperio præstans, cuiusq; fides ante perspecta erat imperatori in prælio ad Onestrum, subitò mutatus, vel ab Apostolico, vt quidam scribunt, inductus, item Bertholdus Carinthius, Adelbertus Episcopus Vurcepurgicus, Hermannus Metensis, Adelbertus Vuormatiensis, & alij principes ab Imperatore deficiunt, & consilium de eligendo alio imperatore in oppido Oppenheim capiunt. Cæsar verò in Italiam ad satisfaciendum pontifici proficiscitur. In itinere accipitur honorificè paßim ab ordinibus Italiæ, qui sperabant eum vindicem & oppressorem fore iniustæ dominationis pontificiæ. Ipse verò præter omnem opinionem & expectationem Canusij absolutionem supplex à pontifice petit, nullum pœnæ genus à pontifice indictum subire recusans, sed ad valuas ac limina templorum pro libidine illius sese abijciens. Quæ res speciem quidem reuerentiæ aduersus sedem pontificiam habuit, sed duo-

Consilium de eligendo alio imperatore.

Cæsar absolutionem petit.

duobus incommodis maximis imperatorem affecit. Nam & in contentionem summam apud Italos eum adduxit, & domi interim, authore pontifice, à quibusdam principibus rex eligitur Rudolphus Sueuus, cui Papa coronam cum hac inscriptione mittit. Rudolphus rex eligitur.

Petra dedit Petro, Petrus diadema Rudolpho.

Delusus ad hunc modum à pontifice imperator clam ex Italia in Germaniam redit; & certamen laboriosum atque cruentum cum regni æmulo, sibi subeundum esse perspicit. In primis igitur Bauariæ ducatum Friderico ab Hohenstauff tradit, cum Rudolpho autem prælium committit, quo eum fundit & fugat, Bauariamq́ diripit. Anno 1078. iterum cum eo confligit, & victor euadit. In eo prælio archiepiscopus Magdeburgensis occumbit, Magnus verò Saxoniæ dux diripitur, Hermannus & Adelbertus Saxoniæ Duces cum multis alijs Saxonibus capiuntur. Sequente anno prope Fladenheim cum eodem congreditur, & victor itidem euadit. Prælia Henrici Rudolph.

In

In hoc conflictu Vratislaus Boiemiæ dux hastam Rudolphi nactus est, quæ postea quotannis in festis summis, tanquam victoriæ signum ostensa est.

Concilium Brixiense.

Octogesimo anno supra millesimum Henricus concilium Brixiæ Noricæ, siue in Bauaria aduocat, ad quod multi episcopi ex Italia, Gallia, & Germania venêre. In hoc Hildebrandus licet absens damnatus ac depositus est, in eiusq́ locum constitutus Rauennæ episcopus Vuigbertus, qui dictus est Clemens III.

Decretum Synodi Brixiensis.

Decreti in hoc concilio facti summa est, quam Vrspergensis recitat: nos, authore Deo, congregati in vnum, legatis ac literis freti decem & nouem episcoporum, die sancto præteritæ pentecostes Moguntiæ congregatorum, contra eundem Hildebrandum procacissimum, sacrilegia ac incendia prædicantem, periuria & homicidia defendentem, catholicam & apostolicam fidem de corpore & sanguine Domini in quæstionem ponentem, hæretici Berengarij antiquum discipulum, diuinatio-

num

num ac somniorum cultorem, manifestum necromanticum, pythonico spiritu laborantem, & iccirco à vera fide exorbitantem, iudicamus canonicè deponendum & expellendum, & nisi ab ipsa sede his auditis descenderit, in perpetuum condemnandum.

Non multo post aliud fit prælium in Thuringia tanto ardore animorum, vt vtrinque accepto detrimento, dubio Marte, victoriaq; incerta discessum sit. Quartus verò & omnium acerrimus congressus ad Elystrum Mysiæ fit anno 1080. Idibus Octobris, in quo victoriam Henricus reportat, dexteram verò suam Rudolphus amittit, quam ei præcidisse dicitur Godefridus Bilionæus. Inde æger ex vulnere in oppidum infertur, præcisamq; manum cum gemitu astantibus episcopis ostendit: spectate, inquiens, Domini, hæc est manus, qua fidem dedi Domino meo Imperatori Henrico: hæc nunc perfidiæ pœnam iustam exoluit. Quam rectè verò vos feceritis, quod authores mihi ad violandam fidem, & **Prælium in Thuringia.**

ascendendum solium contra Dominum meum fuistis, cum animis vestris cogitate. Paulò post ex vulnere mortuus est.

Roma expugnatur.

Sublato Rudolpho totam belli molem in Italiam aduersus pontificem conuertit. In itinere oppida & arces pontificis munitas capit, & in profesto pentecostes anno 1081. vrbem aggrediens ad arcem S. Petri castra ponit, bienniòq; eam obsidet. Etsi autem inde ad alia etiam digreditur: tamen sequente anno ad expugnationem Romæ totus accingitur, & Leoninam vrbem nouam capit, Petri & Pauli templa vastat, agrum Romanum diripit, in easq; angustias Romanos adducit, vt pacem ab eo petant, & in fidem illius sese dent, vt Sigebertus & Nauclerus scribunt.

Anno 1083. vrbe tota potitur, Papam Gregorium in arce S. Angeli obsidet, vnde tamen ille Salernam ad Normannos aufugit, vbi etiam mortuus est. Ciuibus in fidem acceptis pontificem ad Calendas Nouembris se sistere

iubet,

iubet, quo die cum non comparet, sede eum mouet, & Clementem III. in illa collocat. Interea in Germania rebelles, pontificis iussu, Rudolphi loco Imperatorem designant Hermannum ducem Lucelburgensem, qui statim Franciam Orientalem diripit: alij alia in imperio turbant. Cæsar verò anno 1084. relicta Roma, in Apuliam abit, cuius partem bonam occupat. Inde Romam reuersus, iusiurandum fidelitatis à ciuibus; coronam verò à pontifice, vna cum vxore sua Berta accipit. Inde reuersus Augustam recuperat, episcopum ibi in mortui locum surrogat, & Moguntiæ anno 1085. conuentum celebrat, in quo præsentibus & consentientibus episcopis Italis, Gallis, & Germanis acta Hildebrandi aduersus Cæsarem reprobantur, contraq; Cæsaris approbantur: omnes item episcopi, qui seditiosis se aggregarant, dignitate priuantur, deponitur etiam Cæsar Hermannus, à seditiosis electus, eiusq; loco substituitur

Hermannus Lucelburg. fit Imperat.

Heinricus coronatus.

Conuentus Moguntinus acta Hildebrandi damnat.

Ecbertus fit Imperator.

Ecbertus Turingiæ marchio, qui titulum Imperatoris vsurpat amplius annis quinque. Cum eo confligit Henricus ad VVurcepurgum, sed vincitur, & VVurcepurgum amittit, verum paulo post recuperat. Tum Vratislao Boiemorum duci in conuentu Moguntino titulum ac dignitatem regiam tribuit, Morauiamq; ad Boiemiæ regnum coniungit, quod factum est anno Christi 1086. Sequente anno Ecbertus seditiosorum imperator improuiso Henricum ad Gleicham in Thuringia adoritur, pellit, fugatque. Burcardum verò Losanniæ episcopum Imperatoris signiferum in prælio occidit.

Dux Boiemorum fit rex.

Interim in imperio seditiose & tumultuose multa aguntur, vt fit, vbi domini duo inter se dissidentes & discordantes imperant. Nec in Italia tumultuari desitum est. Iccirco ad pacandam eam Henricus denuo iter anno 1091. ingreditur, remanetq; in ea annos septem, quibus multas arces & castra in deditionem imperij redigit.

Reditus Henrici in Italiam.

Erant

Erant autem Henrico filij duo, quorum alterum Cunradum Italiæ præfecit, alterum verò Henricum an. 1099. imperij successorem designauit. Etsi enim Cunradus maior natu fuit: tamen præteritus est à patre, & à succeßione in imperio remotus propter ingratitudinem & impietatem, quod ad pontificem & Rogerium Normannorum ducem, hostes paternos defecerat, & contra patrem arma ceperat. Quare pœnas tandem luit, & proscriptus à proceribus an. 1101. mortuus est Florentiæ. Filij Henrici IV.

Henricus, relicta Italia, omni cura & cogitatione in id incubuit, vt pacem in imperio restitueret. Sed aliud longè moliebatur Romanus pontifex Paschalis II. qui vt Hildebrandi sæuitiam vel imitatione consequi posset, vel certè voluntate ad eam accederet proximè, Romæ concilium indixit, ad quod Heinricum citat, qui cum ad diem dictum comparere recusat, anathematis fulmine à Papa feritur. Nihilominus tamen imperio afflicto opem & salutem ferre dies

& noctes cogitat. Iccirco cum Saxonibus ad annos quatuor pacem facit, simul indicans se, translata in filium Heinricum imperij cura, expeditionem ad terram sanctam suscipere velle. Quod quidem eius consilium ac propositum pium ac salutare orbi Christiano probari & iuuari à pontifice & episcopis debebat. Sed non desistit pontifex & episcopi aduersus eum non solum Saxones, sed ipsum etiam Henricum V. filium incitare. Is ergo anno 1105. palam à patre deficit, eumq; excommunicatum cum pontificia cohorte persequitur. Non hic iura sanguinis, non cura pietatis, non pudor retardare eum aut deterrere ab armis impijs aduersus patrem potest. At habet excusationem. Quam? In conuentu episcoporum, qui fuit Northusiæ, professus est, se ad bellum patri faciendum non regnandi aliqua cupiditate, sed studio obediendi Apostolicæ sedi, vt Vrspergensis ait, impelli. Quid faciat pater? qui quocunq; aspicit, furias sibi occurrentes habet,

Filius bello persequitur patrem,

qua

quæ illum respirare non sinunt. Filium iusta indignatione vestigijs ipsius persequitur, eiectum episcopum Vurcepurgicum Erlungum restituit, & prælium cum filio committere vult, sed intercedentibus principibus illud intercipitur. Ante prælium tamen orasse dicitur milites, vt parcerent filio, ne in peccatis suis interficeretur.

Sequente anno in conuentu Moguntino à Papa Paschali decreto publico damnatur, imperio exuitur, omnibusq; insignibus & ornamentis spoliatur. Idq; decretum ei ab archiepiscopo Moguntino, Coloniense, VVormatiensi, & alijs, ad id ab imperij ordinibus delegatis, Ingehelmi denunciatur. Lucet hoc ipso tempore cometa, à Dominica I. ieiunij, vsq; ad Dominicam VI. Quo absq; dubio significatum est, cœlum ipsum facinus tam nefarium horrere, & vindictam diuinam minari. Paulo post anno scilicet Christi 1106. mense Augusto medio, mœrore animi debilitatus, & tot iniurijs fractus, Leodij cum morte vitam

Henric. IV. imperio deijcitur.

Cometa.

Mors.

tam commutat, ad tantam, vt quidam ſcribunt, inopiam redactus, vt ab epiſcopo Vuormatienſi beneficium, quod præbendam vocant, petierit, nec tamen impetrarit. Alij in cuſtodiam à filio datum ſcribunt. Cadauer autem toto quinquēnio ſtetit Spiræ in ſarcophago lapideo, extra templum, antequam ſepultura ei concederetur. Sunt qui ſcribunt, humatum quidem eſſe, ſed pontificis mandato ex ſepulchro iterum extractum, & quinquennio inhumatum relictum. Certè anno IIII. demum excommunicationis ſolutio impetrata eſt, & ſepultura ſumtuoſa facta.

Hic eſt Imperator ille, qui ſe pro ſalute & dignitate imperij in dimicationes aſperrimas & difficilimas obiecit, & tanquam propugnaculum hoſtibus patriæ oppoſuit, omnes impetus fraudes & tela pontificis Romani, ſatellitumq́; eius epiſcoporum excepit, atque ſuſtinuit: nihil mercedis inde reportans, præter ſempiternam nominis, fidei, fortitudinis, & conſtantiæ laudem atque

memo-

memoriam, quam vnam neque inuidia minuere, neque aduersariorum furor eripere potuit. Hostes verò eius plerique omnes tetram mortem obierunt, vt diuinitus compreßi esse videantur.

Anno 1107. Henricus V. quarti filius imperauit annis 19. Impietatis aduersus patrem pœnas dedit pontificibus Romanis & rebellibus ijs, à quibus in patrem erat incitatus. Nam in Italiam profectus Lombardiam quidem & Tusciam pacauit, tum Papam etiam Paschalem II. eò impulit, vt coronam ipsi tribueret, ac iura priuilegiaq; imperialia conferendi episcopatus, abbatias, & prælaturas per annulum & baculum restitueret: sed paulò post eadem per concilij sententiam amisit, & turbis nouis implicatus est. Hoc enim concilij decretum multos episcopos ac principes ab eo alienauit, rebellionisq; horrendæ caussam dedit. Mortuo autem Paschali II. pontificem nouum Gelasium II. amouit: sed ab eo vicißim excommunicatus est, & in periculum maximum

Henricus V.

Certamen cum pontificibus.

Cæsar excommunicatur.

discrimenq́ extremum adductus. Quamobrem cum rationem expediendæ salutis nullam prospiceret, in Italiam rediit, legatos ad Papam misit, & reconciliationem tentauit. Papa verò gratiam & veniam omnem denegauit, nisi concedere de iure ecclesiasticæ inuestituræ vellet. Proinde concilium Vuormatiæ indictum est, in quo imperator ius omne in episcoporum electione collegijs concessit. Hoc modo pax inter Papam & Imperatorem, sed magno imperij detrimento constituta est.

Concilium VVormatiense.

Cæsar amittit ius inuestituræ.

Cum rebellibus verò conflictatus est acerrimè, inter quos erant inprimis Saxones, qui mortuo duce Vlrico, ducatum ad Sigefridum ducem, tanquam ad legitimum hæredem transferebant. Cæsar verò ad imperium pertinere hæreditatem eius contendebat. Hinc cum motus magni suscitarentur, Cæsar armis & ferro rebelles adoritur, præliumq́ magnum cum illis committit, in quo Sigefridus Saxoniæ dux occumbit, multi capiuntur, & in præsentia tumultus

Bella cum rebellibus.

multus sedatur. Sed non multo post, nempe anno Christi 1115. ijdem Saxones iterum rebellionem faciunt. Contra hos igitur exercitum ducens Cæsar, multa populatur. Sed occurrit ei Lotharius Saxonum dux, & cum eo ad Guelphorum syluam in Mansfeldensi comitatu confligit. Quanquam autem Cæsaris copiæ multo maiores sunt, & quinque Cæsarianis vix tres Saxones opponuntur: tamen vincunt Saxones, & Cæsarem profligant. Strages tanta est edita, vt ad quadraginta quinque millia hominum ex vtraq; parte interijsse dicantur.

Sylu. Guelphorũ Vu[illegible]felsholz. Vel Syl[illegible] catularia. Cæsar vincitur à Saxonibus.

Bellum etiam gessit contra Polonos, inductus à Boiemorum rege: vbi cum in Silesiam, quæ Polonorum erat, venisset, Libusium quidem cepit, sed Glogouiam expugnare non potuit. Quocirca pacem cum Polonis fecit, in qua quidem pacificatione cum forte legatis Polonicis vim auri & argenti magnam ostendisset, hic, inquiens, thesaurus Polonos perdomabit: subridens legatorum

Auaritia Cæsaris & arrogantia.

vnus aureum annulum de digito suo detractum ad thesaurum Cæsaris adiecit, aurum, inquiens, auro iungatur. Cui Cæsar respondit, ago gratias, quod est Germanicè, habe danck. Vnde reliquum est nomen familiæ nobilis de hab danck in Polonia, quod hinc adepta est. Non multo post bellum recruduit, & prælium prope Vratislauiam factum est, in campo Canino, qui sic à canum concursu post conflictum cognominatus est, in quo Cæsar à Boleslao Polonorum rege victus est.

Cæsar a Polonis vincitur.

Conuentum indixit Moguntiæ anno 1115. quo nemo principum accessit, præter episcopos pauculos. Cum autem paulo ante archiepiscopus Moguntinus propter conspirationem cum quibusdam principibus custodiæ mandatus esset: Moguntini in hoc conuentu Cæsarem in arce obsederunt, & ad dimittendum archiepiscopum compulerunt, vt Vrspergensis scribit. Mortuus est Traiecti sine liberis anno 1125. sepultus verò Spiræ.

Conuentus Moguntinus.

Mors.

Anno 1125. Lotharius Saxonum dux

Lotharius aleator ab

dux imperator Germanorum XX. est factus, & imperauit annis 13. Erat is comitis Gebharti in Supplinburg & Arnsperg filius, ex prosapia veteri comitum Querfordi ad Herciniam. Ad ducatum verò Saxoniæ, Electoratusq; dignitatem euectus erat ab Henrico V. propter operam, quam in bello aduersus patrem ipsi nauarat. Inauguratus est Moguntiæ, in principum conuentu. Princeps fuit moderatus, pacis & iustitiæ amans. Iccirco summis imperatoribus Constantino, Carolo Magno, & Othonibus à scriptoribus nonnullis annumeratur. Sunt autem duæ res quibus maximè excelluit, & laudis sempiternam memoriam consecutus est, pacis studium, & iustitiæ cura. Primum enim duos imperij æmulos, Fridericum Sueuum, & Cunradum Francum sic repreßit, vt incommodi non multum inde ad imperium redundaret, quam quidem ad rem aiunt etiam S. Bernardi operam acceßisse. Vlmam tamen ingressu ipsum prohibentem, & contumeliosè repellentem

alex ludo dictus, quo delectatus fuit, quemadmodum & Cæsar Augustus.

Duæ virtutes insignes Lotharij.

tem vi cepit, & diripuit. Deinde adversus Boiemos expeditionem suscepit, in qua tamen non multum effecit, sed multos è suis amisit, & pacem dare accipereq; coactus est.

Anno Christi 1133. in Italiam attractus Innocentij II. pontificis precibus, in sedem pontificiam illum reposuit, eiecto nouo Pseudopapa, & coronam etiam Romæ accepit inspectante S. Bernardo, quem secum adduxerat. Etsi autem iura in episcoporum electione imperatoribus Romanis debita recuperare conatus est: obtinere tamen nihil potuit, vel fatis Ecclesiam & rempublicam vrgentibus, vel metu crescentis pontificiæ potestatis, de iure suo decedente imperatore: Ob quod vel in primis ab Italicis scriptoribus celebratur.

Rogerium profligauit.

Anno 1137. iterum in Italiam profectus Rogerium Siciliæ regem, pontificibus Romanis aliquid detrahentem, & suum regnum augentem, Apulia & Campania expulit, Italiaq; vltra & citra

Apen-

Apenninum domita, opibus Romanam ecclesiam cumulauit.

Iustitiæ porro curam magnam adhibuit, dum iura Romana post quingentorum ferè annorum exilium in scholas & forum quasi postliminio reuocauit. Barbari enim tam literarum, quàm legum etiam Romanarum lucem & vsum omnem in imperio aboleuerant. Itaque dubium esse non potest, quin cum iure Romano literæ etiam restitui cœperint. Quo sanè maior gratia Lothario debetur, quod ad tanta decora & firmamenta imperij recuperanda operam, studium, & curam conuertit. Est autem vsus ad eam rem consilio & studio Irnerij iurisconsulti, hominis Germani, qui id temporis vicarius erat imperatoris, in ea parte Italiæ, quæ imperio parebat, & iam ante Constantinopoli iuris interpretes audiuerat. Dicitur autem reperisse leges Romanas in Apulia, easq; Pisanis donasse, qui in palatio Mediceo reposuerint Florentiæ, vbi nunc etiam asseruentur. Et quoniam

Ius Roman. instaurauit.

Irnerius.

tunc

tunc obliteratæ erant, nec absq; interprete intelligi poterant, vtrumq; curæ fuit imperatori, vt & in scholis illæ explicarentur, & in iudicijs vsurparentur. Itaque Irnerio professionem iuris Romani imposuit, qui Bononiæ id publicè interpretari cœpit, circa annum Christi 1137. In hac autem professione ardua & difficili tria adhibuit, quæ & amorem cognoscendi leges ignotas accenderent, & cæteros ad imitationem industriæ inflammarent, ordinem scilicet, & orationis lumen. Nam & leges concinnè distribuit, & iurisconsultorum discrepantes sententias acri iudicio conciliauit, & in docendo sermonis genere vsus est ad explicandum & illustrandum omnem sensum & vsum iuris accommodato. Quapropter lucerna iuris dictus est, & instaurator legum Romanarum cognominatus. Ex eius schola non ita multo post prodiêre, qui eadem dexteritate & commoditate ius docuerunt, & latè eius scientiam propagarunt, Placentinus quidem in Gallia; alij

ali-

lbi. Vnde adhuc iuris professio in Academijs Italiæ, Galliæ, & Germaniæ reliqua est. Ante illud .n. tempus in Italia Longobardicæ leges, in Gallia Francicæ, in Saxonia Saxonicum ius inductum & confirmatum à Carolo Magno vsurpatū est. Non solum verò doceri ius Romanum voluit Lotharius in Academijs, sed recipi etiam in foro & iudicijs mandauit, vt secundum illud controuersiæ dijudicarentur. Vnde vsus legum Romanarum adhuc hodie in orbe Christiano reliquus est.

Mortuus est prope Tridentinum in reditu ex Italia, sepultus verò Cæsareæ Lothariæ inter Helmstadium & Brunsuigam, vbi epitaphium eius monumento ascriptum reperitur:

Exuitur membris hei trina luce Decembris.
Ecclesiæ gemitus illius est obitus.

Helmoldus sic scribit de Lothario: Huius temporibus lux oriri noua cepit, nec tam in finibus Saxoniæ, quàm in vniuerso imperio tranquillitas temporum, abundantia rerum, pax inter regnum, & sacerdotium.

Cunrad. III. *Anno Christi 1139. Cunradus III. Sueuiæ dux, Henrici V. ex sorore nepos Imperator designatus, annis imperauit 14. Acta huius Imperatoris præcipua sunt, I. aduersantem sibi Henricum superbum Bauariæ ducem, Lotharij Imperatoris generum, qui à socero imperij insignia acceperat, sine cæde & sanguine vicit, imperialiaq́ insignia deponere coegit, tum proscripsit etiam, ducatumq́ fratri vterino Leopoldo Austriaco tradidit. Saxones verò rebellantes sic edomuit, vt in fidem sese recipi peterent, quod etiam Bambergæ in conuentu factum est.*

VVelphus. *II. Bellum Bauaricum gessit cum VVelpho fratre Henrici proscripti & expulsi, anno Christi 1140. VVelphus enim Leopoldum Bauariæ ducatu, quem Cæsar ei dederat, deiecit. Cæsar verò eiecti defensionē suscepit. Itaq; arcem VVinsberg obsedit, & VVelphum profligauit. In obsidione autem cum sustineri impetus hostium amplius non posset, & fames etiam ita vrgeret, vt deditionem facere necesse esset, matronæ oppidi ab Imperatore*

Mulieres asportant humeris susceptos maritos.

tore

tore petiuerunt, vt sibi liceret cum suis rebus, quas humeris gestare possent, discedere. Metuebant enim ne victor in victos, atq; adeo in VVelphum ipsum inclementius sæuiret. Annuit Imperator. Mox igitur neglectis rebus omnibus suũ quæq; maritum humeris susceptum ex oppido effert. Quod spectaculum adeo placuit Cæsari, vt VVelphum, aliosq; ciues ab vxoribus exportatos dimitteret incolumes. Et cum ob clementiam tantam fremerent eius duces: respondit, non decere verbum regium immutari, nec fæminarum pietatem hanc erga maritos solum probauit, sed VVelphum ipsum etiam in amicitiam recepit.

Tertio expeditionem in Syriam suscepit, suasu S. Bernardi, anno Christi 1147. cuius expeditionis socij fuerũt Fridericus Sueuus, & VVelphus Bauarus, quos secutus est Angliæ rex: Postquam in Græciam ad Iconium peruenit, in obsidione fraude atq; perfidia Immanuelis Græcorum Imperaatoris circumuentus, & prope enectus, tertio demum anno, Expeditio in Palestinam.

re infecta reuersus est. Dicitur enim ille Christianorũ farinæ gypsum immiscuisse.

Quartò celebres quasdam Germaniæ vrbes Norimbergam & Lubecam instaurauit & exornauit. Norimbergæ monasterium ad S. Ægidium fundauit. Mortuus est Bambergæ, sepultus verò Laureaci anno 1152.

Fridericus Barbarossa.

Anno Christi 1152. imperium suscepit Fridericus Barbarossa, siue Ænobarbus à ruffa barba, per contumeliam ab Italis sic dictus, & imperauit annis 38. menses 3. Sueuiæ dux fuit, Cunradi Imperatoris ex fratre nepos, cuius etiam suffragio adiutus, ab imperij proceribus Imperator electus est, & Aquisgrani consecratus. In electione singulari Dei consilio factum esse Frisingensis scribit, vt is caput regni constitueretur, qui Gibelinorum & Guelphorum sanguinis consors esset, & tanquam lapis angularis dissidium eorum diuturnum componeret. Erant enim hæ duæ familiæ in imperio potentissimæ, plurimumq; inter se dissidentes, vna Gibelinorum, altera Guelphorum. Ac ex

Gibelini & Guelphi, inter quos dissidium fuit ad ann. 300. vel 400. ac cædes, direptiones, bellaq; in Italia excitatæ.

Gibe-

ibelina quidem stirpe paternam, ex
uelphorum verò maternam originem
ridericus duxit. Excelluit prudentia,
rtitudine, pietate, & pacis amore, sed
signi fortunæ varietate in toga & bello
sus est. Primum dissidentes inter se fa- Acta.
ilias consilio magis quàm armis recon-
liauit. Merspurgi quidem coniun-
it Zuenonem & Canutum de corona
aniæ contendentes. Qui cum arbitrum
ussæ suæ Fridericum delegissent: sic is
em diremit, vt Zuenoni regnum, Ca-
uto autem partem regni adiudicaret.
Vurcepurgi verò Heinricum Bauariæ
Saxoniæ ducem cum Alberto mar-
ione in gratiam reduxit, & alia compo-
it grauia & diuturna dissidia.

Secundo, in Italiam profectus re- Corona.
ellantes Mediolanenses coercuit. In-
e progressus Papiæ, postea Romæ co-
onam accepit, nempe anno Christi 1155.
ed mirum est, quod Romani & Pon-
fex ipse fecerunt. Romani equi- Postulata Rom. & pontif.
em missis ei obuiam oratoribus duo po-
ularunt, liberationem ab iniusto do-

minatu clericorum, formæq; veteris reipublicæ restitutionem, & quinq; millia librarum argenti. Quibus respondit Imperator, maiestatem imperij Romani iam olim esse translatam ad Germanos, tum iniustum esse, populum leges præscribere suo principi, ac pecuniam ab eo exigere. Ab his conuersus ad pontificem Adrianum, qui metu Imperatoris ex vrbe discesserat, placidè cum eo egit, sed is quoq; duo in Imperatore vituperabat: primum quod descendenti sibi de equo sinistrum non dextrum stapedem tenuisset. Secundò, quod nullum beneficium adhuc in Romanam ecclesiam contulisset. De vtroq; excusat se Imperator, & bene meriturum se deinceps de sede Pontificia pollicetur. Romani verò à tumultu suo aduersus illum non desistunt. Accepta corona in Germaniam redit, vbi nouos motus ab Arnoldo archiepiscopo Moguntino, & Hermanno Palatino ad Rhenum suscitatos esse comperit. Quamobrem sic animaduertit in eos, vt archiepiscopo quidem propter ætatem par-

Crantius lib.6.c.16.

cat,

cat, Hermannum verò canem posterioribus pedibus ad humeros alligatum, vel certè manibus prehensum, & de humeris pendentem gestare viuum cogat in publicis spectaculis. Pœnæ vetustæ exempl.

Tertiò, dißidium ingens inter Henricos duos, vitricum Austriacum, & priuignum Saxonem, ob Bauariæ ducatum sic composuit, vt Austriæ marchionatum in ducatum conuerteret, eumq́ cum parte Bauariæ supra Anisum Henrico vitrico aßignaret: Bauariam verò Henrico priuigno adiudicaret. Tum vt ducem VVelphum placatiorem redderet, ducatum Spoletanum, Tusciam, & Sardiniam ei tribuit.

Quartò, magno animo restitit ambitioni pontificis, cum in Germaniam legatos misisset VVurcepurgum, qui cum in sermone suo ostendissent, Imperatorem à pontifice per coronam accepisse imperialem authoritatem, tanquam beneficium: negauit id Imperator, & cum principibus deliberatione habita, mox iußit legatos Germania exce-

excedere: non se à pontifice imperij habenas, sed à Deo per legitimam electionem principum & ordinum imperij accepisse confirmans, vt Radeuicus Frisingensis scribit. Idq́ factum est anno 1157. Deinde an. 1166. decretum fecit VVurcepurgi in conuētu imperiali, vt deinceps nullus pontifex reciperetur, nisi sciente & consentiente Romano imperatore aut rege electus esset.

Decreta contra pontific.

Quintò, in Italiam iterum venit anno Christi 1158. ad coercendum Mediolanenses, qui Papiam & Nouariam dirripuerant. Derthonam verò ab eo ante destructam repararant, & Italiam armis compleuerant. Hos igitur ita adortus est, vt obsessos dedere sese cogeret, & supplices factos in fidem reciperet. Etsi autem pax ad hunc modum facta est: tamen ijdem non multò post incitati à Papa Adriano iterum deficiunt, & cum illo, totaq́ ferme Italia fœdus contra Cæsarem faciunt. Redit igitur in Italiam Cæsar, ex imperij decreto Erfurdiæ facto: & Mediolanum obsidet,

sidet, capit, ciues expellit, muros deijcit, domibusq; omnibus præter templa euersis, aratrum in crucis modum per medium vrbis trahit, ac salem aspergit, anno Christi 1162. Deinde anno 1174. iterum rebellant Mediolanenses, facto cum Siciliæ rege Guilelmo, & alijs ordinibus Italiæ contra Cæsarem fœdere, vrbem Alexandriam muniunt, & suam instaurant. Rursum igitur eos oppugnat Cæsar, sed dubia victoria.

Mediolanum solo æquatum.

Sexto, à pontificibus contumelias & iniurias grauissimas passus est: primum quidem ab Adriano IV. qui incitarat contra illum Mediolanenses, & alias Italiæ ciuitates, tum excommunicare etiam ausus fuisset, nisi musca suffocatus esset. Deinde ab Alexandro III. ipsum simul & Paschalem Papam anathemate ferit, tum Romanos & Italiam vniuersam ad oppugnandum Cæsarem inflammat. Rursum igitur in Italiam exercitum ducit, ab archiepiscopis Coloniense & Moguntino adiutus, Ro-

Pontificiæ iniuriæ.

mam obsidet, ciues multos interficit, vrbem expugnat, Papam Paschalem restituit, vrbes Italiæ plurimas, arces, & oppida, præsertim verò in Tuscia occupat, nouas verò arces ac munitiones extruit, quibus præsidium Germanicum imponit, iudicia passim constituit, & magistratus, iudicesq́ ordinat. Restituto autem Paschali Alexander III. ad Venetos confugit, quem persecuturus Cæsar filium suum Othonem cum classe Venetias mittit, vt Papam euocet. Sed Veneti, patrocinio pontificis suscepto, Othonem profligant, & capiunt. Inde in calamitatem & mœrorem magnum incidit imperator, nec modum alium redimendi filium inuenit, quàm vt reconciliationem à pontifice petat. Itaque conditiones etiam duras accipit, & Venetias ingressus in vestibulo S. Marci supplex ad pedes Papæ sese abijcit absolutionem flagitans. Quid Papa superbus? pede altero collum humi strati Cæsaris calcat, & verba Psalmi recitat: Super aspidem & basiliscum ambulabis.

Papa conculcat Cæsarem.

Cui

Cui cum aliud nihil abiectus imperator diceret, quàm hoc: non tibi, sed Petro: respondit pontifex: impressa fortius planta: Et mihi & Petro. Spectator fuit huius tyrannidis pontificiæ quidam Mysniæ marchio Theodorus, qui zelo exardescens, propere ad erigendum imperatorem accurrit, & vultu ipso iustam indignationem in Papam ostendit. Quare territus ille nonnihil amplectitur imperatorem, ad altare ducit, & data acceptaq; salute, fœdus pacis cum eo init, anno Christi 1177. Paulò post ab armis paßim conquieuit Italia, & in Cæsaris eiusq; filij, Henrici regis fidem sese dedit.

Septimo, iura sanxit cum alia, tum de feudis etiam, quæ tunc ad insignem iniquitatem peruenerant. Id quod prooemium indicat legum feudalium, quod extat. Quinetiam studiosis literarum qui gymnasia publica frequentant, optimè consultum voluit, edicto ad omne tempus valituro, ne quis aliquam scholaribus iniuriam faciat, nec ob alterius cuiusq;

Iura feudalia.

Priuilegium scholarium.

cuiusq; prouinciæ delictum siue debitum, quod aliquando ex peruersa consuetudine factum est, aliquod damnum eis afferat. Siquis verò fecerit, aut factum vindicare rector ciuitatis neglexerit, is in quadruplum multetur, notamq; infamiæ ipso iure subeat, ac dignitate in perpetuum careat. Si quis litem scholaribus super aliqua re mouerit, optio eis detur, vt vel coram Domino seu Magistro suo, aut ipsius ciuitatis episcopo, conueniantur. Qui verò ad alium iudicem eos adducere tentarit, etiamsi caussa iustißima sit, tali conatu cadat. In authentica verò, quæ Codici inserta est, libro 4. tit. 13. l. 5. ratio etiam additur, cur imperatorem deceat, speciali quadam dilectione studiosos ab omni iniuria defendere, quod videlicet eorum scientia totus illuminetur mundus, & ad verum Dei cultum, obedientiamq; erga magistratum informetur.

Octauo, Bellum in Saxonia inter Henricum ducem, & alios principes

ortum

ortum anno Christi 1167. composuit, & Henricum in Italiam secum contra Mediolanenses duxit. Sed is ex itinere reuertit domum, à Cæsare alienatus. Quamobrem ipse etiam Cæsar, pace cum pontifice facta, mox fugientem Henricum persequitur in Germaniam, eumq; proscribit, & ducatibus prouincijsq; cunctis priuat, vt Vrspergensis scribit. Anno 1189. iter in terram sanctam suscepit, ad profligandum ex ea Christiani nominis hostes Saracenos, assumto filio suo Friderico. Secutus est eum anno altero rex Gallorum Philippus, & Richardus Angliæ regis filius. Ac Cæsar quidem copias suas per Vngariam & Bulgariam duxit, reges verò per aliam viam. Quanquam autem Græcorum imperator perfidia magna in illum vsus est: processit tamen nihilominus feliciter in Syriam vsq; & Seladini exercitum ex Cilicia & Armenia expulit. Gallus verò & Anglus recta Ptolemaidem contenderunt. Sed in itinere Anglus Cyprum expugnauit, eamq; militi suo tutan- Bellum sacrum.

tandam reliquit. Imperator porrò fracto iam & debilitato penè Seladino hoste Serram Armeniæ flumen ingreditur lauandi, vel certè æstus in magno labore & puluere mitigandi caussa, misereq; perit, vel suffocatus in vortice, vel vt quidam scribunt, æger inde Seleuciam delatus & paucis diebus post extinctus, anno Christi 1190. Sepultus est Tyri, cum tanto angore atque mœrore, vt in nullius principis funere plus lacrymarum sit profusum, Vrspergense & Crantio autoribus.

Mors.

Henric. VI.

Anno Christi 1191. Henricus VI. Friderico Barbarossæ patri in imperio successit, designatus Romanorum rex à patre anno Christi 1170. & imperauit annis septem. Ducto in Italiam exercitu cepit & vastauit vrbes in Campania & Apulia. In Sicilia verò Tancredum cepit, qui regnum inuaserat, eumq; oculis priuatum in Teutoniam misit, ac regnum sibi vendicauit. Mortuus est Messanæ anno 1198.

Anno

Anno Christi 1199. principes ancipiti contentione distracti duos imperatores crearunt: alij Philippum Sueuiæ ducem, Friderici I. filium, Henrici VI. fratrem, alij Othonem IV. Saxoniæ ducem Henrici Leonis filium, neglecto Friderico Henrici VI. filio, quem pater procerum atque ordinum imperij consensu in eunis regem Romanorum fecerat. Ac Philippus quidem annis 9. mensibus tribus & diebus aliquot imperauit. Otho verò annis 19. mensibus 2. Othonem porrò confirmauit Papa Innocentius III. imperijq́ ordinibus commendauit, vt in cap. Venerabilem. tit. 6. lib. 1. Decretal. habetur. Philippum verò excommunicauit, quod ad nutum voluntatemq́ ipsius sese conuertere nollet. Hic Erfurdiæ obsessus est ab Hermanno Turingiæ Landgrauio, qui secum Othogaro Boiemiæ rege, & Henrico Palatino ad Rhenum coniunxerat. Sed cum obsidio dies nouem durasset, euasit Philippus, & illico copias quantas potuit, comparauit hostesq́ suos profligauit. Landgrauius autem

Henric. VI.
Otho VI.

autem tradidit sese ei & veniam impetrauit. Inde inclinatio aliqua mentium & voluntatum ab Othone ad Philippum facta est, & Adolphus Coloniensis archiepiscopus vnà cum Guilelmo Iuliacensi comite pompa solenni eum coronauit Aquisgrani, anno 1203. Sed ob id à Papa excommunicatus est archiepiscopus, & loco motus. Philippus verò Othonem obsedit Coloniæ, vrbeq́ exeuntem fudit, archiepiscopum Brunonem vi introductum cum alijs multis cepit, & vinculis coercuit. Otho verò in Angliam fugit, sed qui cum eo fuerant, ad Philippum defecerunt. Tandem controuersia omnis diremta est inter pontificem & vtrumque imperatorem. Ac inter Philippum quidem & pontificem sic conuenit, vt Philippus Papæ nepoti Richardo filiam suam vxorem, dotisq́ loco Tusciam & Spoletanum ducatum cum marchionatu Anconæ daret. Cum Othone verò ita transactum, vt ei Philippus filiam suam despouderet, imperij fasces ipse retineret, quoad viueret. Post

mortem

mortem verò suam Otho imperaret, vt scribit Nauclerus. Pace constituta, cum in arce Bambergensi quietis caussa in cubiculum à venæ sectione secessisset: ab Othone Palatino de VVittelspach sceleratè interfectus est pugione, anno Christi 1208. Sepultus est primum Bambergæ, sed postea Spiram translatus. Sicarius verò à Philippo Mareschalco non multo post occisus est.

Anno Christi 1209. Otho IV. Brunsuicensis imperium suscepit, & Romæ ab Innocentio III. inauguratus, & augustus salutatus est. Cum autem inuito pontifice Siciliam occupasset, & in Apulia etiam oppida multa cepisset: anathemate eum notauit Papa; & ab imperio remouit, ab eiusq; obedientia & fide omnes subditos absoluit. Hanc sententiam excommunicationis cum in Germania publicasset archiepiscopus Moguntinus, quidam principes arma in eum expediuerunt, diripueruntq; ac populati sunt eius ditionem, tum ipsum etiam profligarunt. Alij contra Otho- Otho IV.

Fridericus. *nem alium elegerunt Imperatorem Fridericum Siciliæ regem. Etsi autem Otho conuentu Norimbergæ indicto, querelam iustam & grauem habuit apud imperij ordines de Papæ iniurijs: nihil tamen obtinuit, sed Papa nihilominus Fridericum contra illum confirmauit; & vt Aquisgrani inaugurararetur, effecit. Excommunicatus & damnatus ad hunc modum Otho, muniuit quidem se fœdere cum Ioanne Angliæ rege, Reinaldo Poloniæ, & Ferdinando Flandriæ ducibus. Sed contra eum Fridericus cum Gallorum rege Philippo & filio eius se coniunxit. Inde ergo prælium acerrimum est ortum inter Gallum & Othonem ad pagum Bouinas, in quo ingenti animorum ardore pugnatum est. Sed succubuit Otho cum fœderato Angliæ rege; vicitq́ Gallus. Mortuus est itaque inglorius & ab omnibus desertus Brunsuigæ, anno 1218.*

Frid. II. contra quem electus est a quibusdam Henricus Duringiæ, Landgrauius, qui imperauit annum vnum, & aliquot menses.

Anno Christi 1220. inauguratus est Romæ Fridericus II. Siciliæ rex, qui anno 1210. designatus erat. 1212. vero

rò coronatus Aquisgrani. Imperator fuit sapiens, fortis, felix, & literarum linguarumq́ complurium gnarus. Eius res gestæ memorabiles sunt in imperio, extra imperium, & contra pontifices. In imperio quidem in primis pacem, concordiam, iusticiam & disciplinam constituit. In Lombardia verò & Tuscia magistratum ordinauit, & comites duos, Matthæum ac Thomam ob factam rebellionem Tuscia eiecit. Qui cum ad pontificem profugissent, recepti ab eo sunt. Ex quo dissensio inter Cæsarem & pontificem nata est, quæ tamen anno sequente sublata est, contracto matrimonio inter Cæsarem & regis Hierosolymitani filiam vnicam, ea lege, vt cum ea Cæsar ius regni Hierosolymitani, & hæreditatem acquireret. Quod quia ratum habuit Pontifex, paulò post sponsa ex Oriente Romam adducta, & nuptiæ ibi peractæ sunt. Inde fieri ait Nauclerus, vt hodie etiam Siciliæ reges titulum regni Hierosolymitani vsurpent. Cum autem ad iter Hierosoly-

Acta in imperio.

Titulus regni Hierosl.

mitanum sese compararet Cæsar, nouum dissidium in Lombardia pontificis impulsu accensum est, quod & deleri non facilè potuit; & imperio damni multum dedit.

Etsi enim Cæsar anno 1233. Mediolanenses, eorumq́ fœderatos prælio magno superauit, tum Venetos ipsos etiam incommodis difficultatibusq́ multis affecit: tantum tamen Papæ fulmina & conspirationes valuerunt, vt consilia atque conatus eius vehementer labefactarent. Nec iam ab hostibus tantum, sed à filio ipso Henrico Cæsar miserè oppugnabatur. Is enim ab hostibus patris incitatus cum Longobardis sese coniunxit. Quamobrem custodiæ mandatus est à patre, in qua etiam extinctus est. Deinde anno 1238. iterum adortus rebelles in Lombardia, ita eos coercuit, vt victoriam facilè ei traderent, & obedientiam pollicerentur. Mediolanenses quidem cum socijs ipsorum ad nouam curiam vicit, filiumq́ ducis Venetorum inter multos alios nobiles cepit,

quem

quem etiam suspendi in littore maris iussit: alios alijs supplicijs affecit. Inde Brixiam in deditionem accepit, & tota Lombardia, excepta Bononia & Parma, vt Nauclerus scribit, potitus est. Tandem tamen etiam Bononiam, vt Crantius narrat, cepit, Academiamq; eius Paduam transtulit. Parmam verò obsedit quidem, sed cum expugnare non posset, contra illam vrbem nouam extruxit, quam Victoriam appellauit. At Parmenses non multo post eam demoliti sunt, profligato Cæsare. Tandem Bononienses quoq; filium Cæsaris Fridericum fuderunt, ceperunt, & in vinculis perpetuis habuerunt.

Extra imperium cum Saracenis in Oriente bellum gessit, ac primum quidem copias suas Brundusij conuenire iussit, anno 1227. Quo cum ipse venire præfinito tempore propter valetudinis infirmitatem non posset: in Apulia commoratus eius exercitus, detrimenti multum à lue pestilente accepit. Tandem verò iter ingressus, subito, omissa expeditione, Acta extra imperium.

reuertit. At sequente anno gradu pleno ingressus, Ptolemaidem vsq; peruenit, Sultanumq; Ægypti eò adegit, vt pacis conditiones offerret. Quas cum acciperet Imperator, Hierosolymam, Ioppen, & Nazaretham, aliaq; loca recepit, & Hierosolymam ingressus, regio more ibi coronatus est. Hac victoria sine cæde & sanguine potitus in Apuliam rediit.

Acta cum Pontific. Cum pontificibus porro dura admodum fortuna, & molestijs maximis conflictatus est. Longæ sunt ambages, iniuriæ verò acerbissimæ. Primum quidem iussu Pontificis Honorij coronatus est Romæ, & Augustus appellatus. Sed anno sequente Pontifex eiectos à Cæsare ex Tuscia rebelles comites, Thomam & Matthæum contra Cæsarem receptauit & fouit. At hæc simultas non multo post sopita est per matrimonium Cæsaris cum filia regis Herosolymitani, quod Papa comprobauit, vt dictum est. Sed cum susceptam semel expeditionem in Palæstinã prætermisisset Cæsar: iterum aduer-

ſatus eſt ei Papa, & anathematis fulmine illum notauit. Quam iniuriam vindicaturus Cæſar, Frangipanum familiam potentiſsimam apud Romanos ſibi aduerſus pontificem adiunxit. Contraq́; Papa Ioannem regem Hieroſolymitanum, comites Apuliæ & alios, quotquot potuit, in eum incitauit, nec id ſolum, ſed in ipſa etiam Palæſtina templarijs author extitit, vt Cæſaris conatibus pijs & honeſtis obſiſterent. Ipſe verò interea dum bellum ſacrum geſſit Imperator, Apuliam & terras eius occupauit, tū cruce ſignatos omni ſtudio prohibuit, ne transfretarent. Quanquam autem Cæſar abſolutionem à pontifice petijt, eamq́; etiam, intercedentibus quibuſdam epiſcopis & imperij principibus, numerata auri ſummà magna, impetrauit: tamen cum Mediolanenſes fudiſſet, iterum ab eo excommunicatus eſt, anno 1233. Nec multò poſt, cum iterum tumultuates Longobardos repreſsiſſet, anathematis fulmine eum percuſsit.

Recruduit id temporis Gibelinorum & Guelphorum factio. Cum enim di-

strata essent Italiæ studia ita, vt pars ad pontificis, pars ad Cæsaris ductum sese applicaret, sic distinxit Cæsar, vt Guelphi appellarentur, qui Pontificem, Gibelini verò, qui Cæsarem sequebantur. Hinc pestis magna in imperium inuasit, & distractiones horrendæ extiterunt. Post hæc Papa, fœdere cum Venetis & Longobardis facto, sese muniuit contra Cæsarem, quod is publico scripto questus est, & mox Venetos bello aggressus, tum Papam ipsum manu valida adortus, Rauennam expugnauit, Senas, aliasq; ciuitates Italiæ sibi deuinxit. Romam denique ipsam inuasit, Papamq; in tantas angustias adduxit, vt crucem prædicari contra Cæsarem vbiq; iusserit, indulgentias plenas dans omnibus, eam assumentibus. Concilium quoq; indixit Romæ, sed Cæsar omnes aditus ad illud interclusit. Mortuo Gregorio IX. successor eius Innocentius IV. initio quidem æquior aliquanto erga Cæsarem fuit: sed paulò post aduocato Lugduni concilio, eum excommunicauit, & imperio

Guelphi. Gibelini.

priua-

privauit. Mox Haßiæ & Turingiæ Landgrauius Henricus ab aliquibus imperij ordinibus rex Romanorum designatur. Sed contra eum Cunradus Cæsaris filius exercitum ducit, & copias illius fundit, Ex quo contemni Henricus à plerisq; cœpit, & pontificius rex appellatus est. Hoc extincto anno 1247. pontificis iussu eligitur contra Fridericum Guilelmus Holandiæ comes, qui annis nouem regnat. Fridericus verò tot incommodis affectus in Apuliam ducit exercitum, vbi in morbum incidit, eoq;, vel, vt alij putant, veneno, vel certè nothi Manfredi, quem Tarentinum principem instituerat, insidijs extinctus est, anno Christi 1250, Versus sepulcro eius inscripti sunt Panormi:

Guilelmus.

Mors.

Si probitas, sensus virtutis, gratia, census,
Nobilitas orti possent obsistere morti:
Non foret extinctus Fridericus, qui iacet intus.

Mortuo Friderico II. filius eius Cunradus IV. anno Christi 1250. Romanorum rex electus, imperauit annis tribus, mensibus 5. diebus 10. Hic adiutus à Tan-

Cunrad. IV. Pontificij inter regnũ statuunt a morte Friderici II. vsque ad initium regni Rudolphi Habspurg. nempe ab anno Ch. 1251. vel vsque ad annũ Ch. 1273.

à Tancredo ciuitates Italiæ, quæ ad pontificem defecerant, recuperauit, Neapolim expugnauit, murosq́ eius & ædes quasdam publicas & priuatas solo æquauit, Capuæ muros demolitus est, Aquinum exußit. Mortuus est anno Christi 1253. vocatis in suspicionem dati veneni medicis, quos Manfredus frater pecunia corruperat. Filius eius Cunradinus postremus ex Friderici Barbarossæ familia, anno Christi 1267. decertauit prælio cum Carolo Siciliæ rege, Ludouici regis Gallorum fratre. Et primum quidem victoriam reportauit. Deinde verò Germano milite ad rapinas conuerso, hoste verò ad præliandum reuerso, victoria è manibus excidit. Captus itaque Cunradinus vnà cum socio belli Friderico Austriaco in hostis potestatem venit. Is statim ad pōtificem scribit, & quid fieri de captiuis velit, percontatur. Respondet pontifex: Vita Cunradini mors Caroli: Mors Cunradini vita Caroli. Obsecutus huic consilio Carolus, vtrumq; Neapoli in publico se-

Cunradinus.

curi

curi percußit. Hæc clades exitum finéq; familiæ vtriq; Sueuicæ & Austriacæ primæ attulit, anno Christi 1268.

Anno Christi 1247. Guilelmus Holandiæ comes impulsu pontificis contra Fridericum II. electus Rom. rex, imperauit annis nouem, nempe ad annum 1256. quo Frisijs bellum intulit, & ab ijs occisus est. Etsi verò VIIuiri imperij in deliberando in partes contrarias distracti duos reges elegerunt, alij Richardum Ioannis Anglorum regis fratrem, qui etiam Aquisgrani coronatus est, & annis quindecim regnauit: alij verò Alphonsum Castellæ regem, qui annos totidem regnauit, & insuper sex menses & aliquot dies: tamen in tanta dissensione anarchia vel interregnum verius, quàm imperium, totis annis septendecim fuit.

Guilelmus Holandus.

Richardus & Alphonsus.

Anno Christi 1273. Rudolphus Sueuus, comes Habspurgensis, Landgrauius Alsatiæ, vna mente & consentientibus omnium electorum suffragijs Romanorum imperator creatus, à pontifice confirmatus, & Aquisgrani inauguratus est,

Rudolphus. Habspurgū castrum in aditu alpiū Iuliarum ad lacum Lemanum. Est autem prosapia Rudolphi ex antiquissima

& nobilissima stirpe Francorum, nempe a Landgrauijs Alcatiæ & Marggraui. in Austriæ.

est anno ætatis suæ 25. & imperauit annis 17. mensibus 9. diebus 16. Qui tametsi opes & vires magnas non habuit, animi tamen magnitudinem, prudentiam, fidem, authoritatem, & felicitatem ad tantum gubernationis munus attulit. Authoritas equidem tanta in eo fuit, vt cum adolescens adhuc ad imperatorem Fridericum accederet, ordines militares ad honorandum eum consurgerent. In primis verò ab astrologo imperatoris cultus est, à quo cum quæreret imperator Fridericus, cur tantopere comitem pauperem veneraretur, respondit, quod videam illum imperatorem fore, deficiente tua prole.

Industria eius domi in constituendo, honestando, & augendo imperio eluxit. Foras enim in Italiam præsertim egredi noluit, illud Horatij recitans:

me vestigia terrent,
Omnia te versum spectantia, nulla retrorsum.

Sed missis tamen legatis, pacem vtcunque in omnibus imperij partibus retinuit.

Anno

Anno 1274. conuentum Norimbergæ habuit, ad quem citatus Othocarus Boiemiæ rex venire recusauit, contumaciæq́; documenta satis manifesta dedit. Marchio item Badensis, & Bauariæ dux rebellionem fecerunt. Itaque armis eos adortus Cæsar facere imperata coegit. Viennam deinde obsedit adiutus ab Vngariæ rege, Othocarumq́; defendere eam conantem, profligauit. Sed cum eo tamen sic tandem pactus est, vt is sibi Boiemiam & Morauiam beneficij loco à Cæsare & imperio haberet. Austriam verò, Stiriam, & Carinthiam imperio concederet. Ab his pactis cum denuò recessisset Othocarus, rursus anno 1278. cum eo conflixit, vicit, & occidit. Regnum verò Boiemiæ Vuenceslao eius filio traditum est, cui Cæsar filiam Iuttam collocauit. Austriæ porro ducatum Alberto filio suo Cæsar dedit, Bauariam verò alteri filio Ioanni. Hoc modo ducatus Austriæ ad comites Habspurgicos translatus est, vnde archiduces Austriæ descendunt.

Othocarus.

Austriæ ducatus.

Vnum

Vnum est, quod non satis ex imperij commodo & dignitate commisit. Romandiolam enim, & Rauennam cum Exarchatu Papæ concessit: ea tamen conditione & lege, vt inde neruos belli aduersus communes Christianorum hostes colligeret. Sed quid pontifex? misit ad eum legatos Cæsar ex conuentu Vuurcepurgico, per quos subsidia ad bellum sacrum petijt, videlicet quartam partem omnium ecclesiasticorum redituum in Germania, sed nihil impetrauit. De Siciliæ principatu variè certatum est, qui cum ad Gallos deuenisset, insolenter illi & asperè multa fecerunt, quæ cum ferre Siculi diutius non possent: tandem conspiratione facta ad vnũ tollere omnes qui in præsidijs collocati erant, constituerunt. Sunt autem vsi ad eam rem auxilio Petri Aragoniæ regis, cum quo sic pacti sunt, vt coniunctis viribus ad 30. diem Martij, cum signum campanæ daretur ad preces vespertinas, impetum in Gallos facerent. Ad eam igitur horam illos adorti promiscuè mares & fœminas,

Liberalitas erga pontifices.

minas, non habita vlla ætatis ratione, occiderunt. Quin etiam euisceratis mulieribus grauidis, fœtus exsecuerunt, & saxis illisos interemerunt, ne vllæ Gallici sanguinis reliquiæ superessent. Perierunt in hac laniena octo millia Gallorum duarum horarum spatio, anno Christi 1282. Hinc Vesperæ Siculæ in historijs nominantur. Deinceps Siciliam non Galli, sed Petrus Aragoniæ rex cui Manfredi regis Siciliæ filia nupta erat, gubernauit. Comitia etiam Erfurdiæ habuit, anno Christi 1290. quibus ante omnia, dissentientes ciues & senatum eius vrbis reconciliauit. Dissensionis verò authores capite condemnatos morte mulctauit in foro. Cum etiam Erfurdenses de eruptionibus & expilationibus crebris ex Ilmenau factis quererentur, Cæsar illis partem præsidij sui militaris adiunxit, & prædones 99. illinc extractos, Erfurdiamq; adductos supplicio affecit. Tum 60. arces prædonum in Turingia Erfurdensium ope & adminiculo destruxit. Albertum verò Turingiæ

Vesperæ Siculæ.

Conuentus Erfurdensis.

ringiæ Landgrauium, & filios eius Fridericum, ac Ticemannum vehementer inter se dißidentes in gratiam redire iußit, in hunc modum, vt pater vim omnem à filijs abstineret: filij verò Mysnia, Lusatia, & Austrasia contenti, reliqua patris potestati permitterent. Id quod à parte vtraq; fide data promissum est. Mortuus est, & sepultus Spiræ, anno 1291. ætatis verò 73. Ab hoc numerantur propagati imperatores Romani laudatißimi, donis tamen dißimilibus præditi, hoc modo: Rudolphus I. mitis, Albertus I. fortis, Albertus II. grauis, Fridericus III. pacificus, Maxilimianus prudens, Rudolphus II. clemens. Scribunt aliqui hunc Rudolphum primum extitisse, qui instrumenta lingua Germanica ordinarie scribenda: ante illum verò omnia fuisse scripta latinè. In ore habuit sententiam hanc, seuerum & immitem fuisse me aliquando pœnituit: lenem & placabilem nunquam.

Romani imperatores ex prosapia Habspurg.

Instrumenta Germanica.

Anno Christi 1292. Adolphus comes

mes Nassauiensis ad imperium euectus, annis sex, & aliquot mensibus regnauit. Conductus est stipendio centum millium aureorum ab Eduardo Angliæ rege, qui id temporis bellum cum Gallis gerebat: quod cum minuere imperij authoritatem plerisque omnibus videretur, cœpit in odio ille esse, & contemni à multis. Ipse verò pecuniam illam ad emendam Thuringiam contulit, quam Albertus Landgrauius consilio improbo duodecim millibus marcarum auri, siue 94000. florinis ei vendebat. At cum occupare eam Imperator vellet, ordines regionis fidei, quam hæreditarijs dominis Friderico & Ticemanno debebant, memores, consensu summo, Dominum illum recipere recusarunt. Quod cum iniquo animo ferret Adolphus, armis & ferro regionem adortus expilauit, diripuit, vastauit, immanitate & crudelitate Turcos ipsos superans, vt in rebus Turingicis & Mysnicis dicetur. Cum autem diu hoc bellum priuati tantum commodi caussa gessisset,

set, imperij verò curam nullam haberet, indignaq; adeo & nefaria multa in se admitteret: idem archiepiscopus Moguntinus, qui ante author principibus ad eum eligendum extiterat, vt ab ijsdem deijceretur imperio, effecit. Itaque congregatis principibus Moguntiæ, anno Christi 1298. imperio exutus est, & in locum eius Albertus Austriacus Rudolphi filius surrogatus. Hinc vindictæ cupiditate incensus Adolphus, Alberto bellum intulit, & cum eo prælium atrox commisit, in quo etiam occubuit, manu Alberti confossus. Cadauer humatum est in monasterio Rosenthal: sed postea ab Henrico Lucelburgico Spiram translatum, & honorificè conditum. Quãquam autem desiderari multa in Adolpho potuerunt: tamen quia vnctus fuit Domini, mortem tetram obierunt plerique omnes, qui illi sese opposuerant, aut in necem, siue interitum eius conspirarant, comites simul, episcopi & archiepiscopi, quos Nauclerus enumerat. Immò Albertus ipse, qui illum confoderat,

Hostes Adolphi.

vicißim à fratris filio interfectus est.

Anno Christi 1298. Albertus dux Austriæ, Rudolphi Imperatoris filius à cunctis Electoribus Francofurti desi-gnatus Romanorum rex, imperauit annis 9. mensibus totidem, & diebus quinque. Consecratus Aquisgrani co-ronam à pontifice Bonifacio VIII. per oratores petijt; sed is primum simplici-ter recusauit, quod & electio illius irrita esset, & Dominum suum Adolphum regem occidisset: vel potius, quod ipse sibi summam potestatem in ecclesiasticis & politicis rebus vendicaret, vt habet appendix Martini Poloni. Deinde ve-rò concesßit, postquam Cancellarius Cæ-saris assentatione sua illum placauerat. Is enim verba pontificis industria singula-ri subsecutus dixit: in omni re caussa antecedit effectum, effectus verò finem. Quemadmodum Deus antecedit cælum, cœlum verò inferiores mundi partes. Ergo tu beatißime pater, cum caussa mouens sis, Imperator verò exequens, pax tandem finis vniuersi: leua manum

Albertus Austriacus.

Assentatio.

tuam, & aquila eleuabitur, exequeturq́ motus tuos.

Bella. *Bella quidem multa geßit, quibus duodecies prælio decertauit, sed priuata magis, quàm publica. Regnum Vngariæ frustra affectauit. Boiemiam verò filio suo Rudolpho acquisiuit, Friderico & Ticemanno Mysniæ ducibus amicitiam, fidem, & defensionem promiserat. Sed incensus cupiditate inuadendi Mysniæ ducatum, eumq́ Boiemiæ regno adiungendi, bellum eis fecit, & modis varijs oppugnauit. Venenum quidem hausit propinatum Salisburgensis episcopi artibus: sed medicorum ope euomuit, alterum tamen occulum amisit, vnde monoculus rex fuit dictus. Ingressurus postea Boiemiam exercitum trium millium equitum, & quinquaginta millium peditum adduxit. Sed cum Rhenum traijcere vellet, coniuratores quatuor, quibus vitam suam credebat inter eundum confoderunt illum: Ioannes quidem fratris ipsius filius, pugionem primum in collum adegit,*

Mors.

git, reliqui deinde in faciem, caput, & totum corpus enses defixerunt, anno Christi 1308. Parricidæ profugi partim perpetui carceris pœna, partim supplicijs grauißimis mulctati sunt. Sepultus est Spiræ.

Anno Christi 1308. Henricus Lucelpurgensis VII. Imperator electus est Francofurti, insignitus verò Aquisgrani corona Caroli Magni ab archiepiscopo Coloniense. Imperauit annis quatuor, mensibus 9. Initio imperij sui conuentum egit Spiræ, in quo Adolphi & Alberti Cæsarum corpora honorificè humanda curauit. Postea bellum Mysnicum diuturnum & exitiale sic composuit, vt Fridericus dux Thuringiam & Mysniam, Boiemi verò inferiorem Lusatiam retinerent. In Italiam profectus, Mediolani coronam ferream accepit, cum coniuge. Deinde rebelles paßim oppugnauit & vicit. Tum Genuam etiam ingressus pacauit. Inde Romam venit, & in Laterano coronatus, Augustusq; appellatus est. Roma Henr. VII.

Tyburtum progressus, tumultum ibi sedauit. Mox Florentinos oppugnauit, & cum Siciliæ rege Friderico fœdus fecit. Apuliæ verò regem Robertum proscripsit, qui cum armis sese defensurus esset, Cæsar cum exercitu ei obuiam iuit. Sed casus horrendus consilium eius præuenit. Conductus enim fuit à Senensibus quidam ordinis prædicatorum monachus, qui porrecto pane in Eucharistia, eum necauit in Tuscia, apud Bonconuentum anno 1313. sepultus est Pisis.

Cæsar hostia necatus.

Anno 1314. iterum contentione ancipiti distracti septemuiri, duos reges elegerunt. Moguntinus quidem & Treuirensis archiepiscopi, Ioannes item Boiemiæ rex, & Vuoldemarus elector Brandepurgicus Ludouicum V. Bauarum crearunt, & Aquisgrani coronarunt. Coloniensis verò archiepiscopus, Saxo, & Palatinus ad Rhenum Electores designarunt Fridericum Pulcrum Austriæ ducem, Alberti Cæsaris filium, Ludouici consobrinum, eumq; Bonnæ consecrarunt.

Duo reges Romani Ludouicus, & Fridericus.

Fridericus pulcer, ab eleganti & procera statura cognominatus.

unt. *Horum ille annis 33. hic verò annis 15. imperauit. Ludouicus legatum ad Papam misit de confirmatione electionis suæ, sed nihil impetrauit.*

Fatale hoc dissidium principum imperij fuisse videtur ad turbandam & conuellendam Germaniæ pacem atq; dignitatem. Inde enim ciuile bellum funestum extitit, quod annis octo fortuna varia, euentuq; ancipiti gestum est, & vix prælijs quinq; tandem sopitum. Erat tunc Germania populis & opibus affluentior, quod & Belgicæ vrbes, & Heluetica imperio Germanorum parebant. Hæ ergo, vt fit in dissensione ciuili, ita diuellebantur, vt aliæ Ludouicum, aliæ Fridericum sequerentur. Accedebant etiam Pontificis Romani consilia nimis callida & ambitiosa, quibus dominatum sibi per totum imperium quærebat.

Mortuo Henrico inter regnum & bellum intestinum ad annos 8. fuit.

Helueti & Belgæ.

Fridericus quidem anno 1316. Eslingam Sueuiæ vrbem cum socijs suis obsidebat: sed repellebat eum Ludouicus, commisso victoriæ incertæ prælio. Inde

tumul-

tumultuatum est in Germania, vsque ad annum 1323. quo Fridericus exercitum decem millium Vngarorum, & viginti millium Austriacorum in Bauariam duxit, eamque grauiter afflixit, diripuit, exussit, & in turbam inermem virorum & mulierum horrendum in modum sæuijt. Huic ergo occurrit Ludouicus, & cum eo ad oppidum Multorff & Otingam prælio atroci decertauit: in quo copias illius fudit, ipsum verò cepit, cum fratre Henrico, & triennio in custodia retinuit. Postea dimisit ea conditione, vt nomen quidem & titulum, sed neque ius, neque potestatem Imperatoris vsurparet. Nec ita multo post captiuitatem mortuus est ille, anno 1330. Ludouicus verò sublato ad hunc modum imperij æmulo, pacataque Germania ad sedandos etiam Italiæ tumultus animum appulit. Erat autem Italiæ tumultus omnis ex factione Gibelinorum & Guelphorum exortus. Itaque copias aliquas misit Ludouicus Galeacijs, Mediolani comitibus, qui Gibelino-

Clades & mors Frid.

rum

rum duces erant, subsidio aduersus Gu-
elphos. Tum vicarios passim & præ-
fectos in Italiæ vrbibus collocauit. Qua
re offensus Papa Ioannes XXII. ex-
communicatione dignum Cæsarem iudi-
cauit, quod & hostes suos Gibelinos ar-
maret, & imperatoris munus sibi ante
pontificiam confirmationem arrogaret.
Itáque Auinionem ad dicendam cauſ-
ſam citauit, & non comparentem, sed
ad concilium generale prouocantem cum
omnibus fœderatis, anno Christi 1324.
excommunicauit. Ex quo disceptatio
ingens nata est, quibusdam Theologis
& Iureconsultis Papam, nonnullis verò
Cæsarem defendentibus, vt supra de pon-
tificibus dictum est.

Anno Christi 1327. in Italiam
ipse cum exercitu iuit, ibiq; acceptus &
habitus honestissimè primum coronatus
est Mediolani, inde rebus per Italiæ ci-
uitates compositis, Romam contendit,
inde legatis ad Papam in Galliam mis-
sis, inaugurari se ab eo petijt. Quod vbi
facere recusauit, cardinalis Stepha-

nus Columna, consentiente senatu, clericis, populoq́ Romano, reclamante verò pontifice, insigniuit illum diademate, & vnà etiam imperatricem ipsam, quæ id temporis filium ibi peperit, qui ab vrbe Roma Ludouicus Romanus est dictus. Cæsar iniuriæ pontificis memor, adhibet in consilium Cardinales & episcopos, factoq́ decreto, Papam Ioannem XXII. abdicat, & eius loco Nicolaum V. collocat. Idq́ scripto publico defendit.

Postquam verò in Germaniam rediit, Italiæ vrbes, inter quas Pisæ primas tenuerunt, iterum defecerunt, & Nicolaum V. captum ad Ioannem XXII. miserunt. Quamobrem iussu Cæsaris in Italiam profectus cum exercitu Ioannes Boiemiæ rex, vi belloq́ ciuitates multas in potestatem suam redegit. Sublato è viuis Ioanne XXII. ad successorem eius Benedictum XII. legationem misit Cæsar, & absolutionem petiit. Is initio quidem non grauatè eam impertire voluit: sed à Philippo Galliarum, & à Roberto

Cæsar frustra petit absolutionem.

Sici-

Sicilia regibus prohibitus est, vt supra de pontificibus dictum est. Cum hac via ad id quod volebat, peruenire non posset, conuentum Spiræ habuit, indeq́ comitem Nassauiensem Gerlacum, & episcopum Curiensem legatos de eadem re ad pontificem misit. Qui paratum se quidem ad gratificandum Cæsari esse iterum ostendit, sed per regem Galliæ sibi non licere confirmauit.

Interim de Galliæ regno contendentes Eduardum Angliæ, & Philippum Galliæ reges Cæsar componit eo pacto, vt Eduardus regnum Galliæ hæreditario iure propter matrem Caroli sororem obtineat. At cum Philippus Gallus veniam à Cæsare peteret, receptus est ab eo in gratiam, & vnà cum ipso legatione ad Papam misit, quæ absolutionem peteret. Sed iterum recusauit pontifex, ne quid Galliæ regis gratia facere videretur. His tot & tam diuturnis iniurijs permotus Cæsar, conuentum imperialem Francofurti ad Mænum celebrauit, in quo acta Ioannis XXII. contra

Galliæ regnum Angliæ adiudicatur.

Conuentus Francofurdi.

tra illum reprobata sunt, decretumq́ est, Papam nihil prorsus habere iuris aut potestatis in Romanum imperatorem, nec conuenire illi partem vllam iurisdictionis ciuilis. Sed maiorem esse concilij authoritatem quàm pontificis. In his comitijs Guilelmus Iuliæ comes, dux Iuliacensis & Bergensis à Cæsare creatus est.

Ducatus Iuliacensis.

Anno 1343. alium conuentum egit Francofurti, in quo ad principes atque ordines imperij postulata Pontificis Romani retulit. Cum enim per legatos absolutionem à nouo pontifice, Clemente VI. petijsset, postulauit is, vt Cæsar primum confiteretur omnes errores & hæreses obiectas: deinde vt fasces imperij deponeret, nec nisi ex pontificis gratia reciperet: tum, vt se, suos liberos, ac bona potestati Papæ subijceret. Adiecit nonnulla alia, quæ ad imperij statum pertinebant. De his igitur principum ac ordinum imperij consilia exquisiuit, qui iniquißima illa esse iudicarunt, & pro nihilo duxerunt. Papa ergo an. 1346.

Pontificis postulata.

cum

eum in ipso cœnæ Dominicæ die execra-
tus est, schismaticum & hæreticum pro-
nuncians, omniaq; acta & decreta con- **Excommunicatio Cæs.**
tra illum renouans: tum Electores et-
iam ad creandum alium imperatorem
intra tempus præfinitum hortatus est.
Quod nisi facerent, se officio suo non esse
defuturum, minatus est. His minis
compulsus archiepiscopus Moguntinus
principes imperij conuocauit, in oppi-
dum Rens, diœcesis Treuirensis, qui ab-
licato Ludouico, elegerunt Carolum
Ioannis Boiemiæ regis filium. Sed ea
lectio à principibus quibusdam repro-
bata est. à pontifice verò confirmata
equente anno è vita discessit Ludoui- **Mors Ludouici.**
ũs ex equo delapsus, cum ex venatione
edijsset, anno Christi 1347. Hostes
ius ex parte maiori in conflictu ad Cres-
acum inter Anglos & Gallos perie-
unt. In quo etiam ipse rex Boiemiæ, **Cæcus pugnat.**
nperatoris electi pater cæcus inter
onfertissimos hostes pugnans in-
rijt.

Anno Christi 1346. Carolus IV. Io- **Carolus IV.**
annis

annis Boiemiæ regis filius à principibus quibusdam pecunia corruptis, vt Nauclerus ait, imperator creatus annis imperarit 32. mensibus 7. diebus quatuordecim. Initio eius imperij Romæ nouus tumultus est exortus, cum quidam Nicolaus Romanus. *Nicolaus scriba publicus, occupato Capitolio, plebem sibi deuinxit, restitutionemq́ reip. Romanæ in pristinum statum dignitatis & libertatis pollicitus est. Hic in eam opinionem & admirationem adduxit hominum animos, vt omnes Italici nominis per legatos pacem, amicitiamq́ ab eo peterent. Sed exiguo temporis momento inclinatio magna facta est. Nondum enim biennium abierat, cum vrbe pulsus, in potestatem pontificis venit, vinculis constrictus, vt Nauclerus scribit.*

Mortuo autem Ludouico VII. cuncti ordines electionem Caroli IV. irritam habuerunt. Iccirco principes nonnulli, archiepiscopus Moguntinus, Saxo, Brandepurgicus, & Palatinus ad Rhenum designarunt Eduardum Angliæ regem.

Qui

Qui cum suscipere ad se delatum imperium recusaret, Fridericum Grauem Mysniæ marchionem, & Turingiæ Landgrauium elegerunt. Sed is quoq; renuit pacis caussa, accepto à Carolo Honorario munere 10. millium marcarum auri. Tandem ventum est ad Guntherum comitem Schuuarcepurgicum, virum strenuum & bellicosum, qui quoque acceptare noluit, priusquam vacare illud liquido constaret. Quod cum ita esse confirmarent principes, annuit, & Francofurto obsesso, post duos penè menses, regio more in vrbem receptus est. Postea verò ægrotare cœpit, & à medico Fridanco venenum in potione sibi propinatum hausit, vnde & ipse, & medicus, quem prægustare oportuit, extincti sunt. Remoto hoc imperij æmulo, Carolus IV. principes, qui aduersati fuerant, placatiores reddidit, & imperium, nemine repugnante, obtinuit. Acta eius memorabilia maximè sunt. I. non quidem augeri, sed diminui passus est imperium, cum Huberto Galliæ Delphino concessit, vt

Eduardus Anglus. Fridericus marchio.

Guntherus Schuuartzpurgicus.

Carol. IV.

Acta.

Delphin.

Delphinatum, qui pars erat imperij, Galliæ regi venderet, eo tamen pacto, vt maximus natu Galliæ regis filius eum teneret, & feudum à Cæsare atq; imperio acciperet. Henetorum verò principes ad littus Balticum, Ioannem, & Albertum sic honestauit, vt duces imperij efficeret, qui ante Domini Vandalorum dicebantur.

Ducatus Megalpurgicus.

Studium priuati commodi.

Rursum priuati commodi studium in eo adhibuit; quod marchiam Brandeburgensem, ducatumq; Bauariæ, emtionibus, aut dotalitijs pactis ex parte ad se, & ad regnum Boiemiæ traduxit. Silesiam verò & Lusatiam hæreditario iure acceptas euexit, & Vratislauiam in primis claram ampliauit, & templo nouo S. Dorotheæ auxit. Norimbergæ verò senatum & ciues dissentientes in concordiam pristinam reduxit; abdicatis tribunis, qui cum fabris & reliqua plebe Cæsari erant aduersati: honestatis verò lanijs, qui cum senatu à Cæsare steterant, sic, vt liceret illis bacchanalium diebus ludos anniuersarios celebrare.

Vratislau.

Norimberg.

In Ita-

In Italiam venit cum coniuge anno 1354. & primum Mediolani corona ferrea, deinde Romæ alia insignitus est. Pisis verò malè aceptus est, tumultuantibus scilicet contra eum ciuibus. Ac nisi à Germanis defensus fuisset, periculum ei maximum à furiosa multitudine allatum esset. Imperatrix ipsa, nisi impetum declinasset, in ganeum abducta esset. Anno autem 1360. iterum in Italiam vocatus à Pontifice Vrbano V. ad reprimendum illius hostem Bernabouem, obtemperauit quidem, sed pace facta cum hoste, tertio mense in Germaniam rediit. Acta in Italia.

Nihil verò fecit præclarius & ad firmandam tuendamq; imperij authoritatem vtilius, quàm quod auream bullam, suffragantibus imperij ordinibus, publicauit. Ea enim firmamentum est, & propugnaculum, murusq; tranquillitatis & pacis in imperio. Hæc alio nomine lex Carolina appellatur, & constitutionem continet, quæ docet, quo pacto eligi Imperatorem oporteat, & quomodo Bulla aurea.

modo cuiusque ordinis dignitas in imperio conseruanda sit. Memorat Vrspergensis appendix Carolum eodem anno, quo edita est bulla, festum natiuitatis Christi Moguntiæ celebrasse, & apparato splendidissimo epulo vnumquemque Electorum imperij munere suo functum esse.

Academia Pragensis.

Non minus laude dignum est, quod Academiam Pragæ constituit, quam Papa Innocentius VI. confirmauit anno 1361. Maximè verò prædicandus est amor mirificus erga literas, earumque professores in Carolo IV. quippe qui non solum eruditis viris familiariter vsus est, eosque disputantes libenter audiuit, sed literas & linguas ipse etiam insigniter tenuit. Interfuit aliquando disputationi in Academia Pragensi, qua ita incensus & delectatus est, vt cum in quartam vsque horam auscultasset, & à purpuratis ad cœnam vocaretur, magis se disputatione, quàm cibo aut potu lætari ostenderit: Hæc mea, inquiens, cœna est.

Literarum amor & peritia.

Ambi-

Ambitionem etiam & fastum clericorum vehementer odit. Aliquando collocuturus Moguntiæ cum archiepiscopis, Moguntino, Coloniense, & Treuirense, vidit Canonicum Cunonem à Falckenstein cum capitio precioso, ex auro, & aureis sericisq; ligaturis consuto. Id sibi porrigi iußit, & suo capiti, suum verò vilius capiti Cunonis imposuit: ad ad principes conuersus, inquiens, an non in capitio Cunonis militi, quàm clerico similior sum? deinde reddito Cunoni capitio, archiepiscopum hortatus est, Domine archiepiscope, inquiens, præcipimus vobis, vt pro ea fidelitate, qua nobis astringimini, reformetis clerum vestrum, & abusum in vestibus, calceis, capillis, ac reliquo vitæ vsu tollatis. Quod si non feceritis, nos, assentiente pontifice, beneficia in alios vsus honestos conuertemus. Papæ quoque legato respondit eodem tempore & loco: Domine legate, Papa misit vos in Germaniam, vt magnam exigatis pecuniam, sed in clero nihil reforma-

Fastus clericorum.

Reformatio cleri.

tis. Mortuus est Pragæ anno 1378.

VVencef. Anno 1376. VVenceslaus Caroli IV. filius, viuente patre, designatus Romanorum Imperator, regnauit annis 22. Huius præter cæteros nobilitata est inertia, ignauia, desidia, luxuria, libido, crudelitas. Quorum quidem vitiorum documenta non obscura dedit primum in partu, cum matrem extinxit, deinde in Baptismo, cum aquam polluit, tum in ipsa etiam inauguratione, cum aram cæno suo contaminauit. Quamobrem Sardanapalus, Margites, Tersites appellatur in historijs. Eo ergo imperante, priuatis & publicis incommodis imperium affici necesse fuit. In Boiemia quidem, religione mutata, tumultuari cœptum est.

In imperio verò ciuitatibus multum damni à vicinis principibus datum est. Ex quo distractio principum & ciuitatum horribilis secuta est: destitutæq; ciuitates omni ope atq; præsidio imperij, fœderibus sese munire cœperunt, Helueticæ contra Sueuicas, Sueuicæ contra

Helue-

Helueticas. Cum autem tolerari diutius tanta in figura Imperatoris feritas & immanitas belluæ non posset, captus est ab ordinibus Boiemici regni, & in custodiam datus, anno 1393. Sed post hebdomadas 17. opera Ioannis Lusatiæ, & Procopij Morauiæ ducum dimissus est. Tandem verò anno 1400. cum sæpius frustra esset admonitus, principes Electores imperium ei abrogarunt, & in munere alium substituerunt, Fridericum ducem Brunsuigæ & Lunæburgi, prudentia & bellica laude excellentem: qui statim insidijs & fraude archiepiscopi Moguntini ad Frislariam interfectus est. Ex quo motus & tumultus magni in imperio orti sunt, & peruulgari etiam illud cœpit, quod Moguntiæ in limine basilicæ cathedralis inuentum est lapidi cuidam incisum: Moguntia ab antiquo nequam. VVenceslaus vero, anno Christi 1419. apoplexia extinctus est Pragæ. Inuentæ sunt hoc Imperatore, nempe anno 1380. bombardæ à Bertholdo Nigro, monacho,

Captus.

Fridericus Brunsuic.

Moguntia nequam.

& Chymista Germano: vel certè hoc anno primum à Venetis in bello contra Genuenses vsurpatæ, vt Polydorus scribit. Historia autem de China affirmat peruetustum esse vsum tormentorum bellicorum in eo regno, monstratum primò regi à quodam spiritu ex terræ claustris erumpente.

Rupertus. Anno Christi 1400. rex Romanorum electus est Rupertus Bauariæ dux & Rheni Palatinus, annis regnauit 9. mensibus 10. Hoc imperante in Italia Galeacius Mediolani dux tumultuatus est, & regnum affectauit. Romam verò Ladislaus Neapolitanus rex oppugnauit, Papam expulit, capitolium occupauit, castellum sancti Angeli expugnauit, & oppida multa Pontifici detraxit. Rupertus igitur in Italiam à Pontifice & Florentinis vocatus, comprimere quidem conatus nefarios Galeacij ope summa nitebatur; sed obsistebat ei præsul Moguntinus, vt nauare & efficere nihil posset. Etsi enim Papa concesserat, vt decimas à sacerdotibus ad

eam expeditionem exigeret: tamen Moguntinus non solum exactionem impediebat, sed Leopoldum etiam Austriæ ducem, & Coloniensem præsulem ab eo abalienabat. Itaq; congressus contra Galeacium armatus, in prælio ab eo victus est, & in fugam coniectus. Hac clade affectus, cum deseri se & negligi à Papa & Florentinis sentiret, re infecta in Germaniam rediit, & abiecta Italiæ cura, domi rempublicam bene feliciterq; gessit, & anno Christi 1410 in vrbe Oppenheim è vita exiit, Spiræq; sepultus est, vbi elogium præclarum iustitiæ, pacis, & pietatis ei impertitum est. In locum eius successit Iodocus Morauiæ Marchio à principibus nonnullis electus, sed sex tantum mensibus regnauit. Alij verò Sigismundum Vngariæ regem crearunt. Iodocus.

Anno Christi 1411. Sigismundus Vngariæ rex, Caroli IV. filius, vna mente, vnaq; voce Septemuirûm designatus Romanorum rex, annis 26. mensibus 8. regnauit. Sapientia, eruditione, probitate, & multarum rerum peritia ex- Sigismund. Ab hoc Sigismundo domus Austriaca fuit, & adhuc est in continua possessione imperij Romani.

celluit: In toga tamen, quàm in armis felicior. Curas & cogitationes omnes in ecclesiam & politiam contulit. Cum enim religionis Hußiticæ dißidium indies penè cresceret: præcauere, quantum conniti animo, quantumq; contendere labore poterat, studebat, ne longius serperet, aut progrederetur. Itaq; triennio bonam Europæ partem peragrauit, [e] cogendi concilij caussa, in quo controuersia cognosci & dirimi posset. Erat autem multo plus turbarum inter ipsos pontifices adulterinos, quàm inter Hussitas ipsos, qui pro hæreticis à plerisq; habebantur. Ante igitur pontifices reformari oportuit. Quod magno animo Imperator fecit, & assentiente concilio, tres Papas sede, in quam vi & fraude inuaserant, deiecit, aliumq; suffecit. Pontificum furore compresso ad Hußi caussam aggressus est. Postquam igitur de aduentu eius cognouit, ipse etiam Constantiam venit, in profesto natalis Christi, ac mox ingressus templum, vbi missam pontifex celebrabat, Euangelium

Hussitica religio.

Papæ adulterini.

Cæsar Euangelista.

Euan-

Euangelistæ habitum gerens, cecinit. Etsi autem præclara multa in hoc concilio egit, vnum tamen in se admisit, quod plerique omnes improbare solent. Lenitate enim sua abuti pontificios passus est, & decreta eorum rata habuit. Quam ob caussam successum & felicitatem omnem ab eo abfuisse animaduersum est.

In bellis aduersa fortuna plerunque vsus est. Primum cum Baiazete Turco conflixit ad Nicopolim, anno Christi 1395. sed viribus longè inferior. Turca enim sexaginta millia equitum, ducenta verò & quadraginta millia peditum habuit: Ipse verò circiter 20000. equitum, sexaginta verò millia peditum. In conflictu ad sexaginta millia Turcorum, viginti verò millia Christianorum occubuerunt, duces multi sunt capti, & Sigismundus in fuga præsidium sibi posuit. Cladis Christianorum alia caussa non fuit, quàm discordia ex ambitione orta, dum modo Galli, modo Vngari primas sibi vendicarunt. Inuenti tamen Bella.

ſunt Vngari, qui culpam omnem in regem conferrent, & propterea faſtidire illum inciperet. In hos ergo cum animaduertiſſet rex, & ſecuri aliquos propter conſpirationem percuſſiſſet, captus eſt & in carcere contruſus. Vnde tamen euaſit, eorum beneficio, quibus cura carceris commiſſa erat. Recuperata libertate, ſine mora omni exercitum comparauit, & regnum Vngariæ recuperauit, anno 1401.

Carcer.

Bellum Hußitic.

In Boiemia verò bellum diuturnum & graue contra Hußitas geßit, quod ſanguine multo conſtitit, & vaſtitatem templis, oppidis, clero, & populo attulit. Cauſſa autem belli tam funeſti alia non fuit, quàm damnatio doctrinæ Chriſtianæ, & profeſſorum eius Ioannis Hußi, ac Hieronymi Pragenſis in Conſtantienſi concilio. Multa enim concurrebant, quæ iniqua prorſus videbantur Boiemis. Primum quidem contra fidem ab imperatore datam Ioannes Huſſus ex manibus Baronum Ioannis Sclauatæ Chlumenſis, & VVenceslai Dubenſis, qui illum Con-

Cauſſa.

ſtantiam

ſtantiam adduxerant, ereptus, ſatellitibus pontificijs traditus eſt. Deinde in conſeſſum productus non quidem probare, ſed reuocare & abijcere dogmata ſua iuſſus eſt. Quod cum facere neque poſſet, neque vellet, exuſtus eſt. Qua re offenſi Boiemi ferro religionem ſuam tueri, & iniuriam vindicare aggreſſi ſunt. Quanquam autem extra modum cædibus, rapinis, incendijs prodierunt: tamen cum fruſtra magiſtratus opem implorassent, parendum eſſe iuſto dolori, & ſeruiendum iracundiæ putarunt. Tenebatur enim Sigiſmundus pontificijs decretis adeo, vt contra ea omnino hiſcere non auderet. Quamobrem arma iuſta ſe induere crediderunt Boiemi, & vt fieri ſolet, theologicum bellum facilè exarſit, tardè verò deflagrauit.

Initium belli Huſsitici.

Anno Chriſti 1417. ferro primum inuadunt pontificios, templa diripiunt, in monaſteria irruunt, ſacerdotum monachorumq́ agmina eijciunt, & quæcunq; occurrunt, cædunt, vt idololatriæ neruos incidant. Non multò poſt Pragam

ado-

adoriuntur, curiam occupant, senatores septem primarios de fenestris præcipitant, quod hastis suis turba furens excipit.

Tumultus Vratislauiensis.

Oritur id temporis Vratislauiæ etiam tumultus, ad quem sedandum accedit Sigismundus anno Christi 1420. Ac primum quidem ciues distractos in pristinam concordiam reducit, deinde supplicio authores tumultus 22. afficit. Interim deligunt sibi Hußitæ ducem Ioannem Ziscam, virum strenuum, & rei militaris peritum, nobili loco ortum, & in aula regia educatum. Hic incredibili quodam animi robore septus, etiam amisso in pugnis vtroque oculo, ducis inuicti munus exequitur, & vt mortuus etiam hostibus noceat, ex cute sua tympanum fieri iubet, quo terrori illis esse queat. Conditor est vrbis Thabor, quæ arx & propugnaculum Hußitarum extitit, ex qua etiam Thaboritæ dicuntur. Huic ergo, relicta Vratislauia, cum exercitu obuiam it Sigismundus, & Pragam quidem obsidet, sed dum potiri ea non

Zisca.

Thaboritæ.

non poteſt, arcem Vuenceslai ingreditur, & coronam regiam illic ab archiepiſcopo Cunrado accipit. Inde in Vngariam proficiſcens copijs maioribus ſeſe aduerſus rebelles munit. Ziſca verò intra & extra vrbem templa diruit, ſtatuas deijcit, monaſteria euertit, Memorabile eſt eius ſtrategema, quo tunc vſus eſt, cum ab aduerſarijs penè oppreſſus eſſet. Dimicandum ei erat cum equitibus, ipſe verò pedeſtres copias habebat. Allicit igitur hoſtem in loca aſpera, rubis ſentibusq́ plena, vbi non niſi pedeſtre prælium poterat iniri. Quare de equis deſilire hoſtes oportet. Qui cum calcaria pedibus aptata habeant, iubet Ziſca mulieres, quæ exercitum ſequebantur, pepla ſua de capitibus in terram proijcere. Quo facto, impliciti hoſtes peplis per calcaria cæduntur priuſquam ſe expedire poßint.

Strategema Ziſcæ.

Sequente anno redit in Boiemiam Sigiſmundus, & cum Ziſca confligens vincitur atque fugatur. Secedens igitur nouis copijs ex Vngaris, Morauis, & Au-

ſtria-

ſtriacis ſeſe firmat. Polonorum verò rex Huſsitis ſubſidio mittit fratrem Coributum, Lituaniæ ducem, cum bis mille equitibus, vt rex à Boiemis creetur. Sed repugnante Ziſca, Pragenſes, qui regem illum optabant, nihil obtinere poſſunt. Reuerſus in Boiemiam Sigiſmundus, oppida nonnulla partim vi, partim deditione capit. Sed à Ziſca repellitur & in fugam vertitur, amiſsis nobilibus multis. Fugiens Cuthnam antichriſti crumenam propter argentifodinas appellatam, excurit. Sed inſequens eum Ziſca vnius diei itinere, ſpolia ampla reportat. Imperator verò cum ſuis, Vngaris præſertim, in glacie multitudinis pondere diſſoluta cladem magnam accipit. Huſsitæ contra elatis animis irrruptiones in Sileſiam faciunt, multaq́ ferro & igne diripiunt, & vaſtant, & quod miſerabile eſt, alicubi ſacerdotes puerosq́ ad aras obtruncant.

Coributus. Cuthna.

Pontifex vt labenti, inclinatæq́ parti ſubſidium ferat, principes Electores imperij hortari non deſiſtit, vt opes, vires-

Principes imperij contra Huſsitas.

viresq; ad oppugnandum hæreticos conferant. Hi ergo adiuti etiam ab Anglis, exercitum tantum in Boiemiam adducunt, quantum satis esse ad frangendum hostes putant. Sed mirum est, quod exercitus tantus rumore solo aduentantium hostium tanquam Panico terrore obiecto prius recedit & fugit, quàm hostem conspicit. Hussitæ ergo, præda in hostium castris inuenta, locupletati, & diuinitus adiuti, consilium propositumq; suum exequi pergunt. Interim coniungunt vires & opes aduersus eos Vratislauienses & Suidnicenses, multos cædunt, & oppida nonnulla capiunt. Verum Hussitæ mortuo Zisca, ducem nouum sibi asciscunt, Procopium, in Mysniam irrumpunt, eamq; populantur, & in Voitlandiam etiam, tum in Franconiam vsq; procedunt, vbi tamen Bambergensibus & Norimbergensibus, pecunia placati, parcunt. Quin etiam in Marchiam irruunt, & damni plurimum ei dant.

Procopius Hussitarum dux.

Territo in hunc modum & conturbato imperio, conuentum indicit impera-

Conuentus Norimbergensis.

pera-

perator Norimbergæ, ad quem venit etiam Cardinalis Iulianus, pontificis legatus, qui plenas indulgentias pollicetur omnibus, qui arma aduersus Hussitas induant. Hic principibus imperij author est, ad suscipiendam expeditionem nouam contra Hußitas: ac ipse exercitum 40000. equitum, sed pauciorum aliquanto peditum, ex omni robore & flore Germaniæ collectum præcedit, Boiemiam spe & animo inflatus ingreditur, hæreticorum villas incendit, & oppida diripit. Sed audito hostium aduentu ita terretur, vt abiecta omni pugnandi cupiditate in fugam fœdißimam sese conijciat, antequam hostem vllum videat. Hußitæ verò in impedimenta fugientis exercitus irruentes, præda magna potiuntur. Ac Iulianus quidem re tam male gesta ad concilium Basiliense se recipit, Sigismundus verò in Italiam se confert, & coronam à pontifice accipit, anno 1432.

Expeditio imperij contra Hussit.

Ad concilium verò Basiliense vocati Hußitæ legatos suos, Gulielmum Costam,

Hussitarum acta in concilio Basiliensi.

Costam, Procopium, Ioannem Rochezanam inter trecentos equites Basileam mittunt, qui rationem fidei suæ reddant. Prius tamen diligenter sibi de commeatu libero seu potestate accedendi & recedendi cauerant: tum, vt ex scriptura sancta omnis controuersia in religione dijudicaretur, nec concilia aut interpretationes patrum aliter admitterentur, quàm quatenus cum scriptura consentiunt, impetrarant. Postremò, vt libertas dicendi sententias concederetur, & vsus sacrorum priuatorum minimè impediretur, obtinuerant. Disputatum est in synodo diebus 50. nec aliud Hussitis, quàm communio permissa est, vt supra in synodo Basiliensi dictum est. Vt autem Synodus ipsa pontificis arte distracta est; ita etiam religionis, & rituum discrepantia non modo non sublata, sed etiam aucta est. Itaq; nec tumultuari desitum est in Boiemia, sed inter pontificios & Hussitas bellum tantisper continuatum, donec Hussitæ ipsi dissidere à nobilibus in

Boiemia cœperunt. Ab his enim in pugna victi vnà cum ducibus suis Procopijs, etiam vires amittunt. Sic ad Sigismundum conuersa Boiemia manus dat, & fidem obedientiamq́ pollicetur, tum à legato Pontificio Basileæ in concilio absolutionem impetrat, anno Christi 1435.

Finis belli in Boiemia.

Amor literarum.

Ornatur summis laudibus Imperatoris amor erga literas, & earum professores, quippe quos tanti fecit, vt nobili loco natis etiam anteposuerit. Interrogatus enim aliquando à principibus doctrinæ literarum ignaris; cur tantopere eos coleret, qui nullam caussam celebritatis & nominis à parentibus acceptam haberent, sed sola literarum scientia præstarent: respondit, merito & optimo iure se eos venerari, quos Deus singularibus donis ornasset. Se quidem dignitatem equestrem, nobilitatem, aliosq́ honorum titulos conferre posse, doctos verò à Deo solo creari. Quocirca Georgio Fiscellino I. C. iure succensebat, qui paulo ante in equestrem ordinem ab

ipso

ipse cooptatus erat, & in quadam consultatione, relicto doctorum ordine, ad equestrem sese aggregabat, quod superiorem illum esse arbitraretur. Hunc igitur cum irâ affatus increpauit: nonne vides, inquiens, me vno die equites multos creare posse, sed ne vnum quidem doctorem?

Liberalitatis etiam exemplum præclarum præbuit, cum aliquando sub noctem afferrentur ad eum ex Vngaria Basileam 4000. numûm aureorum. Hanc pecuniam quomodo collocaturus esset, nocte tota solicitè cogitauit. Manè verò conuocatis consiliarijs & militum ducibus, hi numi, inquit, hostes & carnifices sunt, qui mihi somnum hac nocte eripuerunt. Vos igitur eos accipite, & inter vos diuidite. Liberatus ab hac pecuniæ cura, nunc recessit à me, inquit, tortor ille, qui me flagellauit: melius deinceps quiescam. Mortuus est anno 1437. ætatis verò 70.

Pecuniæ contemtio.

Anno 1438. Albertus Austriæ dux, &

gener Sigismundi Imperatoris Francofurti ab Electoribus designatus est Romanorum Imperator 20. Martij: qui paulo ante, nempe Calendis Ianuarij Vngariæ, 6. autem Maij post eodem anno Boiemiæ rex factus erat. Imperauit biennio non integro. Princeps eximia animi magnitudine, liberalitate, & religionis amore ardens fuit: vt ob sacrorum cultum monacho, quàm principi similior à maleuolis diceretur. Postquam domi, vt tuta tranquillaq; pax esset, effecerat, in Vngariam ad propulsandum Amurathem Turcam festinauit. Sed in itinere æstu compulsus, immodicè pepones comedit, vnde in dysenteriam incidit, & mortuus in Alba regali ad latus Sigismundi sepultus est.

Anno 1440. Fridericus III. Austriæ dux, Imperator Romanorum eligitur, & imperat annis 53. Fabio quàm Scipioni similior, propter cunctationem, qua multo plura, quàm celeritate confecit.

Anno 1452. in Italiam profectus

cum

cum Ladislao Alberti Imperatoris posthumo filio, à Nicolao pontifice vnà cum Leonora imperatrice, Eduardi regis Lusitaniæ filia, diademate regio ornatus est, & Longobardiæ rex Imperatorq; Romanorum, & augustus salutatus. Inde Venetias transiens honestißimè ibi acceptus & habitus est. In Austriam verò reuersus turbas multas inuenit. Cum enim in præsidio & tutela sua diutius retineret Ladislaum Vngariæ, Boiemiæ, & Austriæ hæredem, Huniades Vngariæ exarchus cum exercitu duodecim millium equitum in Austriã inuasit, cunctaque intra Viennam, & Styriæ montes incendijs & direptionibus vastauit. Tum ipsi etiam Austriaci, authore Vlrico Ciliæ comite, & Eyzingero armis Cæsarem aggreßi, eò compulerunt, vt pupillum Ciliæ comiti auunculo traderet. Quod tamẽ ea lege fecit Imperator, principum consilio atq; arbitrio controuersiæ de tutela, alijsq; rebus Viennæ dirimeretur. Italica. Domestica.

Anno 1463. Viennæ senatores sex Viennæ capta.

vinculis multauit. Quod indignè ferentes ciues, eum in arce cum filio Maximiliano obsederunt mensibus duobus. Ipse verò auxilium à Georgio Podiebracio Boiemiæ rege petijt, qui statim subsidio venit, & illum liberauit. Pro quo beneficio Cæsar filios ipsius Munsterbergenses duces creauit. Puer tunc erat Maximilianus, & ferendæ egestati nondum assuetus. Cum igitur hordeo diebus compluribus pastus esset, perdicem aliquando sibi dari à matre petijt. Cui illa profusis lacrymis respondit: Mi fili, vtinam panis nos non deficiat. Inuentus est id temporis scholasticus quidam Transyluanus, qui misertus Maximiliani, perdices, volucres, capos ac carnes ferinas duobus tribusúe aureis numis emit, easq; veste sua longiore texit, ac per cuniculum ex fossa arcis ad eum attulit. Quam ob caussam carus, quoad vixit, Maximiliano fuit.

Munsterbergenses duces.

Egestas Maximiliani.

Sequente anno Vngaris coronam restituit Cæsar, postquam iam annis 24. eam retinuisset. Hæc Matthiæ Coruino

impe-

imposita est. Tandem anno 1485. Matthias Vngariæ rex Viennam obsedit, fameq́; & egestate compressam dedere se coegit In tantas enim angustias adduxit, vt modius farinæ vnus 107. florinis venderetur. Factum id esse scribit Crancius libro vndecimo Saxoniæ, capite 32. permittente Friderico Imperatore, vt quos ipse coercere non posset, eos per alium domaret.

Vienna obsessa.

Anno 1444. Ludouicus Galliæ Delphinus Armeniacorum exercitum 60000. ad Rheni ripam duxit, & Alsatiam Heluetiamq́; grauiter afflixit. Argentorati quidem mœnia pulsauit, oppidum verò montis Belligradi, quod comites VVirtebergenses feudi loco ab imperio habent, in deditionem accepit. Deinde Suitenses siue Heluetios adortus est, & Basileam vsq; progressus, prælium atrox ibi commisit, in quo Armeniaci strage miserabili cæsi sunt. Imperator verò mira patientia, vt Crancio videtur, vel potius prudentia tolerauit in imperij visceribus hostem externum,

Heluetiæ.

ſed conſentaneum eſt, maluiſſe eum externis armis, quàm ſuis caſtigari eos, qui qui imperio minus obedientes erant.

Bellum Norimberg.

Anno 1449. bellum graue exarſit inter Albertum marchionem Brandepurgicum, qui Achilles fuit cognominatus à Pontifice Pio II. & Norimbergenſes. Cauſſa fuit ius quoddam, quod Marchio ſibi à Norimbergenſibus denegari querebatur. Ac Alberto quidem ſocios & adiutores præbuerunt ſeſe 17. Germaniæ principes, Norimbergenſibus verò ciuitates opem ferebant. Certatum eſt biennio prælijs nouem, quibus octies Albertus, ſemel verò Norimbergenſes vicerunt. Damni plurimum vtrinq; datum & acceptum eſt, exuſti agri, euerſæ villæ, cæſi agricolæ, abacta pecora tantiſper donec exhauſta vtraque parte egeſtas pacem extorſit, vt ſcribit Æneas Syluius. Quid hic Imperator? quæ partes eius fuerunt? quieuit, & id quoque vulnus imperij haud ſcio cum dolore, an patientia diſsimulauit. Diſsidium verò ſiue ſchiſma, quod Romæ extite-

Schiſma pontificium.

rat inter Felicem IV. & Nicolaum V. pontifices, sic composuit, vt Felix pontificatu se abdicaret, Nicolaus verò decreta Basiliẽsis synodi rata haberet, an. 1449.

Bellum de episcopatu Moguñ.

Anno 1462. extitit bellum magnum & periculosum, quod pontifex Pius II. in Germania accenderat. Diterico enim Isepurgico archiepiscopatum Moguntinum abrogarat, & in locum eius Adolphum Nassauiensem suffecerat. Vterque adiutores inuenit, Ditericus quidem Fridericum Palatinum Rheni VIIvirum victoriosum, & Ludouicum Bauariæ ducem, cognomento diuitem: Adolphus verò Ludouicum Bauariæ ducem, cognomento nigrum, Albertum marchionem Brandepurgicum, Carolum marchionem Badensem, Ioannem episcopum Metensem, & Vdalricum comitem Vuirtepergicum. Hi infestis animis congrediuntur. Ac Adolphi quidem partibus fauet Cæsar & pontifex, Ditericum verò vterq; odit. Committitur prælium inter Rhenum & Neccarum non procul ab Heidelberga, victorq; euadit Frideri-

eius Palatinus, victor verò aduersarios Adolphi & pontificis defensores capit, & in arcem deducit, vbi conuiuium apparat illis splendidum quidem, sed sine pane. Quem cum desiderarent & poscerent conuiuæ, renunciari illis iubet Palatinus, non æquum esse panem ijs præbere, qui contra belli iura, segetes perdidissent, agricolas innocentes fame necassent, & frumentum in horreis passim combusissent. Postea eos, exacta grandi pecunia, dimisit. Etsi autem Imperatoris authoritate bellum hoc compressum est: Fridericum tamen Palatinum in gratiam ille nunquam recipere voluit.

Conuiuium absque pane

Auulsa est hoc Imperatore Borussia ab imperio, Poloniæq; regno coniuncta. Cum enim bellum annis 150. gessissent Cruciferi cum Polonis, sedatum est illud tandem anno 1466. hoc pacto, vt Cruciferi Polonis cederent Culmensem ditionem, & Michalouiensem, & Pomerellam cum quibusdam arcibus ac territorijs, ipsiq; in fide & clientela Polonorum perpetuò sese mansuros iurarent, Borussiam

Borussi ab imperio auulsa.

verò

verò inferiorem velut Poloniæ feudum sibi retinerent. Sed ab hac fide non multò post, pontificis & Cæsaris authoritate recessum est, & rursum varia fortuna dimicatum vsque ad annum 1525. quo Albertus marchio Brandepurgicus magister ordinis supremus, ab imperio desertus, conditiones pacis denuò accepit & comprobauit.

Anno 1469. nescio, qua noua religione incensus Fridericus Romam media hyeme sese contulit, acceptusq; est prima vigilia noctis eius, quæ natalem domini præcedit, facibus fulgorem instar diei præbentibus. Interim domi Matthias Vngariæ rex Boiemiam & Morauiam populatus est. Iter Italicũ.

Anno 1474. Carolo duci Burgundiæ bellum fecit. Caussa belli verissima fuit principatus cupiditas, & amor dominandi in Carolo Burgundo. Erat enim altissimo animo, & gloriæ cupidissimo. Iccirco in congressu Treuirensi petijt à Cæsare, vt regem se Romanorum & vicarium imperatorium crearet. Ir- Bellum Burgundicum.

ritatrix

ritatrix verò caussa erat obsidio Nouesij vrbis infra Coloniam. Quæ cum esset imperij præfectura, siue aduocatia, defensionem eius Cæsar suscepit. Carolus verò oppugnationis siue obsidionis caussam opponebat, Ruperti archiepiscopi Coloniensis patrocinium. Huic enim Hermannus Haßiæ Landgrauius armis eripere dignitatem conabatur. Reuera autem archiepiscopatum ab imperio ad se traducere Carolus cupiebat. Cæsaris copiarum dux erat Albertus marchio Brandepurgicus, signifer verò Albertus Saxoniæ dux: socij & adiutores Adolphus præsul Moguntinus, Ioannes præsul Treuirensis, Guilelmus episcopus Eistetensis, & alij episcopi ac duces imperij multi. Mittebant sua etiam auxilia cuncti ordines imperij ac ciuitates Saxonicæ, Turingicæ, & aliæ. Bellum erat annuū, quod vtrinque iam instructa ad pugnandum acie, subito per imperatoris cum Carolo colloquium diremtum est. Carolus verò tandem post varios conflictus, cum Heluetijs in Lotharingia ad Nanseium oppidum

pidum in acie cæsus, postridie mortuus in glacie inuentus est, anno 1477.

Est etiam hoc imperatore inuenta ars typographica à Ioanne Gutenbergio Argentinensi, qui primum Argentinæ, postea Moguntiæ eam excoluit, primusq; Ioannes Mentel Argentinæ libros magnos expreßit, & arte hac locupletatus est. Inde Romam per Ioannem Han, siue Gallinaceum allata est. Historia recens ait, in insula China, quæ à Scythis, vel Massagetis incolitur, libros reperiri annis quingentis impressos, ante vsurpatam in Germania Typographiam. Itaque ex China in Germaniam esse importatam illam autumat. Ars typographica.

Mortuus est Fridericus III. ex melonum esu immoderato, tibia prius ferro amputata propter gangrænam, anno 1493. Lincij. Optauit hic imperator, vt aulici consiliarij de rebus propositis iudicaturi duas res ante palatium in vestibulo deponerent, simulationem & dißimulationem. Mors.

Anno Christi 1486. electus est Romano-

Maximilianus. manorum imperator Maximilianus I. Friderici III. filius, & Aquisgrani corona Caroli magni decoratus, viuente, inspectante & lacrymante patre. Regnauit annis 25. mensibus quinque. In infantia elinguis vsque ad annum ætatis penè 9. mansit, vt mutus plerisque existimaretur. Ex quo pater cum Francofurti ab electoribus Romanorum rex crearetur, & principes plerique expeditam promtamq; loquendi facultatem in eo laudarent, respondit, quàm bene loquatur nescio, ego certè, cum annum ætatis 12. ingressus esset, subuerebar, eum aut stultum, aut mutum esse futurum. Sed tarditatem linguæ in infantia abundè pensauit ætatis maturitas. Tantam enim assecutus est facundiam, vt exteris etiam admirationi esset, & Latinè, Gallicè, Italiceq; loqueretur eleganter. Queri solitus est de præceptore suo Petro indocto, si hodie, inquiens, præceptor meus viueret, quanquam multa præceptoribus debeamus, efficerem, vt ipsum institutionis suæ pe-

Infantia.

Facundia.

Institutio.

niteret. *Vxorem duxit Mariam Caroli Burgundi filiam, per eamq́ ducatu Burgundiæ potitus est.* Burgundiæ ducatus.

Industria eius in pace simul & bello eluxit. In pace quidem studium literarum & historiarum excoluit, accendit & auxit. Non enim ipse solum literas, earumq́ cultores amauit, sed alijs etiam principibus Saxoniæ & Marchiæ author ad instituendas academias in suis ditionibus extitit. Historias verò non ab alijs solum scribendas curauit, sed ipse etiam succisiuæ aliquid operæ in tali scriptione posuit. Tum vt minus esset litium in imperio, iudicium cameræ in comitijs Vuormatiæ anno 1495. ordinauit, & pacem publicam sanciuit: vt certa quasi officina esset, ad quam velut ad oraculum, aut Amphyctionicum iudicium omnes caussæ grauiores, maioresq́ in imperio deferrentur. In ijsdem comitijs etiam Eberhardum comitem VVirtebergensem ducem creauit.

Cultus literarum & historiarum.

Iudicium Cameræ.

Ducatus VVirtebergensis.

Bella gessit multa, primum cum Flandris

Bella belgica.

Captus a Brugensibus

dris siue Morinis rebellibus, à quibus etiam captus est primum, & menses nouem in custodia asseruatur, sed postea à patre liberatus, cum iureiurando confirmasset, se illatam iniuriam nunquam esse vindicaturum. Conflictatus est cum illis octo annis, consilio & ductu Alberti Saxoniæ ducis vsus, tandemq́ Belgarum ferociam, insolentiam & contumaciam ita repreßit & comminuit, vt sub imperium ipsius facile reciderent.

Anno 1489. Britanniæ dux Franciscus vnicam suã filiam Annam vna cum ducatu Maximiliano desponderat. Hanc cum proceres per Galliam ad eum adducerent, Galliæ rex Carolus VIII. qui ducatum illum sibi deberi putabat, sponsam contra fidem datam intercepit, & sibi copulauit. Margaretam verò Maximiliani filiam, quam diu pro sponsa habuerat, patri remisit. Maximilianus hanc iniuriam ita contemsit, vt nunquam vindicare illam animum induxisse visus sit, vt scribit Crantius lib. 13. cap. 16.

Excidit sponsa.

Anno 1499. cum in Geldria bellum gere-

gereret Imperator, Suitenses, siue Hel- uetij seu confœderati, bellum Austriæ inferunt. Etsi autem Sueuorum primores rogati ab Austrijs, vt absente Imperatore auxilio contra Heluetios sint, omnes vias pacis persequuntur: efficere tamen nihil possunt. Imperator ergo totum imperium contra Heluetios euocat. Inde principes & ciuitates auxilia mittunt, vnaq; Heluetia totius imperij impetum sustinet. Quanquam autem non totis copijs pugnatum est, cæsa tamen sunt diuersis in locis ac pugnis 20000. homines, antequam pax fieri potuit, vt scribit Nauclerus generatione 50.

Bellum Helueticum.

Imperante Maximiliano nauigatio noua in Indiam ad Calecutum inuenta est. Nam anno 1492. Christophorus Columbus Genuensis diu & votis multis expeditam nauigationem suscepit, ac nauibus tribus, viris verò ducentis à Gadibus ad Occidentem iter aperuit. Anno verò 1497. Americus Vesputius nauibus quatuor à Gadibus soluit, & orbem nouum peragrauit; quem Ame-

Nauigatio noua in Indiam.

ricum de suo nomine appellauit. Cuius latitudo 515. longitudo verò 750. miliaria Germanica complectitur. Rursum anno 1502. auspicijs Immanuelis Lusitaniæ regis Americus Vesputius omnes portus & insulas præcipuas in Africa & India occupauit, reges multos vectigales fecit, & vsq; ad extremum Orientem progressus, Calecuti portus attigit, adeoque aditum iterq; nouum ad Indias nauigantibus patefecit. Tandem anno 1520. Ferdinandus Magallanus Caroli V. auspicijs nauigationem nouam per fretum meridionale in America, non in Orientem solum, sed etiam per totum terrarum orbem, siue per superius & inferius hæmisphærium inuenit. Nauis qua vectus est, Victoria fuit dicta, cuius effigies in funere Caroli V. inter alia insignia fuit ducta, Nauarchæ nomen fuit Ioanni Sebastiano de Cano, qui orbis terræ effigiem in insigni suo sculpsit, cum inscriptione, Primus circumdedisti me.

Conspiratio rustica.

Anno 1502. liga rusticorum, quæ vocatur Sotularia, Germanicè Bundtschuch/

schuch / in Spirensi diœcesi exorta est: quæ nihil aliud fuit, quàm conspiratio & rebellio agricolarum contra episcopos & Canonicos. Capita præcipua erant, vt iugum seruitutis omne excuterent, & Heluetiorum more armis libertatem sibi pararent. Deinde vt magistratum omnem abolerent, pro eoq; propugnantes interficerent. Pro symbolo vsurpabant virginem Mariam & Ioannem Euangelistam, quinquies in die orationem Dominicam & salutationem virginis recitabant. Toties etiam flexis genibus pro victoria orabant. Altero interrogante, Was ist nu für ein wesen? respondebat alter, Wir mügen für den Pfaffen vnd Adel nicht genesen/ vt habent Vrspergensis paralipomena.

Anno 1504. Bellum pro Bauariæ ducibus, Guilelmo, Ludouico, & Ernesto, ex sorore nepotibus, contra Rupertum Palatinum Rheni geßit. Cum enim is ad bellum sese à Gallis incitari passus esset, aqua & igni Cæsar ei interdixit, patriq; Philippo, ne opem ferret filio, Bellum Bauaricum.

filio interdixit. Ille verò potiorem rationem filij, quàm Cæsaris habendam duxit, & pro filio propugnauit. Vtrumq; igitur bello adortus Cæsar, principes ad auxilium ferendum euocauit, qui iussu ipsius multa in Palatinatu ferro & igni vastarunt. Ipse verò manu sua Boiemos prope Ratisbonam strauit & fugauit: tum oppida & arces multas ab imperio Palatinatui oppignoratas, sine cæde & sanguine recuperauit. Sequente anno precibus

Marchio Badensis.

Christophori marchionis Badensis placatus, Palatinum in gratiam recepit Coloniæ in comitijs, vbi maximè enituit peritia linguarum Iacobi marchionis Badensis, ac episcopi Treuirensis, qui pontificijs legatis Latinè, Gallicis Gallicè, Venetis Italicè, Germanis Germanicè respondit.

Venetum bellum.

Anno 1507. bellum contra Venetos de consilio & sententia imperij in Constantiensi conuentu decretum atque susceptum est, quod durauit decennium. Veneti enim Cæsari Romam coronatio-

Caussa.

nis caussa ituro cum exercitu saluum conductum denegarunt, tum oppida [illegible]

quædam illius in foro Iulij occuparant. Primum autem cum Cæsare contra Venetos Pontifex, Rex Galliæ Ludouicus XII. & Hispanus Cameraci anno 1508. sese coniunxerunt. Sequente anno Galliæ rex eos ad Caruaglium adortus, prælio superauit, & vrbes eorum Brixiam, Bergomum, Cremam, Cremonam, & reliqua ducatus Mediolanensis oppida in ditionem potestatemq́ suam redegit. Papa verò & Hispanus similiter quæ suæ ditionis fuerunt, oppida & vrbes recuperarunt. Cæsar deniq; Veronam, Patauium, Teruisium, & aliæ oppida recepit. Hac calamitate fracti debilitatiq́ Veneti, legatum ad Imperatorem miserunt Antonium Iustinianum, qui orationem Latinam habuit, quam recitat Guicciardinus lib. 8. Eius capita sunt: Nulla est, inuictißime Cæsar, victoria præclarior, quàm sui ipsius. Hæc enim Scipionem nobilitauit, Alexandrum Magnum celebrem reddidit, Iulio Cæsari, à quo cognomentum habes, decusq; immortale peperit, eadem populi Romani

Oratio legati Veneti ad Maxim.

imperium auxit. Quam tu, Cæsar, nihil facere [illegible], quàm si [illegible] potestate [illegible]. Vides [illegible] Veneta epi- [illegible] tunc veri acce- [illegible] quod Galli [illegible] concidissent. [illegible] tua clemen- [illegible] atq; lo- [illegible] Princeps, senatus, [illegible] humili deuotione [illegible] atq; obse- [illegible] tuæ oculis res no- [illegible]. Nec recusamus [illegible] tu nobis [illegible]

quotan-

quotannis 50. auri pondo in perpetuum pendemus. Tum beneficij tui memoriam in omne tempus conseruabimus. Primus vtiq; es, ad cuius pedes abiecta respub. Veneta supplex se humi prosternit. Quod si maiores nostri ab alienis abstinuissent, nunc gloria plus respubl. nostra haberet. Sed tu ignosce & condona Cæsar. Quod si feceris: laudem maximam adipisceris, & nos quod viuimus, tibi vni acceptum referemus.

Responsi autem, quod Maximilianus ex tempore dedit, summa fuit: Mens humana sic affecta est, vt præsentia & Responsum Maximil.
...ita consideret, futurorum verò
... nullam habeat. Ad eundem
...espub. Veneta parum solicita,
... futurum esset, quæcunque po-
...rapuit, atq; traduxit, aliorumq;
...lis sua commoda auxit. Quod
...tiam anno satis ostendit, cum
...n profecturos transire non est
...q; non solum, sed oppida etiam
... quædam ademit. Etsi autem
...s humanæ memores sumus,

& misericordiæ, lenitatisq; partes libenter sequimur: tamen cum alieno tempore misericordiam nostram imploretis, neq; integrum nobis sit à fide, socio & fœderato data, recedere, consulere rebus vestris non possumus. Quare à nobis pacati nihil, sed hostilia omnia & aduersa sperate.

Quæ autem fortuna Venetorum animos fregerat, eadem paulo post ad spem erexit. Nam eodem anno Patauium receperunt, & in ea obsidenda frustra laborauit Maximilianus. Deinde cum Iulio pontifice in gratiam reducti, contra Gallum fœdus inierunt. Pontifex enim Gallum excommunicauit, propterea quod Iulij ducis Ferrariensis, quem ipse oppugnabat, patrocinium susceperat. Ita ergo coniuncti fœdere, pontifex, Hispanus, & Veneti arma in Gallum conuerterunt. Ille verò pontificem & Hispanum à Bononiæ obsidione repu-l... Venetorum copias cæcidit, ac Bergo-... Brixiamq;, quæ defecerant, re-...uit. Mox pontificem in ipso die pa-...is ad Rauennam prælio superauit, & ad

& ad sexaginta millia in exercitu eius trucidauit. Pontifex contra Parmam & Placentiam eripuit, fœdus cum Cæsare renouauit, & Galliæ regē denuo proscripsit. Accesserunt ad hoc fœdus rex Angliæ, & Heluetij excitati à pontifice. Hi Mediolano Gallos profligarunt, Cæsariani verò Venetias obsederunt, littus vicinum ex omni parte incendijs vastârunt, & exercitum Venetum ad Vincentiam cæciderunt, à Mediolani verò obsidione pulsi sunt. Tandem Verona Venetis reddita est, & cæsi sunt Heluetij à Galliæ rege Francisco Valesio ad Marignanum, qui rex etiam Mediolanum recuperauit. Venetiæ obsessæ.

Anno 1518. Maxim. Cæsar Comitia Augustæ celebrauit præsentibus cunctis Electoribus, quibus ante omnia de bello Turcis inferendo, & de Lutheri negotio actum est. Tum Carolum nepotem suum VIIviris commendauit. Scripsit quoq; ad pontificem, vt nascenti malo in ecclesia remedium maturè quæreret, priusquam longius serperet: se quidem comprobaturū quicquid statueret, idq; per im- Conuentus Augustanus.

perij prouincias executurum, pollicens. Reuersus ex comitijs Augustanis vbi orationem de bello Turcico habuit, & iam ad expeditionem sese parans, in febriculam & lubricitatem alui incidit, & mortuus est in oppido VVelsa, an. 1519. ætatis verò 63. memorabile est de hoc Imperatore, quod loca ad supplicia sontium destinata præteriens, venerabundus dixit: Salue iustitia.

Carolus V.

Anno Christi 1519. Carolus V. Maximiliani Imp. ex filio Philippo nepos, archidux Austriæ, regnorum 28. rex, anno ætatis suæ 20. Imperator creatus est.

Fridericus Saxoniæ Elector.

Ante illum principes Electores detulerant imperium ad Fridericum Saxoniæ ducem Electorem, cognomento sapientem. Sed is animo magno recusauit, Carolumq́; omnibus prætulit. Ob quod præclarum iudicium obtulerunt ei legati Caroli triginta millia florinorum, quos cum animo celso repudiaret, postulatum est, vt decem millia pateretur famulis suis dari. Ad quod ille, accipiant sanè mei inquit, si velint; sed hoc interim

sciant

sciant, quicunq; aureum vnum acceperit, locum in aula mea non habebit. Coronatus est Aquisgrani anno 1520. Bononiæ verò Longobardorum rex, & Imperator Augustus appellatus est anno 1430. imperauit annos 37.

Valuit prudentia, authoritate, rei militaris scientia, felicitate, & potentia. Literas tamen latinas non admodum tenuit, quarum inscitiam cum aliàs, tum Genuæ deplorauit, cum orationem latinam rerum & verborum floribus respersam vndique audiret. Nunc demum, inquiens, reperio, veram esse prædictionem præceptoris mei Hadriani, daturum me aliquando pœnas puerilis incuriæ. Doleo enim me vim & elegantiam huius orationis satis assequi non posse. Citius scilicet, quàm decuit, à studijs literarum ad rem equestrem ab aulicis traductus est. Carolus deplorauit inscitiam literarum.

Res gestæ illius latè patent, & in varietate multa versatæ sunt. Nos in Ecclesiasticas, bellicas, & togatas diuidemus. In Ecclesia in primis res graues Res gestæ.

saluta-

Ecclesiasticæ. *salutaresq; actæ sunt hoc imperatore, vtpote in quem mutatio & reformatio ecclesiæ & religionis tanta incidit, quanta inde vsq; ab Apostolorum, & Constantini Magni, tempore non fuit. Opus igitur fuit consultationibus plurimis in conuentibus & colloquijs passim in imperio susceptis. Primum quidem anno 1521. VVormatiæ in comitijs Lutherum ipsum sua dogmata defendentem audiuit. Et quanquam tutum illum accedentem & recedentem reclamantibus multis præstitit, statim tamen post proscripsit, cum omnibus qui quocunq; modo illum fouerent, vel operam cum eo communicarent.*

Vuormatiense edictum. *Hoc VVormatiense edictum stabile & ratum esse voluit vsq; ad concilium. Iccirco sæpe illud repetiuit, & sicubi recessum esse ab eo existimauit, eodem Euangelicos reuocauit. Executio verò illius propter dissensiones & tumultus Hispanorum, bellaq; Italica fuit impedita. Interim etiam ipsi imperij ordines in conuentibus quibusdam, vitandorum tumultuum caussa edicti eiusdem executionem retarda-*

tardarunt, & vt doctrina Euangelij impunita ac libera esset, laborarunt. In primis verò Fridericus Saxoniæ elector de incommodis edicti multa apud Cæsarem questus est. Hinc anno 1523. Norimbergæ conuenerunt, & cum pontifex Adrianus emendationem ecclesiæ & curiæ Romanæ per legatum suum Franciscum Cheregatum polliceretur: capita siue articulos ferme octoginta, vel, vt alij scribunt, centum grauamina nationis Germanicæ per eundem ad pontificem miserunt, quibus & iugi pontificij difficultatem comprehenderunt, & concilium vniuersale ac liberum in Germania flagitarunt. Decreuerunt etiam, vt ne libri noui interea à Theologis ederentur, sed secundum probatas atq; receptas ab Ecclesia interpretationes Euangelium doceretur. Ita enim decretum illud Lutherus in literis ad principes Germaniæ interpretatus est.

Norimberg. conuentus.

Iterum anno 26. Spiræ conuentum est; decretoq; cautum; vt vtraq; pars vitam atque doctrinam suam ad eum

Conuentus Spirensis.

ricum de suo nomine appellauit. Cuius latitudo 515. longitudo verò 750. miliaria Germanica complectitur. Rursum anno 1502. auspicijs Immanuelis Lusitaniæ regis Americus Vesputius omnes portus & insulas præcipuas in Africa & India occupauit, reges multos vectigales fecit, & vsq; ad extremum Orientem progressus, Calecuti portus attigit, adeoque aditum iterq; nouum ad Indias nauigantibus patefecit. Tandem anno 1520. Ferdinandus Magallanus Caroli V. auspicijs nauigationem nouam per fretum meridionale in America, non in Orientem solum, sed etiam per totum terrarum orbem, siue per superius & inferius hæmispherium inuenit. Nauis qua vectus est, Victoria fuit dicta, cuius effigies in funere Caroli V. inter alia insignia fuit ducta, Nauarchæ nomen fuit Ioanni Sebastiano de Cano, qui orbis terræ effigiem in insigni suo sculpsit, cum inscriptione, Primus circumdedisti me.

Conspiratio rustica.

Anno 1502. liga rusticorum, quæ vocatur Sotularia, Germanicè Bundtschuch/

ſchuch / in Spirenſi diœceſi exorta eſt: quæ nihil aliud fuit, quàm conſpiratio & rebellio agricolarum contra epiſcopos & Canonicos. Capita præcipua erant, vt iugum ſeruitutis omne excuterent, & Heluetiorum more armis libertatem ſibi pararent. Deinde vt magiſtratum omnem abolerent, pro eoq́; propugnantes interficerent. Pro ſymbolo vſurpabant virginem Mariam & Ioannem Euangeliſtam, quinquies in die orationem Dominicam & ſalutationem virginis recitabant. Toties etiam flexis genibus pro victoria orabant. Altero interrogante, Was iſt nu für ein weſen? reſpondebat alter, Wir mügen für den Pfaffen vnd Adel nicht geneſen / vt habent Vrſpergenſis paralipomena.

Anno 1504. Bellum pro Bauariæ ducibus, Guilelmo, Ludouico, & Erneſto, ex ſorore nepotibus, contra Rupertum Palatinum Rheni geſſit. Cum enim is ad bellum ſeſe à Gallis incitari paſſus eſſet, aqua & igni Cæſar ei interdixit, patriq́; Philippo, ne opem ferret — Bellum Bauaricum.

 filio,

filio interdixit. Ille verò potiorem rationem filij, quàm Cæsaris habendam duxit, & pro filio propugnauit. Vtrumq; igitur bello adortus Cæsar, principes ad auxilium ferendum euocauit, qui iussu ipsius multa in Palatinatu ferro & igni vastarunt. Ipse verò manu sua Boiemos prope Ratisbonam strauit & fugauit: tum oppida & arces multas ab imperio Palatinatui oppignoratas, sine cæde & sanguine recuperauit. Sequente anno precibus

Marchio Badensis.

Christophori marchionis Badensis placatus, Palatinum in gratiam recepit Coloniæ in comitijs, vbi maximè enituit peritia linguarum Iacobi marchionis Badensis, ac episcopi Treuirensis, qui pontificijs legatis Latinè, Gallicis Gallicè, Venetis Italicè, Germanis Germanicè respondit.

Venetum bellum.

Anno 1507. bellum contra Venetos de consilio & sententia imperij in Constantiensi conuentu decretum atque susceptum est, quod durauit decennium. Veneti enim Cæsari Romam coronationis

Caussa.

caussa ituro cum exercitu saluum conductum denegarunt, tum oppida

quæ-

quædam illius in foro Iulij occuparant. Primum autem cum Cæsare contra Venetos Pontifex, Rex Galliæ Ludouicus XII. & Hispanus Cameraci anno 1508. sese coniunxerunt. Sequente anno Galliæ rex eos ad Caruaglium adortus, prælio superauit, & vrbes eorum Brixiam, Bergomum, Cremam, Cremonam, & reliqua ducatus Mediolanensis oppida in ditionem potestatemq́ suam redegit. Papa verò & Hispanus similiter quæ suæ ditionis fuerunt, oppida & vrbes recuperarunt. Cæsar deniq; Veronam, Patauium, Teruisium, & aliæ oppida recepit. Hac calamitate fracti debilitatiq́ Veneti, legatum ad Imperatorem miserunt Antonium Iustinianum, qui orationem Latinam habuit, quam recitat Guicciardinus lib. 8. Eius capita sunt: Nulla est, inuictißime Cæsar, victoria præclarior, quàm sui ipsius. Hæc enim Scipionem nobilitauit, Alexandrum Magnum celebrem reddidit, Iulio Cæsari, à quo cognomentum habes, decus immortale peperit, eadem populi Romani Oratio legati Veneti ad Maxim.

imperium auxit. Quare & tu, Cæsar, nihil facere potes præclarius, quàm si Venetos etiam, quos iam in potestate tua habes, in gratiam recipias. Vides quanta sit rerum humanarum instabilitas. Paulò ante respubl. Veneta opibus & victorijs florebat, nunc verò accepta clade corruit. Nec est, quod Galli victoriam hanc suæ virtuti tribuant, cum nostra etiam virtus & felicitas in bellis contra Turcos & alios conspicua sit, & nota omnibus. Qua quidem nunc etiã consideremus, nisi maiestatis tuæ tremendo numine animi nostri concidissent. Quocirca abiectis armis in tua clementia omnem spem nostram fixam atq; locatam habemus. Te Princeps, senatus, populusq; Venetus nunc humili deuotione supplices oramus, obtestamur, atq; obsecramus, vt clementiæ tuæ oculis res nostras afflictas respicias. Non recusamus vllam pacis legem, quamcunq; tu nobis imposueris, amplecti: sed tibi omnia, quæ maiores nostri sacro Imperio, & Austriæ ademerunt, reddemus, ac tributi nomine

quotan-

quotannis 50. auri pondo in perpetuum pendemus. Tum beneficij tui memoriam in omne tempus conseruabimus. Primus vtiq; es, ad cuius pedes abiecta respub. Veneta supplex se humi prosternit. Quod si maiores nostri ab alienis abstinuissent, nunc gloriæ plus respubl. nostra haberet. Sed tu ignosce & condona Cæsar. Quod si feceris: laudem maximam adipisceris, & nos quod viuimus, tibi vni acceptum referemus.

Responsi autem, quod Maximilianus ex tempore dedit, summa fuit: Mens humana sic affecta est, vt præsentia & præterita consideret, futurorum verò rationem nullam habeat. Ad eundem modum respub. Veneta parum solicita, quid de se futurum esset, quæcunque potuit, ad se rapuit, atq; traduxit, aliorumq; incommodis sua commoda auxit. Quod superiore etiam anno satis ostendit, cum nos Romam profecturos transire non est passa. Idq; non solum, sed oppida etiam & castella quædam ademit. Etsi autem fragilitatis humanæ memores sumus, Responsum Maximil.

& misericordiæ, lenitatisq́; partes libenter sequimur: tamen cum alieno tempore misericordiam nostram imploretis, neq́; integrum nobis sit à fide, socio & fœderato data, recedere, consulere rebus vestris non possumus. Quare à nobis pacati nihil, sed hostilia omnia & aduersa sperate.

Quæ autem fortuna Venetorum animos fregerat, eadem paulo post ad spem erexit. Nam eodem anno Patauium receperunt, & in ea obsidenda frustra laborauit Maximilianus. Deinde cum Iulio pontifice in gratiam reducti, contra Gallum fœdus inierunt. Pontifex enim Gallum excommunicauit, propterea quod Iulij ducis Ferrariensis, quem ipse oppugnabat, patrocinium susceperat. Ita ergo coniuncti fœdere, pontifex, Hispanus, & Veneti arma in Gallum converterunt, Ille verò pontificem & Hispanum à Bononiæ obsidione repulit, Venetorum copias cæcidit, ac Bergomum, Brixiamq́; quæ defecerant, recuperauit. Mox pontificem in ipso die paschatis ad Rauennam prælio superauit, Papæ exercitus cæsus. *& ad*

& ad sexaginta millia in exercitu eius trucidauit. Pontifex contra Parmam & Placentiam eripuit, fœdus cum Cæsare renouauit, & Galliæ regē denuo proscripsit. Accesserunt ad hoc fœdus rex Angliæ, & Heluetij excitati à pontifice. Hi Mediolano Gallos profligarunt, Cæsariani verò Venetias obsederunt, littus vicinum ex omni parte incendijs vastarunt, & exercitum Venetum ad Vincentiam ceciderunt, à Mediolani verò obsidione pulsi sunt. Tandem Verona Venetis reddita est, & cæsi sunt Heluetij à Galliæ rege Francisco Valesio ad Marignanum, qui rex etiam Mediolanum recuperauit.

Venetiæ obsessæ.

Anno 1518. Maxim. Cæsar Comitia Augustæ celebrauit præsentibus cunctis Electoribus, quibus ante omnia de bello Turcis inferendo, & de Lutheri negotio actum est. Tum Carolum nepotem suum VIIviris commendauit. Scripsit quoq; ad pontificem, vt nascenti malo in ecclesia remedium maturè quæreret, priusquam longius serperet: se quidem comprobaturū quicquid statueret, idq; per im-

Conuentus Augustanus.

perij prouincias executurum, pollicens. Reuersus ex comitijs Augustanis vbi orationem de bello Turcico habuit, & iam ad expeditionem sese parans, in febriculam & lubricitatem alui incidit, & mortuus est in oppido VVelsa, an. 1519. ætatis verò 63. memorabile est de hoc Imperatore, quod loca ad supplicia sontium destinata præteriens, venerabundus dixit: Salue iustitia.

Carolus V.

Anno Christi 1519. Carolus V. Maximiliani Imp. ex filio Philippo nepos, archidux Austriæ, regnorum 28. rex, anno ætatis suæ 20. Imperator creatus est.

Fridericus Saxoniæ Elector.

Ante illum principes Electores detulerant imperium ad Fridericum Saxoniæ ducem Electorem, cognomento sapientem. Sed is animo magno recusauit, Carolumq; omnibus prætulit. Ob quod præclarum iudicium obtulerunt ei legati Caroli triginta millia florinorum, quos cum animo celso repudiaret, postulatum est, vt decem millia pateretur famulis suis dari. Ad quod ille, accipiant sanè mei inquit, si velint; sed hoc interim

sciant

sciant, quicunq; aureum vnum acceperit, locum in aula mea non habebit. Coronatus est Aquisgrani anno 1520. Bononiæ verò Longobardorum rex, & Imperator Augustus appellatus est anno 1430. imperauit annos 37.

Valuit prudentia, authoritate, rei militaris scientia, felicitate, & potentia. Literas tamen latinas non admodum tenuit, quarum inscitiam cum aliàs, tum Genuæ deplorauit, cum orationem latinam rerum & verborum floribus respersam vndique audiret. Nunc demum, inquiens, reperio, veram esse prædictionem præceptoris mei Hadriani, daturum me aliquando pœnas puerilis incuriæ. Doleo enim me vim & elegantiam huius orationis satis assequi non posse. Citius scilicet, quàm debuit, à studijs literarum ad rem equestrem ab aulicis traductus est. Carolus deplorauit inscitiam literarum.

Res gestæ illius latè patent, & in varietate multa versatæ sunt. Nos in Ecclesiasticas, bellicas, & togatas diuidemus. In Ecclesia in primis res graues saluta- Res gestæ.

Ecclesiasticæ. salutaresq́; actæ sunt hoc imperatore, vtpote in quem mutatio & reformatio ecclesiæ & religionis tanta incidit, quanta inde vsq; ab Apostolorum, & Constantini Magni tempore non fuit. Opus igitur fuit consultationibus plurimis in conuentibus & colloquijs paßim in imperio susceptis. Primum quidem anno 1521. VVormatiæ in comitijs Lutherum ipsum sua dogmata defendentem audiuit. Et quanquam tutum illum accedentem & recedentem reclamantibus multis præstitit, statim tamen post proscripsit, cum omnibus qui quocunq; modo illum fouerent, vel operam cum eo communicarent.

Vuormatiense edictum. Hoc VVormatiense edictum stabile & ratum esse voluit vsq; ad concilium. Iccirco sæpe illud repetiuit, & sicubi recessum esse ab eo existimauit, eodem Euangelicos reuocauit. Executio verò illius propter dissensiones & tumultus Hispanorum, bellaq́; Italica fuit impedita. Interim etiam ipsi imperij ordines in conuentibus quibusdam, vitandorum tumultuum caussa edicti eiusdem executionem retarda-

tardarunt, & vt doctrina Euangelij impunita ac libera esset, laborarunt. In primis verò Fridericus Saxoniæ elector de incommodis edicti multa apud Cæsarem questus est. Hinc anno 1523. Norimbergæ conuenerunt, & cum pontifex Adrianus emendationem ecclesiæ & curiæ Romanæ per legatum suum Franciscum Cheregatum polliceretur: capita siue articulos ferme octoginta, vel, vt alij scribunt, centum grauamina nationis Germanicæ per eundem ad pontificem miserunt, quibus & iugi pontificij difficultatem comprehenderunt, & concilium vniuersale ac liberum in Germania flagitarunt. Decreuerunt etiam, vt ne libri noui interea à Theologis ederentur, sed secundum probatas atq; receptas ab Ecclesia interpretationes Euangelium doceretur. Ita enim decretum illud Lutherus in literis ad principes Germaniæ interpretatus est.

Norimberg. conuentus.

Iterum anno 26. Spiræ conuentum est, decretoq; cautum, vt vtraq; pars vitam atque doctrinam suam ad eum modum

Conuentus Spirensis.

modum instituceret, qui probari Deo & Cæsari posit, vsque ad concilij tempus. Quod decretum tametsi reprehendit Cæsar, commodi tamen multum imperio attulit. Fuit alius conuentus Spiræ anno 29. vbi protestationem exhibuerunt Euangelici in religionis negotio, contra eam scilicet partem, quæ contra superioris conuentus decretum, libertatem religionis adusq; concilium adimere videbatur, ex Protestantes *quo Protestantes appellari cœperunt, quæ res Smalcaldico fœderi occasionem caussamq; dedit.*

Congressus Cæsaris & pontificis Bononiæ.

Cum autem Carolus pace facta cum pontifice & Gallo, omnem operam curamq; ad componenda religionis dissidia in imperio conuerteret: cum pontifice ipso Clemente VII. Bononiæ de re tota collocutus est. Antè verò complurium doctorum & sapientum consilia exquisiuerat, quorum aliqui non concilio, sed bello comprimendam esse religionem Ecclesiæ Romanæ contrariam iudicarunt: Alij verò legitimo concilio, veroq; iudicio dirimendam esse re-

se religionis controuersiam censuerunt: quod manifestum esset abusus multos horrendaq; vitia in Ecclesiam Romanam inuasisse, nec tot pijs principibus concilium efflagitantibus tyrannicè aliquid agendum in Ecclesia videretur. His obsecutus Carolus per Mercurinum Cancellarium suam de contilio indicendo sententiam exposuit. Pontifex verò alienus ab omni concilio, primum ius suum potestatemq; indicendi concilij inde vsque à Nicena synodo repetiuit, deinde palam contilium dissuasit, contumeliosè multa aduersus repurgatam Euangelij doctrinam locutus. Cui cum respondere iussu Caroli Mercurinus cœpisset, pontifex interpellauit, quid tu, inquiens, audes te mihi opponere, & dominum tuum in me concitare? Hac asperitate pontificis permotus Cæsar, ipse orationem habuit, plenam sapientiæ & moderationis. Initio suam ætatem excusauit, & ex diligenti cum multis prudentibus viris collatione cognouisse se ostendit, summopere necessarium esse ec- Caroli oratio.

clesiæ

clesiæ concilium. Iccirco se in proposito susceptoq; concilio permanere, nec adduci posse, vt sine cognitione bona pariter & & mala in religione exterminanda ducat. Hac oratione in admirationem traductus pontifex omnesq;, qui cum eo erant, remißius ac lenius, quã solitus erat respondit, se cum Cardinalibus suis velle accuratius deliberare. Nihilominus tamen id obtinuit, vt Carolus promitteret, se omnes vias persecuturum esse, quibus ad Romanæ ecclesiæ obedientiam reuocarentur Lutherani, ac si minus procederet euentus, vi ipsos deleturum esse.

Fœdus Cæsaris & pontificis.

Mox conuentum Augustæ indixit, in quo omnis de religione controuersia placidè componeretur. Princeps verò Saxoniæ Elector Ioannes, & fœderati eius, metuentes vim fœderis inter Cæsarem & pontificem, de reducendis Euangelicis ad sedis Romanæ obedientiam, vel vi belloq; delendis: fœdus & ipsi faciendum sibi putauerunt, vt illatam vim, si opus sit, à suis ceruicibus repelle-

pellere possent. Verum interposuit sese Lutherus; Euangelium nec fœderibus nec armis, sed Dei præsidio, & nostra fide ac precatione defendi demonstrans. Lutherus dissuadet fœdus Euangelicorum.

Incidit in id tempus epitasis certaminum ecclesiæ in hac postrema mundi senecta. Vt enim ex nubium conflictu ardor exprimitur, qui fulmen appellatur: ita ex pontificiæ & Euangelicæ religionis contentione lux emicuit, & veritatis facies clarißima longè lateq; diffusa est. Primus omnium Augustam venit Ioannes Saxoniæ Elector, secundo Maij, cum Georgio Marchione Brandepurgico, Ioanne Friderico Saxoniæ duce, Ernesto Brunsuicensi duce, Philippo Haßiæ Landgrauio, Francisco Lunæburgensi duce, VVolfgango Anhaltino principe; cum quibus sese coniunxerant imperij quædam ciuitates, Norimberga primum, & Reutlinga deinde aliæ complures. Adduxit eo secum Saxoniæ Elector Philippum Melanchthonem, Iustum Ionam, & alios, Lutherum verò Coburgi reliquit, vt ad eum referri, Conuentus Augustanus.

quæ res caussaq́ postularet, possent. Scripserat autem iam ante Lutherus articulos septendecim, quibus summam doctrinæ, fidei, & confeßionis reformatæ ecclesiæ complexus erat: Ex his iußus est Melanchthon confeßionis formulam iustam componere. Quod fecit etiam, & scriptum totum Lutheri iudicio subiectum est, ab eoq́ sic comprobatum, vt nec mutare, nec corrigere quicquam voluerit. Quod missæ vltro citroq́ epistolæ satis declarant.

Confessio Augustana, vnde & a quo composita.

Aduenit eodem Carolus Cæsar 15. Iunij, & primum omnium à principibus Euangelicis, vt comitiorum tempore conciones intermitterent, postulauit. Cui illi per Georgium marchionem, cur id facere minus possent, rationem reddiderunt. Is verò bis postulationem suam, hi contra excusationem iterarunt. Cumq́ Cæsar se desistere à proposito nolle indicaret: respondit marchio, caput hoc meum amittere malo, quàm Deum & Euangelium negare. Ad quod Cæsar,

mini-

minimè verò, inquit, caussa capitis agitur, minimè, atque ita die illo postulatio conquieuit. Postridie verò, vt scripto excusationem suam comprehensam principes Euangelici exhiberent flagitauit. Maturè ergo hi caußas consilij sui exposuerunt. Primùm, inquiunt, doctrinam profitemur Propheticis & Apostolicis scriptis, atque adeo fidei nostræ Christianæ consonam. Deinde publica eius professio Norimbergensi decreto ab ipso Imperatore & Ferdinando permissa est. Tum miseris nobis concione verbi diuini non minus, immò verò etiam magis, quàm alij rebus vllis opus est. Præter hæc, quid aliud est concionum intermißio, quàm doctrinæ ipsius abiectio & damnatio? Cum autem eam ob caussam indictus sit conuentus iste, vt de doctrina vtriusque partis iudicium fiat: profectò nostrum non est, ante susceptam cognitionem à publica eius professione aut concione desistere. Id quod ne fieri quidem absque insigni offensione proximi potest. Quamobrem qua par est

Caussæ cur intermitti conciones non possint.

submißione petimus, vt conscientiæ nostræ parcat Cæsarea maiestas, nec aliter nobiscum agat, quàm egit Spiræ, vbi nullo prohibente, conciones à nostris habitæ sunt. In alijs omnibus obedientiam subditis dignam pollicemur. Cæsar, vt quod volebat, obtinere posset, re cum principibus deliberata, voce præconis per omnes vicos ciuitatis, constituta pœna, edixit, ne quis concionem Augustæ haberet, nisi à Cæsare ad id ordinatus. Cui edicto etiam Euangelici principes obtemperarunt, idq́ Lutherus comprobauit. Sic vtrinque conciones conquieuerunt.

Edictum Cæsaris de intermittendis concionibus.

Attulit eo tempore capitulum Augustanæ ecclesiæ honorarium munus ad Cæsarem, quod accepit ille quidem coràm, sed respondere episcopum Hildesheimensem iußit, voce satis flebili, gratum quidem sibi esse munus oblatum, sed petere se vnà cum fratre suo, preces Deo pro se peccatore misero adhibeant, vt luce Spiritus sancti illustratus in negocio tam arduo id spectet & efficiat, quod

quod Deo in primis gratum sit, & ecclesiæ salutare. Hæc verba tanto animi ardore protulit, vt lacrymas non teneret. Antequam etiam conuentus initium fecit, missam adijt, & legatum pontificium Latinè Germaniceq́; orantem audiuit. Tum ad sacrificium præferente ensem Saxoniæ Electore, accessit.

Lacrymæ Cæsaris.

In conuentu duo ad deliberandum proposuit, I. de Turcorum impetu propulsando, alterum de religionis dissidio componendo. Cum autem inter principes conuenisset, vt in primis de religione ageretur, iussus est Saxoniæ Elector & socij eius fidei suæ confessionem exhibere. Quod factum est quarto die post, quo Campegius Cardinalis oratione quadam ordines ad consensum in religione, & ad bellum Turcis inferendum hortatus est. Oblatam confessionem accipere quidem paratus fuit Cæsar, sed Euangelici principes, vt publicè ea recitaretur & audiretur, ab eo petiuerunt. Quod cum eo die fieri minus posset, sequente,

Capita in conuentu Augustano proposita.

Campegius.

Recitatio confessionis.

qui erat XXV. Iunij, à meridie, frequente senatu imperij coram Carolo & Ferdinando, in palatio Cæsaris, Germanicè per duas integras horas pronunciata est, voce clara & expressa per Georgium Pontanum, Saxoniæ Electoris Cancellarium. Latinè verò & Germanicè simul Cæsari per eundem Cancellarium tradita est. Acceptam ille mox cunctis penè principibus in orbe Christiano ad iudicandum suggeßit, nec defuerunt legati, qui eandem in linguam gentis suæ conuersam ad suos miserunt: vt nulla penè aula, nullum regnum, nulla ciuitas in Europa esset, ad quam non fama & notitia eius penetraret. Verè igitur hæc vltima tuba Euangelij fuit, cuius vocibus personare Deus orbem Christianum ante extremum diem voluit.

Confessio Augustana tuba vltima.

Sententiæ de confessione Augustana.

De ipsa verò confeßione sententiæ diuersæ in senatu imperij dictæ sunt. Alij enim edicti VVormatiensis executionem vrserunt. Alij doctorum & piorum censuræ subijciendam esse confeßionem existimarunt, iudiciumq́ Cæsari permitten-

tendum. Nonnulli confutationis formulam perscribendam, ac recitandam esse Euangelicis iudicarunt, efficiendumq́; vt omnia in integrum ad vsq; concilium restituerentur. Ex his cum maxima pars postremam probaret, datum est negocium Ioanni Fabro, Eccio, Cunrado VVimpinæ, Cunrado Collino, Ioanni Cochleo, Medardo Minoritæ, Augustino Mario, & alijs, vt confutationem articulorum confeßionis conscriberent. Interim per Fridericum Palatinum, Hoierum Mansfeldiacum, & comitem Helfensteinium percontatus est Cæsar, num plures articulos exhibere vellent Euangelici? responderunt illi, sat se habere, in confeßione comprehendisse summa doctrinæ suæ capita ad salutem animæ necessaria; abusus vero in Ecclesiam inuectos lenitatis caussa sese præterijsse: præsertim cum amicam & placidam actionem de ijs in conuentu Cæsar polliceretur.

Cum etiam eodem tempore Ioannes Saxoniæ Elector feuda siue insignia pro-

uinciarum suarum, ceremonia vsitata sibi tribui, tum coniugij etiam Ioannis Friderici filij cum Sybilla ducis Iuliacensis filia confirmationem peteret: vtrumq; ei denegauit Cæsar, nisi ad ecclesiæ catholicæ consensum rediret. Quod se facturum is summa constantia negauit, submissè nihilominus quæ petierat, & æqua erant, concedi sibi postulans. In caussa verò fidei omnia se facturum promittit, quæ sinat conscientia, & ad concilium liberum prouocat.

Lutherus pacem suadet.

Cum ex his & alijs satis appareret, quo animo Cæsar & pontificij in religionem reformatam essent, Lutherus summis votis pacem expetit, eoq; nomine ad Moguntinum archiepiscopum Albertum literas dat, quibus contendit, vt si fortè conciliari religionis controuersia non possit, operam det, pro sua authoritate, ne armis altera pars oppugnetur.

Confutationes recitatio

Tandem die Augusti tertio confecta à pontificijs Theologis confutatio, in frequenti Senatu imperij recitata est: cum

qui-

quidem Cæsar prius per Fridericum Palatinum paucis indicasset, se bono studio à viris doctis & vsu peritis eam conscribendam curasse. Erat autem confutationis ea ratio, vt aliqua in confeßione Euangelicorum probaret, quædam verò reiiceret. Absoluta recitatione Cæsar iterum per Palatinum indicat, quoniam confutatio piè, & ita composita sit, vt reuelli non poßit, cupere se, vt Saxoniæ Elector, cæteriq́ principes & ciuitates cum suis concionatoribus in ea acquiescant. Ad quod respondent illi, cum in confutatione scripturæ testimonia & patrum dicta aduersus confeßionem prius à se exhibitam allegentur: postulare rem, vt ea cuiusmodi sint, accuratè expendatur. Iccirco exemplum sibi eius impertiri petunt. Quod tandem vix, sed ea tamen conditione impetratum est, vt neque euulgaretur, neque typis excuderetur. Euangelici ergo, cum omnem disceptationem vberiorem abnueret Cæsar, nec exemplum sibi sub tali conditione accipiendum putarunt.

Exemplum confutationis denegatum Euangelicis.

Conditiones Euangelicis latæ.

Hic archiepiscopus Moguntinus, Henricus Brunsuicensis dux, & alij; Cæsarem rogant, vt ineundæ concordiæ caussa agi cum protestantibus patiatur. Quod vbi concedit ille, conditiones à delectis feruntur, quibus conciliari religionis discrepantia posse videatur. At cum hæ eo directæ omnes essent, vt à confessione sua desisterent Euangelici, & spes concilij omnis præcideretur: contra literas Cæsaris agi responderunt Euangelici, quibus literis collatio opinionum placida promittatur, ex qua quid in vtraque parte verum sit aut falsum, eluceat: Tum quia confutationis copia ea impetrari non possit, quæ ad tam ardui negotij tractationem necessaria sit, non iniuria se ad concilium prouocare. Si tamen via aliqua commodior inueniri possit, vt ab vtraque parte pauciores deligantur, pietatis & concordiæ amantes, qui de controuersis articulis colloquantur, non respuere se eam conciliandæ religionis rationem velle. Quod consilium cum archiepi-

scopo

scopo Moguntino probaretur, Eccio author fuit, vt de singulis articulis confeßionis suam sententiam explicaret. Is ergo eum ordine singulos examinasset, sex ex ijs notauit, quos minime ferri posse iudicauit: de meritis sanctorum, de communione sub vtraque specie, de coniugio sacerdotum, de votis monasticis, de sacrificio Missæ, de traditionibus humanis. De cæteris verò conueniri posse, si vtrinque principes duo & theologi totidem colloquerentur, arbitratus est.

Eccij iudicium de articulis Euangelicorũ.

Ab Euangelicorum parte Melanchthon & Theologi cæteri suos principes ad transactionem amicam, & constituendam concordiam, quoad eius facere potuerunt, hortati sunt, propositis hisce conditionibus, primum, vt salua sit in primis doctrina de fide, de operibus, de libertate Christiana, & alijs partibus iuxta confeßionis formulam. Secundò, vt vsus cœnæ dominicæ sit integer. Tertiò, ne importetur neceßitas restituendi priuatas Missas, & inuehendæ

Theologi Euangelici suadens pacem.

sacri-

sacrificium pro viuis & mortuis. Quartò, vt sacerdotibus & Ecclesiasticis coniugium permittatur. Quintò, vt libertas sit in traditionibus humanis, in ciborum discrimine, & similibus. In cæteris concedant omnia, quæ Deo & conscientiæ non repugnent.

Tractatio amica.

Hinc amica tractatio de articulis controuersis suscepta est, vtrinq; septem delectis. Et quanquam pontificij in quindecim articulis sibi cum Euangelicis conuenire dixerunt: tamen hi, ne quid concessisse viderentur contra sanctum Dei verbum confessionisq; exhibitæ formulam; mox sententiam suam perspicuè magis declararunt, & quatenus ea cum pontificijs congrueret, ostenderunt. De hoc conciliationis negotio Lutherus etiam quid sentiret in epistola ad Melanchthonem demonstrauit, in qua inter cætera ait: minimè verò mihi placet de conciliatione doctrinæ agi, cum talis fieri nequaquam posit, nisi pontifex aliquid de papatu suo remittat. Satis fuerit, caussam fidei

Lutheri consilium de conciliatione.

nostræ

nostræ exposuisse, & pacem flagitasse, cogere verò pontificios ad amplectendam veritatem quî possumus? Cum ergo ad istum modum effici nihil posset, placuit à paucioribus conciliationem tentari, & delecti sunt ab vtraque parte trini, à pontificijs quidem Eccius, Cancellarius Coloniensis, & Badensis. Ab Euangelicis verò Melanchthon, D. Pontanus, & Hellerus. Hi de vtraque specie in cœna sancta, de Missa, de sacerdotum coniugio, de monasterijs, de iurisdictione episcoporum denuo collocuti sunt.

Pauciores delecti.

Interim ab Electore Saxoniæ consilium Lutheri exquiritur, qui respondit, sibi minimè placere pontificiorum postulationem, vt vsus sacræ cœnæ sub vna specie indifferens sit & liber, quod Christi verbum, comedite, bibite, item facite, nequaquam indifferens sit, sed præceptum contineat, cui obedire sine omni excusatione oporteat. Idem existimandum esse de Missa priuata scribit, quæ cum sit inuentum hominum, sine verbo

Lutheri consilium de pontificiorum postulatis.

Dei

Dei introductum, admitti eam sine impietate non posse affirmat. Neque canonem etiam ferri posse demonstrat; cum pontificiorum interpretatione, quod contumeliosus sit aduersus filium Dei. Acta verò huius colloquij ad Cæsaris consilium relata sunt, in quo cum nulla alia conciliationis conditio ferretur, quàm quæ erat in superiori colloquio lata, idem Euangelicorum fuit responsum.

Philippi argumenta contra Missam.

In primis verò argumenta quædam Melanchthonis contra Missam in hoc responso elucent; quorum primum est: Omne donum eam habet conditionem, vt prosit accipienti. Sacramentum cœnæ est donum Christi. Prosit ergo accipienti, nempe ad confirmationem fidei, necesse est, & per consequens, non tantum gratiarum actionis caussa institutum est. Alterum: Corpus & sanguis Christi in cruce non tantum gratiarum actionis, sed remissionis etiam peccatorum caussa fusus est. Panis in cœna est corpus Christi, vinum sanguis eius. Non igitur hæc in cœna sancta tantum sumuntur,

tur,

tur, vt signa sint gratiarum actionis, sed vt certa etiam monumenta sint remißionis peccatorum.

Quibus & alijs compluribus argumentis liquidò demonstrauit, aliud esse finem Sacramenti cœnæ, nempe vt fides excitetur in nobis, aliud id quod finem sequitur, quæ est gratiarum actio. Quod verò cœna Domini sacrificium non sit, itidem confirmatum est euidenti argumento à discrimine Sacramenti & sacrificij, in hunc modum: In sacrificio nos aliquid reddimus siue tribuimus Deo: In Sacramento cœnæ nihil reddimus Deo sed Christus nobis exhibet corpus suum. Sequitur ergo Sacramentum non esse sacrificium.

Scripsit de eadem actione Lutherus ad Melanchthonem, & Iustum Ionam, nullo modo ferri posse hosce aduersariorum conatus, quippe qui à sua sententia de canone, de Missa, de vna specie Sacramenti cœnæ, de cœlibatu, de iurisdictione transuersum vnguem discedere no-

re nolint, & insuper etiam glorientur, se redargui nullo modo posse, à nobis verò concedi sibi in omnibus cupiant. Cum itaque ne hoc quidem modo conciliari aliquid posset, aduocauit Cæsar catholicos principes, & ordines cunctos, die Septemb. septimo, & duabus horis post etiam Saxoniæ Electorem, & socios, ijsq; per Fridericum Palatinum significauit, permolestum sibi accidere, quod post tot susceptas & tentatas actiones abduci à nouitate doctrinæ, & reduci ad vsum Ecclesiæ veterem, & receptum nequeant. Concilium verò vt quam primum indiceretur, se curaturum quidem, sed ea conditione, si interea ad religionem, quam ipse alijq; principes profiteantur, sese aggregent. Quod cum Euangelici se facere integra conscientia non posse, ostenderent, Cæsar neque concilio locum esse posse respondit, quod decretis conuentus Spirensis sese opposuerint. Si verò vberiorem tractationem desiderent, non se defugere vllum laborem, quo ad conciliationem peruenire

niri poßit. Ad hæc, non se dubitare dixerunt Euangelici, quin concilium liberum vt indicatur, curaturus sit: protestationem verò in conuentu Spirensi vni tantum parti decretorum oppositam fuisse, quæ scilicet contra doctrinam Euangelij facta esset: cæterùm sese obtemperaturos esse. An verò æquum sit, vt, quod Cæsar obiecerat, minor pars in hoc religionis certamine maiori cedat, iam non posse disputari, tum frustra etiam vberiorem tractationem suscipi, cum Cæsar mirari se ostendat, ponitficios tantum conceßisse. Ex quo satis cognosci posse dixerunt, non velle ipsum amplius aliquid concedi à pontificijs. Tandem decretum in religionis negocio Septemb. die 22. pronunciatum est, quo primum repetita fuit caussa indicti conuentus, actionumq; in eo religionis conciliandæ gratia susceptarum: tum confeßionis Euangelicorum ex verbo Dei reiterata confutatio. Postea spatium deliberandi datum est Euangelicis ad 15. vsq; diem Decretum conuentus.

Aprilis, num vellent ad consensum doctrinæ catholicæ reuerti: postulatum etiam ne quid interea excudi in suis ditionibus de religione paterentur, ne quid innouarent, ne quem ad amplectendam religionem suam impellerent, ne quem in veteris religionis cursu impedirent: vt eum alijs ordinibus consilium caperent de modo coercendi Anabaptistas, & eos, qui secus de cœna Domini, quàm ecclesia doceant. Postremò promissum est concilium intra semestre tempus indicendum; sequente verò anno incoandum.

Apologia confessionis Augustan.

Ad quæ responderunt Euangelici, nullo modo sese concedere; quod confessio ipsorum ex verbo Dei refutata sit. Ac ne confutatio confessioni suæ opposita silentio prætermitteretur Apologiam obtulerunt Cæsari, ex qua cognosci liquidò posset, exhibitam ante à se confessionem firmam esse. Hanc verò cum Pontanus Friderico Palatino traderet, accepit ille quidem, sed admonitus Cæsar à Ferdinando clanculum, reddi eam suis authoribus

thoribus iußit. In cætera, quæ postulata essent, nihil hactenus à se commissum esse dicebant, neq; commissum iri in posterum: Anabaptistas verò & Sacramenti altaris contemtores in suis ditionibus nequaquam se tolerasse, nec toleraturos esse deinceps vllo tempore. Vt hæc omnia ad suos referre possent, decreti exemplum sibi impertiri petiuerunt. Sed respondit Cæsar, se satis mirari non posse, quod tanta pertinacia doctrinam suam tueantur, quæ tamen testimonijs scripturæ satis confutata sit, & iam dudum à concilijs damnata. Iccirco postulare se seriò, vt decretis conuentus pareant. Quod nisi faciant, necessitatem ipsam postulare, vt eas ineat vias, quas officij munus exigat.

Euangelici contra, se inuiolata conscientia decretum conuentus recipere non posse ostendunt, sed copiam eius demissè iterum petunt. Et cum Cæsar restitutionem monasteriorum & bonorum ecclesiasticorum flagitaret, sæpius à se responsum esse aiunt, vsque ad Disputatio Cæsaris & Protestantium.

concilium sese ista omnia sic moderaturos esse, vt satis appareat, non se sui commodi caussa quicquam fecisse. Ad quod Cæsar, nisi, inquit, decretum conuentus amplectamini, alias persecuturus sum vias, quibus noua secta funditus deleatur, & pax fidesq; catholica in Germania conseruetur. Postremò, restitutionem Monachorum, Abbatum, & aliorum Clericorum iterum flagitauit. Cui Euangelici nihil aliud, nisi hoc respondendum esse duxerunt: cum neque exemplum decreti, neq; tempus deliberandi diligentius de re tota impetrari possit, non esse caussam, quare diutius laborent. Iccirco se Deo totam caussam commendare.

XXIII. Septembris Elector Saxoniæ, & duo principes Luneburgici cum suis Theologis discedunt, relictis post se consiliarijs, & legatis vsq; ad finem conuentus. Exhibuerunt per id temporis peculiarem fidei suæ confeßionem quatuor ciuitates, Argentoratum, Constantia, Meminga, & Lindauium:

Peculiaris confessio quatuor ciuitatum.

sed

sed ea publicè prælecta non est.

Cum autem subsidia ad depellendum Turcam Cæsar peteret, responderunt nomine principum suorum legati, si religioni induciæ aut pax vsq; ad concilium promittatur & permittatur, velle se, non minus quàm alios ordines, pecunia & homines in Turcas mittere. Cum etiam Cæsar indicasset Euanglicis, propterea quod conuentus decretum amplecti nollent, in pace religioni data ipsos non comprehendi flagitarunt legati declarationem; quæ data est in hunc modum: quicquid de defensione doctrinæ catholicæ dictum esset, id offensionis nihil in se continere. De fisci autem processu contra eos Cæsarem statuere velle. Erat etiam comprehensum in decreto, ne quis in Cameræ iudicium reciperetur, nisi factum de religione decretum approbaret. Quod ipsum quoq; neq; probare, neq; recipere se posse legati demonstrarunt. Iccircò exhibitis literis supplicibus, alij decimo tertio, alij decimo nono Nouembris discesserunt.

Pax religioni data ad quos pertineat.

Fœdus Schmalcaldicum.

Eodem anno 30. principes & ciuitates protestantes Schmalcaldiæ conuenerunt, & fœdus inter se fecerunt, quo id potißimum comprehendebatur, vt si armis propter Euangelij profeßionem inuaderentur, viribus coniunctis, vim iniustam à se propulsarent. Socij huius fœderis fuerunt etiam vrbes nonnullæ, ex quibus Magdeburga & Brema statim subscripserunt: reliquæ verò Argentina, Vlma, Constantia, Lindauia, Meminga, Campodunum, Heilprunna interiecto aliquo interuallo se responsuras esse promiserunt. Fœdus etiam icerunt eadem de caussa Argentinenses, Bernates, Tigurini, & Basilienses.

Pax inter Cæsarem & Protestantes.

Quòd autem in conuentu Augustano impetrari nullo modo potuit, id paulo post intercedentibus Alberto Moguntino, & Ludouico Palatino, obtentum est, vt pax tam diu flagitata ac desiderata inter Cæsarem & Protestantes fieret. Præbuerat caussam nonnullam huic paci periculum ingens, quod à Turcis impendebat Austriæ. Ad quod pro-

pul-

pulsandum vires ab omni Germania conferri necesse erat. Formula autem pacis sic erat composita, vt communis & publica pax in Germania esset vsq; ad generale, liberum, & Christianum concilium, nec religionis caussa cuiquam bellum inferretur, negocium exhiberetur, aut molestia vlla crearetur: donec vel per concilium, vel alia quacunq; ratione per imperij ordines controuersia omnis tolleretur. Factum est hoc decretum die Iulij XXIII. Norimbergæ, anno 1532. Memoraabile est Caroli responsum, quod id temporis dedit Heldo vicecancellario, cum dixisset, Cæsarem decretum in comitijs Augustanis factum exequi velle, etiamsi vastanda esset Germania. Id enim sic interpellans Cæsar refutauit: non hoc iussi te dicere, absit, vt vastare velim Germaniam, quæ & patria est, & imperij decus summum mihi tribuit. Reliqua acta Caroli in ecclesia supra in capite de perpurgata religione exposita sunt.

Responsum Cæsaris memorabile.

Bella gessit Carolus complura & qui-

Bella Caroli.

dem contentione magna, sed fortuna dispari. Primũ omnium anno Christi 1520. motus populi in Hispania contra ministros regios siue magistratus, Belgas præsertim, concitatos compreßit. Querebantur enim Hispani, hos præter æquum duros esse & rempub. quæstui habere: Iccircò conspiratione facta, quam communitatem sanctam appellabant, deijcere à ceruicibus suis iugum ipsorum constituerant, certosq́; factionis duces delegerant. At eorum conatibus obuiam iuerunt quidam duces Hispanici, cœtumq́; seditiosorum oppresserunt captis multis, in quos reuersus in Hispaniam Carolus grauiter animaduertit.

Tumultus in Hispania, peruersæ Cæsarianorũ administrationis caussa exortus.

Bellum Mediolanense.

Anno 1521. exarsit bellum inter Carolum & regem Galliæ, cum alijs ex caußis, tum quod ægrè ferret Galliæ rex Carolum sibi prælatum esse in Imperatoris Romani electione. Inde enim opes eius valde auctas esse facilè perspiciebat. Ac initio quidem à Pontifice etiam adiuuabatur, qui enixè laborarat, vt ad imperij maiestatem Galliæ rex eue-

euheheretur. Sed hoc anno 21. fœdus faciunt pontifex & Carolus contra Gallum, eiusq́ præsidium ex omni Italia pellunt, & amplißimum Insubrium principatum Mediolanensem Francisco Sfortiæ restituunt. Durauit autem bellum Gallicum annis propemodum 38. pactis quandoq́ inducijs, sed dubijs, parumq́ constantibus.

Anno 25. Franciscus Galliæ rex Mediolanum in potestatem suam redegit, sed non multo post à Cæsarianis ad Papiam victus ad Carolum captiuus in Hispaniam abductus est. Carolus verò adeo non est elatus hac victoria, vt acceptis captiui regis supplicibus literis omnia lætitiæ signa publica omiserit, & ad templum concesserit, gratias illic Deo acturus, & hanc felicitatem omnem acceptam illi relaturus. Tum deliberationem in senatu de captiuo instituit, in qua sententiæ tres propositæ sunt. I. vt captiuus perpetuò teneretur. II. vt fraternè nulla alia interposita pactione dimitteretur, nisi vt ad perpetuam ami-

Franciscus ad Ticinum captus.

Deliberatio de captiuo rege.

citiam & pacem, tum ad Christianæ etiam reip. morbos sanandos obligaretur. III. vt emolumento quàm maximo libertas ei restitueretur. Rex ipse vt in Cæsaris conspectum duceretur summis votis expetiuit, sperans vel benignitate eius, vel conditionibus, quas proponere ei in animo habebat, facile libertatem se consecuturum esse. At Cæsar nisi concordia iam firmata, aut in spem certam adducta admittere eum recusauit. Quod adeo iniquo animo captiuus tulit, vt in morbum incideret, vnde conualescere de medicorum iudicio non potuit, nisi Cæsar ad illum consolandum veniret, & spem libertatis faceret. Itaque inuisit eum Cæsar, & spe liberationis ostensa, morbi vim ita mitigauit, vt ad pristinam valetudinem quamuis serius redierit.

Fœdus contra Carolum. Interea rex Angliæ cum matre regis captiui fœdus facit, & verò Papa, Venetiq; consilia capiunt, quomodo Cæsaris copias ex Italia expellant. Quin Sfortiam etiam ipsum Cæsariani duces propter

suspicionem coniurationis cum Papa & Venetis arctius premunt. Quamobrem redit in gratiam cum captiuo Carolus his conditionibus: vt Neapolitanum regnum renunciet, comitatu Flandriæ cedat, ducatum Burgundiæ tradat, & ad coronationem Cæsaream peditum sex millia, equites verò sexcentos cum sumptibus ad menses sex mittat. Hæc interposito iureiurando confirmat Gallus, datis obsidibus duobus filijs natu maioribus, accepta verò Leonora Cæsaris sorore Germana in vxorem. Redeuntem Gallum Cæsar honorificè deducit, concesso ei inter equitãdum latere dextro. Digna est omnium memoria vox Caroli, de hoc æmulo virtutis suæ Francisco Gallorum rege: si omnem, inquit, Galliam expugnassem, tamen redderem ei, modo mihi exiguum illud, quod meum est, relinquat. Hoc modo Mediolanensem ducatum recuperauit Carolus, quem anno 1529. Francisco Sfortiæ, intercedentibus pro eo pontifice & Cardinale Mercurino, resti-

Conditiones quibus dimissus est Gallus.

Vox Caroli.

Ducatus Mediolan.

restituit, vbi nouies centena millia coronatorum se persoluturum esse promisit. Hunc, mortuo sine hærede Francisco Sfortia, anno 1535. Gallus suo quodam iure sibi vindicare conatus est. Sed ab Antonio de Leua Cæsaris nomine occupatus & fortiter defensus est.

Galli Mediolanensem ditionem opulentissimã amplius viginti annis tenuerũt. Sed Franciscus Sfortia anno 1521. Gallos trãs Alpes profligauit. Extincto Sfortia Carolus Mediolanũ occupauit. Franciscus contra Carol.

Franciscus verò Gallorum rex à Carolo dimissus, contra eum fœdus nouum cum pontifice & Venetis icit. Vnde nouum etiam bellum est ortum, & de Mediolanensi ducatu fortuna varia dimicatum. Cum autem diuturnis bellis totus tandem esset exhaustus, & iam commeatu pariter, & stipendijs exercitus Cæsarianus deficeretur: consilium ceperunt duces, quo pacto subleuare egestatem suam possent, & neruos belli acquirere. Placuit primum Placentiam inuadere, quæ pontifici parebat, ex eiusq́; direptione prædam captare. Verum cum ita illa esset munita, vt capi facile non posset, mutarunt consilium, & relicto Mediolani Antonio de Leua; Burbonius dux, & Fronspergius exercitum ex

Germa-

Germanis & Hispanis comparatum, cui forte etiam Itali fuerunt admixti, in agrum Florentinum duxerunt. Cum autem Florentia potiri minus possent, recta via Romam contenderunt, potestatem transeundi in regnum Neapolitanum sibi dari petentes. Quod vbi pontifex recusauit, nihil hostile propter recentes cum Cæsare factas inducias metuens: hi postero die matutino tempore vrbem inuaserunt, & etiamsi Burbonius in oppugnatione ictus globo interijt, nihilominus priusquam expugnassent, non quieuerunt. Capta vrbe, cædibus, direptionibus, & omnis generis iniurijs in obuia quæque sæuitum est, & pontifex ipse cum Cardinalibus in Adriani mole, vel in S. Angeli castello obsessus, vnde non nisi post septimum mensem Cæsaris mandato liberatus est. Prædam ingentem inde reportassent Cæsariani, nisi partim morbo lethali fuissent extincti, partim ludo, quæ rapuerant, perdidissent, partim etiam in itinere Neapolitano suffocati essent. Hæc an. 1527. acta sunt, de quibus

Roma expugnata & capta a Cæsarianis.

graues

Plerique o-mnes arbi-trantur di-reptionem Romæ factã esse propter defectionẽ pontificis a Cæsare.

graues quidem querelas ad Cæsarem detulit pontifex Clemens VII. sed excusauit Cæsar, se neque sciente, neque comprobante ea esse facta. Itaq; pax anno 1529. inter Cæsarem & Papam facta est, & secuta coronatio Cæsaris Bononiæ, anno 30. mense Februario. Gallus verò anno 1528. duce Odetto Fuxio Lautrechio Neapolitanum regnum bello adortus, Neapolim obsedit, & duces Cæsarianos cepit, omnemq; maris vsum intercepit. Sed diuinitus ita repressus est, vt lue pestilente exercitus eius deletus sit. Itaq; pacem cum Carolo anno 1529. inijt.

Gallus Neapolitanum regnum inuadit.

Anno 1529. Solymannus à Ioanne de Zapolia, Transyluaniæ Vueiuuoda attractus venit in Vngariam, & redacta in deditionem Buda, Viennam 22. die Septemb. obsidet, tormentis oppugnat, iaculis muros traijcit, & ad eam euertendam omnes machinas adhibet. Exercitum habuit centum quadraginta, vel, vt alij scribunt, trecentorum millium. Vrbem verò strenuè defendebant præsi-

Viennæ obsidio.

præsidiarij milites Germani, duce Philippo Palatino principe. Durauit obsidio vsque ad Idus Octobr. quo tempore interiecto prædas maximas ex vicinis locis facit & accumulat, multa hominum millia abducit, matronas & virgines nudas proijcit, palis pueros affigit. Sed cum nauare & efficere in oppugnatione nihil posset: diffidens & desperans rebus suis, fugæ sese mandabat, amissis circiter octoginta millibus hominum, qui partim in oppugnatione, partim in fuga frigore & inedia interierunt.

Anno 1532. rediit cum ducentis armatorum millibus, & Vngariæ oppidulum Gunsium ter decies oppugnauit, defendente illud Nicolao Iurizio, fortissimo viro. Quod cum deditione tandem cepisset, ducem quendam Cosonum cum equitibus ad 15000. rapiendi ac prædandi caussa Lincium vsque emisit. Quæ res metum Germaniæ magnum incussit. Contra eum ducebat exercitum Carolus ex omni Germania, Italia, & Hispania comparatum ad ducenta millia

Turcicum bellum.

millia peditum, & triginta millia fere galeatorum equitum, Solymannum ad Viennam præstolaturus. At is cognito Cæsaris consilio, per Noricorum montana fugiens prædam ingentem deportauit. Metuit enim virtutem ac felicitatem Caroli: & verò Carolus nunquam cum eo decertauit prælio.

Anno Christi 1532. Monasterium VVestualiæ vrbs Euangelium amplectitur, cedentibus non absque indignatione pontificijs. At sequente anno veniunt eò anabaptistæ Ioannes Leidensis Holandus, Bernardus Cnipperdollingus & alij, quibus sese etiam aggregat Bernardus Rotmannus, qui Euangelium primus in ea vrbe prædicarat. Hi magistratum in sese transferunt; Ioannem Leidensem regem creant, templa euertunt, omnesq; à se dissentientes profligant, communionem rerum introducunt, πολυγαμίαν statuunt, & oppugnatis vicinis vrbibus regnum nouum parant, tum apostolos etiam ad diuulgandam suam doctrinam in toto terrarum

Monasteriense bellum.

orbe

orbe emittere in animo habent. Hanc nefariam sectam non quidem ex Euangelio natam, sed à Satana ipso excitatam refutant Lutherus & alij pij doctores. Sed furor adeo exardescit, vt non nisi vi poßit compesci. Itaq; obsidetur vrbs ab episcopo, & decernuntur ei ab ordinibus Rhenanæ prouinciæ auxilia, prius tamen mißis literis monentur fanatici ac furiosi homines, vt à proposito desistant, & sese dedant. Quod cum obtineri non posset, nocturno tempore, ducente quodam perfuga vrbs inuaditur & occupatur, nonnullis qui misericordiam implorant parcitur, factionis verò principes forcipibus candentibus in foro necantur, & caueis ferreis alligati de turri summa suspenduntur.

Anno 1535. in Africam cum exercitu traiecit Cæsar. Caussa expeditionis erat, quod Corradinus Barbarossa archipirata, claßis Turcicæ præfectus incursionibus suis mare vexabat, & in Africa regnum Tunetanum, eiecto rege, occuparat. Huius igitur ferociam Bellum Africanum.

compressurus Cæsar, & regem pulsum restituturus, classe ornata in Africam venit, vrbem Tunetam cum arce Goletta cepit, Muleassem eiectum regem Mahometanæ religioni addictum restituit, & vectigalem sibi fecit, Goletam verò sibi vendicauit, & Hispanico præsidio muniuit. Deinde anno 41. vt Solymannum ex Vngaria aliò auocaret, iterum

Algiera. *Algieram Africæ vrbem appulit, adducto secum exercitu vltra 22000. peditum, equitum verò supra mille, quem ex Hispanis, Germanis, & Italis comparârat. Tertio die post tempestate sæua obrutus est, claßisq́; ventorum flatibus continuis collisa, fracta & submersa. Quæ res consilium eius omne euertit. Itaq; aduersa omnia prospiciens, cum Deo in primis reconciliationem quæsiuit, sacra cœna vsus, & vt idem faceret exercitus imperauit. Cœpit quidem confligere cum Mauris & Turcis loco accliui & salebroso: Sed cum ventorum impetus nihil remitteret, de reditu in Europam cogitauit; malo, inquiens, vnum*

Chri-

Christianum seruare, quàm mille Turcos aut Pœnos trucidare. Cum itaq; partem bonam exercitus amisisset, & tormenta commeatusq; penè omnis interijsset, re infecta, in Hispaniam reuersus est.

Bellum Germanicum.

Anno 1546. bellum contra Protestantes, fœderis Schmalcaldici socios suscepit, caussa exequendi edicta in religionem Euangelicam duriora, quæ Pontificiorum impulsu proposuerat. Hanc enim executionem iam amplius 25. annis partim bellis impeditus, partim quod sperauerat, per congressus & colloquia controuersiam de religionis doctrina compositurum iri, distulerat. Huic tamen bello non religionis caussam, sed coercendi, & ad officium redigendi principes & fœderatas quasdam ciuitates cupiditatem prætexuit. De qua executione ita Melanchthon ait: Quod Carolus à moderatione discessit, & bellum Germanicum mouit, deploremus calamitatem huius vltimæ & deliræ senectæ mundi. Vrgebant enim fata Germaniam, de quibus toties prædixerat

Lutherus, cum ad Georgium principem Anhaltinum & alios dixit: Dum ego viuo, periculi non multum erit ab hostibus & bellis. Id enim precibus meis à Deo me impetraturum esse sat scio. Vbi verò mortuus fuero, vos precamini ipsi. Tunc enim opus erit precibus. Id quod re vtiq; experiemini. Etsi autem animum iam ante satis paratum ad id bellum habebat Cæsar, non parum tamen irritabatur, cum in conuentu Ratisponensi, quem hoc ipso anno indixerat, protestantium principum penè nemo adesset. Constituerat enim de componenda religionis controuersia, de constituendo imperiali iudicio, de repellendo Turca tractare. Quamobrem omissa alia cura omni, totus in bellum Germanicum incumbebat. Ad quod à pontifice mittebantur promissa peditum decem, vel, vt alij volunt octo millia, & quingenti equites. Ex regno autem Neapolitano sex millia Hispanorum veniebant. Maximilianus item comes Burenius adducebat quater mille equites,

Copiæ Cæsaris.

pedi-

pedites 10000. Adiutores eius erant archidux Austriæ Maximilianus, Manuel Philibertus Sabaudiæ dux, Ericus & Philippus Brunsuicensium duces, Ioannes Albertus Megalopyrgeus, & comites nonnulli. Contra Schmalcaldici fœderis socij erant, dux Elector Saxoniæ Ioannes Fridericus, Philippus Landgrauius Hassiæ, Ernestus & Iohannes Fridericus Saxoniæ duces, alijsq; principes, comites & belli duces, Recrodus, Reiffenbergerus. Cæsarem quoq; iuuabant quidam Augustanæ confeßionis principes, Albertus & Ioannes marchiones, persuasi non religionis, sed rebellionis caussa bellum geri. Copiæ protestantium erant circiter 80000. pedites, 10000. vel vt alij volunt, 15000. equites, tormenta centum omnis generis. Promiserat etiã pontifex Cæsari ad id bellum, præter decem millia peditum, & quingentos equites in menses sex, ducenta millia coronatorum, qui iam tum Venetijs erant depositi. Quinquies præterea centena millia florinorum ex monasterijs capere Cæsar debebat.

Socij fœderis Schmalcaldici.

Proſcriptio. *Diſpoſitis ad hunc modum & inſtructis ad bellum rebus omnibus, Cæſar Saxonem & Landgrauium proſcribit, die Iulij 20. Hi contra bellum ei denunciant, Auguſti die vndecimo. Proſcriptionis formulam Cæſar ad Mauricium Saxonem mittit, ipſe exercitum ducit Ingolſtadium, quo etiam cum copijs ſuis veniunt Proteſtantes, quorum caſtra longiſſimo ſpatio extenta cum videret Carolus, ſuntné iſti omnes Germani? quærebat. Mox, bene eſt, inquit, cito eis deerit conſilium & pecunia. Euocarat tunc ex vrbe Carolus Apianum mathematicum in caſtra, vt in machina Aſtronomica planetarum motus proprios ab eo certius cognoſceret. Ibi cum ex hoſtium caſtris globi magno agmine emiſſi circumuolitarent, trepidauit Apianus, inclinato identidem capite, globos euitare ſtudens. Carolus verò abſq; omni timoris ſignificatione immotus perſtitit. Hic leuioribus quidem prælijs concurſum eſt aliquoties, ſed nihil effectum memorabile.*

Cæſar in caſtris inter globos hoſtiles ab Apiano diſcit.

Etſi autem in periculo magno verſabatur

ſabatur, Caroli exercitus, ob eamq; cauſſam à Ioanne Alberto Megalopyrgenſium duce rogabatur Cæſar, vt ne tot equites hoſtium ictibus obijceret: obtineri tamen ab eo non potuit, vt cum hoſte cominus pugnare ſuos pateretur: partim quod imparem ſe eſſe hoſtium multitudini cernebat: partim ne faſces ſui imperij, qui pendere à fortuna illius diei videbantur, in diſcrimen adduceret. Itaque conflictibus maioribus omiſsis, foſsis, & vallo ſua caſtra muniuit, donec copiæ maiores aduenirent.

Tandem appetente hyeme de pace quidem actum eſt, ſed ob conditiones duriores à Cæſare propoſitas, re infecta diſceſſum. Redeunt igitur ad ſua Proteſtantes, Carolus verò diſcedentes lento gradu inſequitur.

Renunciarat ante ſuſceptum bellum Ioannes Fridericus VIIvir imperatori tutelæ ius, quam inueſtituram feudi vocant, ſcripto. Itaque in mandatis dedit Cæſar Mauritio Saxoni, agnato proximo, vt iure agnationis prouinciam ſibi

vendicaret. Idq́ nisi faceret, minatus est, se alij potestatem occupandi esse daturum. Mauricius verò, quanquam Cæsaris mandato parere in animo habet, properandum tamen minus censet. Interim Ferdinandus rex per Vngaros & Boiemos præsidium, quod in Sudetis montibus Septemuir collocârat, non procul ab Adorfo fundit, & agrum Septemuiralem cædibus, incendijsq́, quantis potest maximis, vastat. Hac repentina vi ac tempestate perculsi & territi locorum quorundam municipes ad Mauricium legatos mittunt, seq́ in fidem & clientelam illius conferunt, defendi se à calamitate impendente suppliciter petentes. Hic aduocato prouincialium concilio de re cum ijs deliberat Mauricius, ad se confugientes in fidem recipit, & Ioanni Friderico Saxoni indicat, quicquid facturus sit, id Cæsaris mandato se facere, atq́ adeo satius esse à se id fieri, quàm à peregrino, tum facilius etiam, pace aliquando facta, illum recuperare sua posse, si modo impensas in tutelam,

&

& protectionem factis restituat, Mox in Mysnia & Zuiccaniam, Schnebergam, Alteburgum occupat. Elector verò Ioannes Fridericus hanc velut iniuriam vlturus, Lipsiam obsidet in Ianuario, anno 1547. & grauiter oppugnat, tormentorũ vi & multitudine diuerberat laceratq;, Albertum marchionem Mauritij socium & adiutorem Rochlicij capit, & Mysnam in fidem accipit. Cæsar Norlinga Norimbergam, inde Egram venit in paschate, vbi Mauritius & Augustus Saxoniæ duces, suas copias cum illo coniungunt. Obuiam quoq; it appropinquanti Cæsari Ioachimus Brandepurgi elector cũ 400. equitibus, quib. filiũ suũ Ioannẽ Georgium præfecerat. Inde digressus Cæsar Saxoniæ fines attingit. Saxo appropinquante Cæsaris aduentu, Albim transgressus pontem sublitiũ, qui Mysnæ est, incendit, ne exercitum suũ traducere Cæsar poßit. Ipse verò VViteberga͂ contendit. In itinere ad Mulpergam prope Albim considet, flumenq; ratib' iungit. Sed appropinquante Cæsaris aduentu iniectis flammis eas incendit,

Mauritius Saxo occupat in Mysnia quædam oppida.

cendit. *Hispanorum in aduersa ripa insequentium vnus & alter, vt flammas restinguant & rates seruent, Albim tranant. Nec multo post inuento vado ad Mulpergam, per quod rusticus quidam equos suos duxerat, transeunt. Fugerat iam Saxo cum suis fermè tribus milliaribus ad Lochanam syluam, vbi assecuti eum Hispani adoriuntur; dispersum militem partim cedentes, partim capientes. Ipse verò Saxo in pugna vulneratus per sinistram maxillam, quamuis circumfusus vndiq; hostibus, nulli tamen neque Hispanorum, neque Hussarorum sese dedere vult, nisi Germano nobili Tiloni à Trota. Captus non statim ad Cæsarem, sed ad Albanum ducem prius ducitur, vbi voce miserabili, oculis in cælum sublatis, ex animo Deum compellat, his verbis: Miserere mei Deus, nos sumus iam hîc. Ad Cæsarem verò adductus, clementissime Cæsar, inquit, statuo me tibi captiuum, supplex orans, vt Cæsarea maiestas tua mihi custodiam principe dignam tribuat. Cui respondet*

Saxo captus.

is, tractaberis pro tuo merito. Scio quid quid me deceat, statim Albano traditur in custodiam. Facta est hæc clades anno 1547. die Dominica, quæ vocatur Misericordias Domini. Prænunciarat hunc tristem euentum Sol, qui diebus aliquot ante conflictum totus sanguinolentus fuerat conspectus.

Cæsar verò pergit, & VVitebergam obsidet V. Maij, positis in pago vicino castris, vbi capitis etiam condemnat Saxonem. Is verò nihil hac tristi sententia territus, id solum respondit, non se putare Cæsarem tam duriter secum acturum esse: veruntamen si aliter fieri non poßit, petere se, vt ante dies mortis significetur, quo cum coniuge & filijs suis quæ velit, transigere queat. Hîc intercedit pro eo Elector Brandeburgicus ad moderationem & clementiam exhortans Cæsarem, idq; impetrat, vt cum à religione abduci Saxo non poßit, Electoratu tamen cum filijs suis sese abdicet. Non multo post VVitteberga etiam iussu captiui Ioannis Friderici

derici sese tradit Cæsari, qui educto Saxonico præsidio, suorum militũ cohortes tres intromittit. Ipse verò ingressus cum paucis comitibus, simul ac perlustrauit, in castra redit, ac Halam cum exercitu transit, vbi Landgrauius Hassiæ, intercedentibus pro eo Mauritio Saxone, & Ioachimo Brandepurgico, supplex Cæsari fit, & præter opinionem ac spem captiuus detinetur. Erant enim certæ conditiones ei latæ, inter quas etiã illa erat, ne vita ei eriperetur, neq; carceris condemnaretur. Quod ipse cum suis de nullo, Cæsariani verò de perpetuo carcere intelligebant. Mauritio autẽ dignitas Electoralis ac ditio traditur, sequente verò anno Augustæ publico & solenni ritu confirmatur. Iccirco ciues VVitebergenses fidem ei dant, & obedientiã siue homagium iureiurando firmant. Victor Cæsar Augustam contendit: in itinere multas frequentes ciuitatibus imperij indicit, & ad viginti septẽ tonnas auri ex Germania conquirit. Tanti redimere pacẽ ciuitates coactæ sunt. Tormẽta insuper bellica 450. captis erepta, in suas prouincias distribuit.

Landgrauius captus.

Ciuitates mulctantur.

Augu-

Augustæ comitia celebrat, sed armata magis, quàm togata, anno 1548. postulatq; in primis, vt ordires cuncti concilio Tridentino sese subijciant. Euangelicam religionem ibi abolet, & pontificiam quasi postliminij iure restituit. Comitia Augustana.

Etsi autem pleriq; opinabantur victis & debilitatis Euangelicis principibus ac fœderatis ciuitatibus, actum esse de Ecclesia reformata: tamen Deus in ipsa clade defendit verbum suum, & euentum belli, qui officere videbatur Ecclesiæ Christi, sic moderatus est, vt fieret ad augendum cœtum Euangelicorum occasio. Quemadmodum olim quoq; capta fœderis arca à Philistæis, Deus gloriam suam illustribus miraculis vindicauit, quin in ipso cursu victoriæ, quæ sua natura est insolens, cum iam in potestatem suam Cæsar redegisset VVitebergam, nihil asperè, nihilq; inclementer molitus est, contra quam pleriq; existimarant, qui VVitebergam omnium hæresium sentinam nominabant. Cum autem captiuos principes, Landgrauium præsertim Clades Euangelicorũ ad illustrandum Euangelicum occasio.

tim, diutius detineret Cæsar, quàm tulerat Mauritij & Brandepurgici opinio: vxor Landgrauij apud Mariam Cæsaris sororem, & principes, hi verò apud Cæsarem pro eo deprecabantur, sed frustra, perseuerante in sua sententia Cæsare; vt in perpetua custodia maneret. Maximilianum quoque Ferdinandi filium, & Philippum Caroli natum rogabat Mauritius, vt pro Landgrauio intercederent. Anno 1550. Landgrauius ipse diuturnæ custodiæ pertæsus viam elabendi per ministros suos quæsiuit Mechlinij. Sed patefacta re in ministros animaduersum est, ipse verò accuratius custoditus. Tandem cum neque Mauritij, neque Brandepurgici precibus, neque Daniæ regis intercessione quicquam obtineri posset: arma induit Mauritius, & anno 1552. Oeniponte excubantem pro concilio Tridentino Cæsarem adoritur. Is verò non expectato Mauritij inopinato aduentu, Oenipontem deserit. Ita vterq; princeps post quinquennij captiuitatem liberatur, Io-

Mauritius preces in arma vertit.

Liberatio Saxonis & Landgrauij

annes

annes quidem Fridericus 19. Maij: Landgrauius verò IV. die Septemb. Icerant in hoc bello Germanico etiã Boiemi fœdus cum Ioanne Friderico Saxone. Itaq; victo eo grauiter in illos animaduertitur. Boiemi.

Anno 1550. Octobris die 4. iussu Caroli obsessa est Magdeburga à Mauritio Saxone, & Ioachimo Brandepurgico, Henrico Brunsuicensi, Alberto Brandepurgensi. Caussæ obsidionis erant duæ, quæ publico scripto declarabantur, vna, quod à Canonicis grauiter apud Cæsarem accusata erat de vi, rapinis, & iniurijs atrocibus: quæ tamen crimina sic ab ea refutabantur, vt quicquid in eo genere fecisset, id caussa tuendæ libertatis ab Othone magno concessæ, factum esse diceret. Altera, quod parere Cæsaris edicto de recipienda religionis formula recusabat. Iccirco proscribebat eam Carolus anno 47. mense Iulio, & iterum anno 1549. nouo edicto prædæ, direptioni, & iniuriæ omnibus obijciebat, vicinos principes atque ordines ad bellum

Magdeburgicum bellum.

bellum quoquo modo illi inferendum hortans. Comparat id temporis exercitum Georgius Megalpurgicus dux ad recuperandum arces atque pagos Canonicorum, quos Magdeburgenses occuparant. Hunc ergo in agrum Magdeburgicum ducebat, & quæcunque poterat, populabatur. Exijt contra eum ciuium & militum manus: sed congressa infeliciter, in fugam versa est, & mille ducenti perierunt. Qua tamen clade nihil conterriti Magdeburgenses, edito scripto testati sunt, agnoscere se explorandæ fidei & constantiæ caussa hoc quicquid esset incommodi, sibi euenisse, ac paratos esse etiam mortem oppetere potius, quàm mutationem vllam in religione admittere. Promiserunt insuper reddituros sese arces, oppida, pagos, quos occuparant, modo vt tutam tranquillamque pacem habere possent.

Initio obsidionis factis inducijs de pace actum est, sed frustra. Deinde Canonici missis ad Cæsarem legatis, querelas graues de senatu & ciuibus habue-

buerunt, peditumq́ octo millia cum mille ducentis equitibus imperij sumtibus sibi mitti subsidio petiuerunt. Cæsar ex imperij fisco sedecim millia florinorum in menses singulos ad bellum Magdeburgicum decreuit, & conferri insuper centies mille iam tum insumtos iussit. Mauricio verò Saxoni administrationem belli commendauit, cui adiunctus est imperij nomine Lazarus Suendius. In vrbe obsessa erant Albertus comes Mansfeldiacus, Ioannes Coloniensis legatus supremus, & alij milites præclari vsuq́ periti: Orator consiliariusq́ præcipuus D. Leuinus Emdius, cuius fides, industria, & prudentia maximè eminuit. Pedites obsidione soluta numerati sunt bis mille, equites verò 130. Nono decembris eruptione facta, stragem hostium magnam ediderunt Magdeburgenses, multos nobiles, & inter hos etiam Georgium Megalpurgicum captum in vrbem duxerunt. Dux Megalpurgicus capitur.

Etsi autem hostes vrbem circumuallarant, nihilominus tamen ciues ac milites nauigijs Albim peruagabantur,

Ii quieı

quicquid commeatus obueniebat, intercipientes, tum pecora etiam sua extra vrbem pascebant. Prælia verò leuia seu velitationes plurimæ sunt commissæ, & vno die 416. globi, alio 320. rursum alio 356. in vnam turrim S. Iacobi ab hoste coniecti sunt, donec tandem conciderit. Actum est de pace sæpius, sed conditiones propositæ nimis duræ visæ sunt semper Magdeburgensibus. Inciderunt, vt fit in diuturna obsidione, varia, tumultus militum, stipendia nimis rigidè exigentium, penuria commeatus, vt de eijcienda inermi turba consilium capere necesse fuerit, inopia pecuniæ, quæ ciues argentum suum commodare coegit, & monetam tandem æneam cudere. Non defuerunt etiam proditionis consilia. Sed ex his tamen difficultatibus cunctis emerserunt tandem, & anno 1551. mense Octobri VVitebergæ Conditiones pacis. *transactis partibis initio nouembris pax consecuta est, his conditionibis, vt Magdeburgenses veniam à Cæsare supplices peterent, nihil hostile in familiam Bur-*

gundiacam & Austriacam molirentur, iudicio imperiali sese subijcerent, decretis Augustani conuentus proximi starent, iuri sese sisterent à quocunq; conuenti, munitiones de Cæsaris iudicio demolirentur, Cæsari vrbem quocunq; tempore aperirent, eius præsidium reciperent, aureorum millia quinquaginta fisco dependerent, duodecim tormenta maxima ei traderent, ducem Megalpurgicum impunè dimitterent. His pactis vtrinq; confirmatis, adhibitaq; de libertate ac religione cautione, Mauricius Elector Saxoniæ, cum cohortibus 12. & duabus equitum turmis vrbem ingressus, in fidem imperij & suam ciues adigit. Quo facto milites egressi in castra redierunt, relicto tantum præsidio.

Ita confectum est bellum Magdeburgicum, celebre illud inprimis, & posteritatis memoria dignum, quod nulla in Cæsarem contumacia, sed vera potius in Deum pietate, & in religionem amore atq; constantia susceptum est, industria & fortitudine eximia gestum, Finis belli.

& diuina deniq; felicitate finitum. Excusauit autem sese Mauritius coram, soluta obsidione, non se Euangelij aut doctrinæ caussa oppugnasse hanc vrbem, sed vt officium Cæsari debitum persolueret. Id quod euentus etiam comprobauit, qui secutus est.

Bella gessit Carolus multa & difficilia, sed quæ ipsi profuerint, non imperio. In Africana expeditione priore rem & gloriam adeptus est, sed in altera detrimentum magnum accepit, Gallum cepit, Pontificem in potestatem suam redegit, sed vtriq; pepercit. Potuisset forte etiam Solymannum in Viennæ obsidione superare, si maturè eum adortus esset.

Imperium verò eo imperante multa amisit. Borussia, quæ ducalis hodie vocatur, seu, quæ duci paret, anno 1525. in Polonorum, Liuonia in eorundem potestatem peruenit, bona magnaq; pars Vngariæ à Turcis erepta est, Metis ab imperio ad Gallos translata. Maiora haud dubie effecisset, nisi à

ponti-

pontificijs odio religionis reformatæ ardentibus, incitari ſeſe & armari aduerſus Euangelium profitentes paſſus eſſet, lataſq; de religione leges nouas ſeuerius exequi cœpiſſet. Compertum eſt victoriam de Ioanne Friderico Saxone omnis felicitatis illius finem ac quaſi terminum fuiſſe. Nec poſt oppugnationem Magdeburgicam vllum fortunæ proſperum flatum expertus eſt. Statim enim ſecuta eſt infelix obſidio vrbis Metenſis, & recuperandi conatus irritus, tum fuga ex vrbe Oeniponte propter bellum à Mauritio Electore illatum. Quare fractus & debilitatus tot laboribus, contentionibus, & rerum difficultatibus, tanquam exiturus è mundo & Deo vacaturus in Hiſpaniam nauigauit, anno Christi 1556. Imperij verò gubernationem omnem fratri Ferdinando regi, anno 1558. commendauit, nec multo poſt in monaſterio ordinis S. Hieronymi ad S. Iudocum vitam finiuit, annos natus 59. Ante exitium è vita recitauit [illegible] in ſumtione cœnæ S.

 In

In me manes dulcißime Seruator: ego in te maneam.

Apophthegmata Caroli.

Apophthegmata eius multa recensentur. Cum imperij gubernationem depositurus esset, admonebatur, vt maiestatem Imperatoriam retineret ad mortem vsque, & si præesse imperio ipse minus posset, per consiliarios illud administraret. Sed respondit grauiter: Scio quàm difficile mihi fuerit imperare, quantò difficilius futurum est consiliarijs? Itaq; ne titulum quidem Imperatoris vsurpare amplius voluit. Solicitum eum habuit ecclesiæ status. Itaque pro concordia eius sæpe vota fecit, & hanc vocem repetiuit: In manus tuas, Domine, tradidi ecclesiam tuam. Errores suos lacrymis multis deplorabat, & dolere sibi aiebat, ex tot annis, quibus vixisset, non vnum diem sese Deo, ita vt par est, seruijsse. Anno 1540. Parisijs exceptus est oratione, qua laudes ipsius copiosè, ornateq; commemorabantur. Ad quam nihil aliud respondit, nisi hoc: Gratam sibi esse beneuolentiam

regis & affinis erga se: laudes verò eò sibi videri pertinere, vt talis esse studeat, qualem oratio prædicârit. Cum duces ipsius dicerent, non vti illum victorijs suis ad nominis sui celebrationem, & potentiæ amplificationem, quemadmodum olim fecerat Alexander Magnus, & Iulius Cæsar: respondit, inter Alexandrum, Iulium, & me, hoc interest: illi retulerunt sua bella ad eum finem, vt honorem & gloriam consequerentur, mihi verò præter honorem etiam animæ salus proposita est.

Cum molestè ferrent Hispani, Germanos ad aulica munera adhiberi, vrgerentq; aliquando vt dimitterentur illi, conuocauit Germanos Cæsar, & quid petijssent Hispani, commemorauit: Ego, inquiens, etiam Germanus sum, venite, discedamus ex aula, ne amplius molesti simus Hispanis. Abit, sequuntur lætis animis Germani, quo viso Hispani territi ad pedes illius sese abiecerunt, vt maneret omnibus precibus contendentes. Lectione Thucididis in Galli- Cæsar abit ex aula cum Germanis.

cam linguam conuersi magnopere delectatus est. Bernardi etiam scripta in manibus habuit, ex quibus succum aliquem iustificantis fidei haurire potuit. Certè in precibus Deo adhibendis sedulus in primis fuit & ardens. Nec aliud initiũ suarum actionum fecit, quàm à precatione. Frugaliter vixit, nec audire, alloqui, aut supplicem libellũ exhibere volentem vllum repulit. In fuga ex Oenipente dixit audiente Lazaro Suendio, se bene quidem cupijsse Germaniæ, sed à neutra parte gratiam inijsse, pontificijs enim si satisfacere voluisset, vitam eripi Saxoni captiuo, & munitiones omnes in Germania destrui necesse fuisse. Impreßit monetæ hoc elogium: plus vltra, quo significauit, nouas insulas, quas Pecu vocant, à se occupatas, Contrarium fuit, Herculis elogio: non non plus vltra.

Ferdinand. Anno 1558. Ferdinandus Austriæ Archidux, Vngariæ & Boiemiæ rex, Caroli V. frater, natus Modinæ in regno Castiliæ, Romanorum Imperator creatus est Francofurti, & imperauit annis fermè septem. Electus erat Roma-

norũ rex anno 1531. Coloniæ, reclamãte siue protestante Electore Saxoniæ, quod contra aureã bullã esset, imperium ad exterum transferre. Nihilominus is Aquisgrani inauguratus est. Et postea anno 34 Cadami in Boiemia controuersia omnis sublata. Confirmationẽ à pontifice non potuit impetrare, censuit enim is legitimum imperatorẽ ab hæreticis electorib. eligi nõ posse. Molestè etiã tulit eum primũ esse imperatorẽ, qui Turcis tributũ ꝑ regno Vngariæ pensitaret. An. 1526. mortuo Ludouico rex Vngariæ, & dominus Silesiæ factus est, contra procerum nonnullorum conatum, qui Ioannem de Zapolia, Transyluaniæ Vueiuuodam præferebant, & regẽ salutabant. Is vt regnum obtinere posset, Turci tutelæ atq; præsidio sese cõmendauit. Anno eodem etiam Boiemiæ rex declaratus est. Regna hæc atq; adeo imperiũ ipsum æquitate, clementia, moderatione & consilio in pace commoda & tranquilla gubernauit. Extant exempla insignia moderationis eius, quæ imperio plurimum profuerunt. Acceperat ducatũ

Moderatio.

VVirtebergensem à Sueuico fœdere donatum, & accesserat etiam Caroli Imperatoris confirmatio anno 30. in comitijs Augustanis, quibus solenni ritu feuda ei concessa sunt, & tamen cum dux Vlricus exul, & Philippus Landgrauius, ducatũ illum armis occupassent, intercedentibus Saxoniæ ducibus, de iure suo concessit, & vtile dominium Vlrico tribuit, sibi verò directum retinuit. Fidem semel datam sanctissimè seruandam censuit. Cum aliquando miles veteranus exigeret nescio quid sibi promissum, quamuis recusari posse videretur, tamen quia promissum erat, respondit: Si ex duobus alterum me ferre oportet, leuius rerum, quàm famæ iacturam subibo. Hoc regnante Passauiensis transactio obtenta est, anno 1552. in qua pax profitentibus Augustanam confeßionem conceditur. Hæc transactio concilium Tridentinum dissipauit, pacem in religione constituit, captiuis principibus libertatem reddidit, & libro Interim finẽ attulit. Hanc anno 1555. secutum est decretum pernobile.

Pax religioni data.

nobile, ne principi, comiti, aut ciuitati imperiali vlli bellum inferatur, aut quocunq; modo vis adhibeatur, aut noceatur, doctrinæ religionis caussa. Quod anno 1559. Augustæ in conuentu imperij renouatum & confirmatum est, cum exequiæ funeris Carolo V. factæ sunt, tanta magnificentia, quanta ante illud tempus in Germania nulli contigit. Latini sermonis fuit in primis peritus, & libenter eo vsus est, historias cognouit auidè, officia Cic. diligenter legit, eruditos amauit, fouit, & ad colloquia sua crebro adhibuit. Mitis, affabilis, temperans per omnem vitam fuit. Anno 1564. ex tabe catharrosa mortuus est, cum annos vixisset 61. menses quatuor. Accepit paulò ante mortem diploma pontificium de potestate vtriusque speciei in sacra cœna laicis exhibendæ, quod Pius IIII. ad archiepiscopum Salispurgensem anno 64. miserunt. Hoc vehementer lætatus est, & gratias Deo egit, quod id tandem impetrasset, quod multis votis & supplicibus

Exequiæ Caroli.

Eruditio.

Potestas vtriusque speciei in cœna S.

bus literis Austriacæ regionis populi flagitarant, ipse verò ad concilium Tridentinum, concilium ad pontificem reiecerat. Iudicauit enim beneficium amplißimum sibi tributum esse à pontifice, cum tot precibus rogatus, certis tamen conditionib⁹ id tandē conceßisset, quod Christus disertè & seriò singulis suis Christianis mandat.

Redditus est huic Cæsari aliquando literarum supplicum fasciculus in venatione, quem is magistro venationum tradidit, vt summam inde collectam consignaret. Magister verò respondit, se id nescire. Ergò, Inquit Cæsar, sinite me alere scribas, qui possunt.

Maximilianus II.

Anno Christi 1564. Maximilianus II. Ferdinandi filius Romanorum Imperator factus est, & imperauit annis 12. Renunciatus erat Romanorum rex anno 62. Boiemiæ eodem, Vngariæ 63.

Pacis amās.

Hic patris sui exemplo ab armis abstinuit, quoad pacem colere licuit: Erat satis iam, vel plus quàm satis conuulsum, fractum, debilitatumq́ imperium bellis. Iccirco quiete ei opus erat ad colli-

colligendum sese, & à diuturna contentione respirandum. Ad hanc igitur restituendam & augendam omnia sua consilia & conatus in sua gubernatione direxit. Ex virtutibus eius multis & magnis, eminet inprimis pietas aduersus Deum, quàm precibus assiduis & ardentibus ad eum conceptis abundè declarauit. Deinde fiducia in Deo fixa & locata, quam symbolo suo, quod in ore & animo habuit, exprimere studuit, DOMINVS PROVIDEBIT. Deinde æquitas animi atq; iudicij de religione, quam cum distractam & laceratam tot opinionibus & sectis videret, ex animo quidem dolebat; sed æquum tamen sese his, qui Euangelium profitebantur, præbebat, nec cursum eius vllo edicto duro retardabat. Audita est eius præclara ad Olomucensem antistitem Guilelmum vox hæc: nullum peccatum grauius esse, quàm conscientijs velle dominari. Addidit etiam hoc, qui in conscientias sibi imperium sumunt, eos cæli arcem inuadere. Quod

Pietas.

Symbolum.

Aequitas.

Dicta de religione.

rex etiam Nauarræ Henricus confirmasse fertur: religionis Christianæ præceptis paßim traditum esse, inquiens; vim conscientijs non esse faciendam. Itaq; pacificationem Passauiensem, non minori studio & cura, quàm Pater Ferdinandus adiuuit, tutatus est, & custodiuit, cum Austriacæ etiam nobilitati confeßionis Augustanæ doctrinam anno 68. permisit.

Clementia & placabilitas. Pari æquitate & moderatione etiam in politica gubernatione vsus est, libenter omnes audiuit, nec è conspectu & colloquio tristem quenquam dimisit. Nihil tam obliuisci solitus est, quàm iniurias. Cuius rei documenta cum alia multa, tum in Ioanne Vueiuuoda Transyluaniæ dedit. Is enim cum per vim & fraudem Vngariæ regnum in se transmouere conaretur, & Turcam in Vngariam attraheret: non solum ignouit illi Maximilianus, sed ornare etiam & augere commodis & honoribus studuit. Assentationes odit, calumnias detestatus est, apertam verò veritatis

faciem

faciem osculatus est. Luxam & insolentiam omnem declinauit, nec vnam quidem gemmam ad ornandum corpus suum vnquam emit. In mensa amplius vna hora nunquam ferè assedit.

Bellum vnum gessit in Vngaria anno 1566. aduersus Solymannum, in quo Sigetum amisit & Iulam. Ac erat quidem exercitus de Germanis, Vngaris, Italis, & alijs nationibus satis numerosus Turcicis copijs ingentibus oppositus, nec desiderabatur in Maximiliano imperatore belli studium, industria, vigilantiaq; in oppugnando hoste: verum irritus fuit eius conatus omnis, partim fatis vrgentibus Vngariam, partim tardius accedente pedestri milite atque copijs, quæ è Germania expectabantur. Tarda enim auxilia, inutilia. Hanc fatalem pœnam agnoscere nos conuenit, & deplorare etiam nostram ignauiam, & tarditatem in propulsando communi periculo à ceruicibus nostris. Bellum Vngaricum.

Alte-

...tum Gothanum. *Alterum bellum, sed intestinum hoc Imperatore gestum est, quo Gotha vrbs Turingiæ, & contigua arx Grimenstein commissarijs imperij, & Augusto Electori Saxoniæ per detitionem tradita est, anno 67, tum supplicium à Grumbachio, & reliquis ab imperio proscriptis sumtum est. Receptator verò Ioannes Fridericus Saxoniæ dux captus, & arx solo æquata est. Constitit id bellum tonnis auri nouem, florinis 630. demolitio verò castri florinis 55549.*

Coluit & amauit Maximilianus Saxoniæ Electorem Augustum, & ab eo vicissim suauissimè, diligentissimeq; cultus & obseruatus est. Liberi. *Liberos ex vna coniuge Augusta Caroli V. patrui filiâ suscepit 16. de quibus 10. superstites sunt. Hæc Cæsaris filia, Cæsaris nurus & Cæsaris coniunx, Cæsaris deniq; mater est. Ex cordis palpitatione supra 20. annos laborauit, & dolorum species fere tot, quod imperij sui dies sensit.* Mors. *Quibus tandem etiam anno ætatis 50. Christi verò 76. Ratisbonæ in comitijs,*

in-

in ipso die Maximiliani extinctus est. Cadauere dissecto, in cauitatibus pectoris inuentæ sunt plus quam duæ mensuræ humoris aquei. Moriens verò fidei in Christum documenta dedit, cum ab episcopo Neostadiano ad extremum interrogatus, an in fide Christi vellet mori, respondit: non aliter.

Compertum est hoc Imperatore, anno 72. in cœlo ipso etiam aliquid posse nasci & mori, dum stella noua in Cassiopeæ asterismo diutius anno constitit immota, & tandem attenuata sensim euanuit. Stella prodigiosa.

Anno 1576. Rudolphus II. Maximiliani II. filius Austriæ dux Romanorum Imperator designatus est, in conuentu Ratisbonensi, antea rex Vngariæ factus anno 72. Boiemiæ verò & Romanorum 75. Hic, vt tutam tranquillámq; pacem habeamus, operam dat. Rudolph. II. decimus a Rudolpho I.

Multa iam hoc Imperatore memorabilia in politicis, & ecclesiasticis acciderunt. Anno 1580. Aquisgrani Euangelium prædicari cœptum est, con-

fluentibus eò compluribus ex Belgio, propter Hispanicæ inquisitionis & tyrannidis asperitatem. Sed cum neq; Euangelium ferre Catholici possent, neq; ad honores admittere vllum, qui illud profiteretur, vellent: motus diuturni & varij extiterunt. Quos cum Cæsar comprimere consilio & prudentia conaretur, sæpius literis, sæpius etiam legatis eò missis, rempublicam in antiquum statum restituere studuit. At ignis est Euangelium, qui, vbi semel exarsit, non ita facilè extinguitur. Euangelici multis vexati contumelijs, plurimis iactati iniurijs opem principum Augustanæ Confessionis implorarunt. Hi Cæsarem literis & legationibus solicitarunt, vt ne vim afferri profitentibus Euangelium secundum Augustanam Confessionem pateretur. Sed obtineri libertas prædicandi Eangelium nulla potuit. Itaq; ne nunc quidem libera illic est in templis publicis illius professio.

Anno 1582. Comitia Augustæ habuit Rudolphus, quibus vt pecuniam

darent; & contribuerent principes & ciuitates imperij ad alendum præsidium militare in arcibus limitaneis aduersus Turcas in Vngaria, decretum est.

Eodem anno Coloniæ ciuium pars ferme tertia liberum Euangelij præconium à Senatu petijt Quos cum is ad archepiscopum remitteret, facile ab eo, vt in tribus templis Euangelium secundum Augustanam Confeßionem publicè doceretur, impetratum est. Senatus, cui præter opinionem & voluntatem illud acciderat, ad Imperatorem & Capitulum rem referendam esse censuit. Interim archiepiscopus Gebhardus Truchsesius declarationem voluntatis suæ edidit, in qua vtriusq; religionis pontificiæ & Euangelicæ secundum Augustanam Confeßionem, & pacem religioni datam in imperio conceßit. Ipse verò cælibatu impuro & impio relicto, coniugij fœdus religiosum, & à Deo cunctis mortalibus, qui donum con- Coloniensis mutatio.

tinentiæ non habent, præceptum, cum Agnete, Ioannis Georgij comitis Mansfeldiæ filia, pepigit. Vtrumq; cum pontificiæ ecclesiæ decretis contrarium esset, acerrimè à Capitulo & Pontificijs impugnatum est. Archiepiscopus in caussa pia præsidium ab Augustanæ confeßionis principibus petiuit. Hi operam multam & vtilem illi præbuerunt, ac per literas, & legatos Capitulum monuerunt, ne quid per vim moliretur, néue innocentem damnaret, aut in exilium eijceret. Cæsar verò per suos legatos archiepiscopum hortabatur, vt vel religionem pontificiam retineret, vel bonis ecclesiasticis cederet. Tum pontifex etiam literis, & legato, Andrea Cardinali Austriaco, Ferdinandi & Philippinæ filio misso eundem tanquam emortuum membrum ab ecclesia recidit, & de eligendo alio archiepiscopo mandatum dedit. Etsi autem interceditur variè: tamen hortatu etiam Cæsaris alius præsul Ernestus Bauariæ dux eligitur.

Truch-

Truchsesius ergo dignitate & potestate Septemuirali exutus, vim vi repellere conatur. Venit ei subsidio Ioannes Casimirus Palatini comes. Bauarus verò Hispanicum aduocat præsidium. Postquam aliquandiu belligeratum est, & ab vtraque parte aliqua capta & amissa, Palatinus, mortuo fratre Electore, domum reuocatur ad suscipiendam tutorio nomine curam Palatinatus Electoralis. Truchsesius verò adiutus à fratre & alijs nonnullis tueri sua, quanta potest contentione, enititur. Inde infusis in Germaniam Hispanicis copijs, maximæ molestiæ, & turbulentæ tempestates extiterunt, quæ ad hoc vsq; tempus diœcesin, & vicina loca vexant & affligunt.

Anno 1584. Rotenpurgi ad Tuberum legati Imperatoris, principum Electorum, & ducis VVirtembergici conuenêre, vbi in primis de pace in ecclesia & repub. conseruanda, tum de componendo Coloniensi dissidio, & Calendario Gregoriano diu multumq; tractatum est. Conuentus Rotenburg.

Augusta Vindelicorum.

Eodem anno Augustæ Vindelicorum intestina quædam dissensio rempublicam concutere cœpit, inde orta, quod senatus Euangelicis Calendarium pontificium obtrusit. Id enim amplecti recusantibus ecclesiæ ministris docendi munus abrogauit. Sed est sedata & compressa omnis dissensio senatus, ducisq; VVirtembergici, ac Senatus Vlmensis legatorum industria & diligentia, sic, vt Calendarium nouum in vtriusq; religionis ecclesia, & vniuersa repub. absq; vlla ab imminutione doctrinæ ac rituum vsitatorum vsurparetur. Postea verò senatus etiam ius vocandi ministros Euangelicos sibi vendicauit, quod antea penes seniores siue præfectos ecclesiæ fuerat. Idq; authoritate etiam Imperatoris obtinuit. Quod cum probare ministri ecclesiæ nollent, ante solis ortum ex vrbe discedere coacti sunt. Senatus verò alios aliunde in loca vacua ministerij Ecclesiastici vocauit. Quos cum populus audire diu recusaret, conducto militari præsidio, in officio retentus est.

Anno

Anno 1585. Rudolphus Imperator cum alijs quibusdam pontificiæ religionis principibus per legationem illustrem Hispaniarum regis in ordinem aurei velleris cooptatus est. Aureum vellus.

Anno 1586. VVurcepurgi episcopus Julius libertatem professionis Euangelicæ secundum Augustanam confessionem suis subditis omnem ademit. Inde multi in exilium ire, venditis bonis, & tertia eorum parte relicta, coacti sunt. VVurcepurgum.

Annus 1590. insignis est siccitate, quæ præcedente anno cœperat, & ad hyemem vsq; huius anni durauit: non dißimilis anno quadragesimo, qui feruidus in historijs appellatur. Sed discrimen tamen est. Nam quadragesimus æstu quidem, quem ariditas ingens consecuta est, ferbuit: sed in fine Iulij iterum pluit. Etsi igitur leguminum, olerum, feni inopia & caritas magna extitit: frumenti tamen copia tanta fuit, vt queri de penuria nemo ferè posset. Vini autem boni affluentia incredibilis Siccitas.

per omnes imperij partes ac regiones nata est. Tum syluæ etiam & arbores in quibusdam locis arsêre, & incendiarij paßim plurimum damni dedêre. At hoc anno 90. siccitas verno, æstiuo, & autumnali tempore continua fuit. Itaq; seges rara, frumentum tenue, fenum paucum, olerum verò, & leguminum copia exigua, vinum bonum, sed modicum vbiq; ferè prouenit. Incendia quoq; excitata sunt multa. In Turingia pagi & oppida exusta sunt. Erfurdiæ ad 360. ædes 3. Iulij ignis ardor absumsit. In oppido VVeissensehe deflagrarunt ædes centum & triginta, exceptis horreis & stabulis, Augusti die 26. Arsêre compluribus locis syluæ, in montibus præsertim Boiemicis. Alibi succensæ quidem sunt, sed statim flamma restincta est. Quanquam autem opinantur nōnulli solis ardore inflammationem talem esse factam: tamen asseuerant saltuarij, lignatorum incuria, qui vespas & insecta alia igne succenso ex syluis propellere solent accidisse. Fatentur tamen illi ipsi,

erycam

erycam & muſcum paſſim adeo excreuiſſe, vt flamma concepta inſtar cati terram & arbores perreptârit. Sunt qui affirmant etiam fenum in curru vectum infra Viennam ſolis ardore conflagraſſe die Iulij 30.

Die XV. Septembris anni 1590. terra paßim per complures regiones tremuit, & alicubi ædificia labefactauit. Terræmotus

Verùm hæc in principum & ciuitatum ſingularum rebus commemorabuntur copioſius: hîc attigiſſe ſatis eſt.

IMPERATORES ORIENTIS IN MILLENARIO SEXTO.

ANno Christi 1028. Constantino IX. ſucceßit Romanus Argyrus, & imperauit annis quinq;. Hic vt imperium acquiſiuit, ita etiam perdidit. Data erat ei optio à Conſtantino, vt vel repudiata vxore ſua, ipſius filiam Zoen duceret, ac Cæſar fieret, vel oculos ſibi effodi pateretur. Hæc res cum ancipi- Roman. Argyrus.

Bellum Gothanum. *Alterum bellum, sed intestinum hoc Imperatore gestum est, quo Gotha vrbs Turingiæ, & contigua arx Grimenstein commissarijs imperij, & Augusto Electori Saxoniæ per detitionem tradita est, anno 67, tum supplicium à Grumbachio, & reliquis ab imperio proscriptis sumtum est. Receptator verò Ioannes Fridericus Saxoniæ dux captus, & arx solo æquata est. Constitit id bellum tonnis auri nouem, florinis 630. demolitio verò castri florinis 55549.*

Coluit & amauit Maximilianus Saxoniæ Electorem Augustum, & ab eo vicissim suauissimè, diligentissimeq; cultus & obseruatus est. Liberi. *Liberos ex vna coniuge Augusta Caroli V. patrui filiâ suscepit 16. de quibus 10. superstites sunt. Hæc Cæsaris filia, Cæsaris nurus & Cæsaris coniunx, Cæsaris deniq; mater est. Ex cordis palpitatione supra 20. annos laborauit, & dolorum species fere tot, quod imperij sui dies sensit.* Mors. *Quibus tandem etiam anno ætatis 50. Christi verò 76. Ratisbonæ in comitijs,*

io

in ipso die Maximiliani extinctus est. Cadauere dissecto, in cauitatibus pectoris inuentæ sunt plus quam duæ mensuræ humoris aquei. Moriens verò fidei in Christum documenta dedit, cum ab episcopo Neostadiano ad extremum interrogatus, an in fide Christi vellet mori, respondit: non aliter.

Compertum est hoc Imperatore, anno 72. in cælo ipso etiam aliquid posse nasci & mori, dum stella noua in Cassiopeæ asterismo diutius anno constitit immota, & tandem attenuata sensim euanuit.

Stella prodigiosa.

Anno 1576. Rudolphus II. Maximiliani II. filius Austriæ dux Romanorum Imperator designatus est, in conuentu Ratisbonensi, antea rex Vngariæ factus anno 72. Boiemiæ verò & Romanorum 75. Hic, vt tutam tranquillamq; pacem habeamus, operam dat.

Rudolph. II. decimus a Rudolpho I.

Multa iam hoc Imperatore memorabilia in politicis, & ecclesiasticis acciderunt. Anno 1580. Aquisgrani Euangelium prædicari cœptum est, con-

fluentibus eò compluribus ex Belgio, propter Hispanicæ inquisitionis & tyrannidis asperitatem. Sed cum neq; Euangelium ferre Catholici possent; neq; ad honores admittere vllum, qui illud profiteretur, vellent: motus diuturni & varij extiterunt. Quos cum Cæsar comprimere consilio & prudentia conaretur, sæpius literis, sæpius etiam legatis eò missis, rempublicam in antiquum statum restituere studuit. At ignis est Euangelium, qui, vbi semel exarsit, non ita facilè extinguitur. Euangelici multis vexati contumelijs, plurimis iactati iniurijs opem principum Augustanæ Confessionis implorarunt. Hi Cæsarem literis & legationibus solicitarunt, vt ne vim afferri profitentibus Euangelium secundum Augustanam Confessionem pateretur. Sed obtineri libertas prædicandi Eangelium nulla potuit. Itaq; ne nunc quidem libera illic est in templis publicis illius professio.

Anno 1582. Comitia Augustæ habuit Rudolphus, quibus vt pecuniam

darent,

darent; & contribuerent principes & ciuitates imperij ad alendum præsidium militare in arcibus limitaneis aduersus Turcas in Vngaria, decretum est.

Eodem anno Coloniæ ciuium pars ferme tertia liberum Euangelij præconium à Senatu petijt Quos cum is ad archepiscopum remitteret, facile ab eo, vt in tribus templis Euangelium secundum Augustanam Confeßionem publicè doceretur, impetratum est. Senatus, cui præter opinionem & voluntatem illud acciderat, ad Imperatorem & Capitulum rem referendam esse censuit. Interim archiepiscopus Gebhardus Truchsesius declarationem voluntatis suæ edidit, in qua vtriusq; religionis pontificiæ & Euangelicæ secundum Augustanam Confeßionem, & pacem religioni datam in imperio conceßit. Ipse verò cælibatu impuro & impio relicto, coniugij fœdus religiosum, & à Deo cunctis mortalibus, qui donum con- Coloniensis mutatio.

tinentiæ non habent, præceptum, cum Agnete, Ioannis Georgij comitis Mansfeldiæ filia, pepigit. Vtrumq; cum pontificiæ ecclesiæ decretis contrarium esset, acerrimè à Capitulo & Pontificijs impugnatum est. Archiepiscopus in caussa pia præsidium ab Augustanæ confeßionis principibus petiuit. Hi operam multam & vtilem illi præbuerunt, ac per literas, & legatos Capitulum monuerunt, ne quid per vim moliretur, néue innocentem damnaret, aut in exilium eijceret. Cæsar verò per suos legatos archiepiscopum hortabatur, vt vel religionem pontificiam retineret, vel bonis ecclesiasticis cederet. Tum pontifex etiam literis, & legato, Andrea Cardinali Austriaco, Ferdinandi & Philippinæ filio misso eundem tanquam emortuum membrum ab ecclesia recidit, & de eligendo alio archiepiscopo mandatum dedit. Etsi autem interceditur variè: tamen hortatu etiam Cæsaris alius præsul Ernestus Bauariæ dux eligitur.

Truche-

Truchsesius ergo dignitate & potestate Septemuirali exutus, vim vi repellere conatur. Venit ei subsidio Ioannes Casimirus Palatini comes. Bauarus verò Hispanicum aduocat præsidium. Postquam aliquandiu belligeratum est, & ab vtraque parte aliqua capta & amissa, Palatinus, mortuo fratre Electore, domum reuocatur ad suscipiendam tutorio nomine curam Palatinatus Electoralis. Truchsesius verò adiutus à fratre & alijs nonnullis tueri sua, quanta potest contentione, enititur. Inde infusis in Germaniam Hispanicis copijs, maximæ molestiæ, & turbulentæ tempestates extiterunt, quæ ad hoc vsq; tempus diœcesin, & vicina loca vexant & affligunt.

Anno 1584. Rotenpurgi ad Tuberum legati Imperatoris, principum Electorum, & ducis VVirtembergici conuenêre, vbi in primis de pace in ecclesia & repub. conseruanda, tum de componendo Coloniensi dißidio, & Calendario Gregoriano diu multumq; tractatum est. Conuentus Rotenberg.

ſet, acerrime a Capitulo &
impugnatum eſt. Archie
cauſſa pia præſidium ab Aug
feßionis principibus petiuit.
multam & vtilem illi præ
per literas, & legatos Ca
nuerunt, ne quid per vi
néue innocentem damnare
lium eijceret. Cæſar ver
gatos archiepiſcopum h
vel religionem pontif
vel bonis eccleſiaſticis
pontifex etiam literis,
drea Cardinali Auſtri
& Philippinæ filio
quam emortuum m
recidit,
po m

Truchsesius ergo dig... Impera- Aureum vellus.
testate Septemuirali exutus, ... cia reli-
pellere conatur. Venit ... em illu-
Casimirus Palatini comes ... inem au-
rò Hispanicum aduocat ...
quam aliquandiu bellig... rgi episco- VVurcepurgum.
ab vtraque parte aliqu... us Euan-
sa, Palatinus, mortuu... m confes-
domum reuocatur ad ... demit. In-
torio nomine curam ... ditis bonis,
ctoralis. Truchsesius ... cta, coacti
tre & alijs nonnullis ...
potest contentione, ... is est sicci- Siccitas.
infusis in Germaniam ... œperat, & ad
maximæ molestiæ, ... durauit: non
states extiterunt, ... no, qui fer-
diœcesin, & vicina ... r. Sed discri-
fligunt. ... quadragesimus

Anno 1584 ... itas ingens con-
berum legati Im... n fine Iulij ite-
Electorum ... uminum, ole-
uenêr... gna ex-
& r... ta fuit,
... posset.
... redibilis

p

per omnes imperij partes ac regiones nata est. Tum sylue etiam & arbores in quibusdam locis arsêre, & incendiarij paßim plurimum damni dedêre. At hoc anno 90. siccitas verno, æstiuo, & autumnali tempore continua fuit. Itaq; seges rara, frumentum tenue, fenum paucum, olerum verò, & leguminum copia exigua, vinum bonum, sed modicum vbiq; ferè prouenit. Incendia quoq; excitata sunt multa. In Turingia pagi & oppida exusta sunt. Erfurdia ad 360. ædes 3. Iulij ignis ardor absumsit. In oppido VVeissensehe deflagrarunt ædes centum & triginta, exceptis horreis & stabulis, Augusti die 26. Arsêre compluribus locis syluæ, in montibus præsertim Boiemicis. Alibi succensæ quidem sunt, sed statim flamma restincta est. Quanquam autem opinantur nõnulli solis ardore inflammationem talem esse factam: tamen asseuerant saltuarij, lignatorum incuria, qui vespas & insecta alia igne succenso ex syluis propellere solent accidisse. Fatentur tamen illi ipsi,

erycam

rycam & muscum passim adeo exaruisse, vt flamma concepta instar cati terram & arbores perreptârit. Sunt qui affirmant etiam fenum in curru vectum infra Viennam solis ardore conflagrasse die Iulij 30.

Die XV. Septembris anni 1590. terra paßim per complures regiones tremuit, & alicubi ædificia labefactauit. Terræmotus

Verùm hæc in principum & ciuitatum singularum rebus commemorabuntur copiosius: hîc attigisse satis est.

IMPERATORES ORIENTIS IN MILLENARIO SEXTO.

ANno Christi 1028. Constantino IX. successit Romanus Argyrus, & imperauit annis quinq. Hic vt imperium acquisiuit, ita etiam perdidit. Data erat ei optio à Constantino, vt vel repudiata vxore sua, ipsius filiam Zoen duceret, ac Cæsar fieret, vel oculos sibi effodi pateretur. Hæc res cum ancipi- Roman. Argyrus.

tem curam cogitandi Romano afferret vxor eius vltro monasterium ingressa, periculo omni maritum liberauit. Ita ergo Zoen vnà cum imperio ille adeptus est. Initia gubernationis eius non malè sese dederunt. Expeditionem in Syriam aduersus Saracenos suscepit, in qua primum ex sententia res successit, postea verò mutata fortuna, ad Alepum Clade affectus est. Hæc clades ostento insigni prænunciata fuit; cum mense Iulio tempore nocturno, stella à meridie ad septentrionem peruolans fulgore suo totum terrarum orbem collustrauit. Malè igitur acceptus in hostium oppugnatione, domi cum fortuna animum mutauit, & ex imperatore carnifex & exactor acerbus est factus. Iccirco etiam pœna è vestigio eum secuta est. Nam Zoe impudicissima & libidinosissima vxor cum Paphlagone adultero venenum ei propinauit. Quod cum non satis virium haberet, adulter eum in balneis sedentem ex insidijs demersit.

Ostentum.

Michael Paphlagon

Anno 1034. Michael Paphlago occiso

occiso Romano, per adulterium Zoe & imperio potitus est, eo ipso die, quo Romanus è vita exijt. Imperauit annis septem, mensibus octo. Irritarunt hæc scelera iram & vindictam diuinam, quæ crebris portentis & cladibus denunciabatur. Exortus est eodem anno fulgor in cælo tantus, vt reliquas stellas omnes obscuraret, & noctem in diem versura videretur. Apparuit etiam in cælo columna ignea versus Orientem, & terræ motus crebri & diuturni extiterunt. Ipse verò Imperator furijs agitatus respirare non potuit. Frater eius Ioannes patriarchatum Constantinopolitanum ad se rapere cupiens, Alexio crimen iniustæ & violentæ occupationis patriarchatus intulit. Sed is crimen obiectum sic diluit: si verus ego patriarcha non sum, nec veri possunt esse episcopi, quos annis iam duodecim ordinaui. Imò nec veri possunt esse imperatores tres, quibus coronam imposui. Hos igitur si reieceritis, tunc cedam & ego. Ita patriarchatum retinuit. Restitit

Ostenta.

Apologia Alexij patriarchæ.

stitit hic imperator per duces suos Saracenis, & in hydropen prolapsus, vitam in monasterio finijt.

Michael Calaphates. Anno 1042. Michael Calaphates à Zoe imperatrice adoptatus, imperator factus est, & imperauit menses quatuor. Monstrum ex mendacio, fraude, libidine, & tyrannide conflatum. Zoen quidem ab imperio amouit, sed populi motu compulsus, restituit. Sic ea in sede augusta iterum collocata est, ipse verò effoßis oculis in monasterium detrusus.

Constantin. Monomachus. Anno 1042. Constantinus Monomachus ducta Zoe imperator creatus imperauit annos 12. homo mollis & effæminatus. Bella quidem nonnulla geßit, sed Turcos longè lateq; populari Asiam passus est. Missam quoq; quotidianam Constantinopoli in summo templo instituit, cum quidem ad illud vsque tempus dominicis tantum diebus celebrari illa consueuisset.

Theodora. Anno 1055. Theodora soror Zoes adepta imperium, imperauit annum vnum, menses 9.

Anno

Anno 1056. Michael Stauratius, vel Stratioticus senex imperator electus, imperauit annum vnum. In populum benignus, sed in milites eorumq́ duces inhumanus. Ideo deiectus est ab imperio. **Michael Stauratius.**

Anno 1057. Isaacius Comnenus imperator creatus imperauit annos duos. Patriacham Constantinopolitanum, cuius beneficio imperium adeptus erat, in exilium proiecit, vbi mortuus est. Inde in mœrorem incidit imperator, & lacrymis, eiulatuq́ multo funus eius ab exilio in vrbem reduxit, nepotesq́ in pristinam dignitatem restituit. Deposito imperio monasterium ingressus est. **Isaacius Comnenus.**

Anno 1059. Constantinus Ducas imperauit annis 18. Literarum quidem ignarus fuit, sed literatos tamen plurimum coluit ac fouit, illud in ore habens: malle se literarum gloria, quàm imperio illustrem esse. Eo mortuo Eudocia vxor cum tribus filijs Michaele, Andronico, & Constantino imperauit menses 7. **Constantinus Ducas.**

Anno

tinentiæ non habent, præceptum, cum Agnete, Ioannis Georgij comitis Mansfeldiæ filia, pepigit. Vtrumq; cum pontificiæ ecclesiæ decretis contrarium esset, acerrimè à Capitulo & Pontificijs impugnatum est. Archiepiscopus in caussa pia præsidium ab Augustanæ confeßionis principibus petiuit. Hi operam multam & vtilem illi præbuerunt, ac per literas, & legatos Capitulum monuerunt, ne quid per vim moliretur, néue innocentem damnaret, aut in exilium eijceret. Cæsar verò per suos legatos archiepiscopum hortabatur, vt vel religionem pontificiam retineret, vel bonis ecclesiasticis cederet. Tum pontifex etiam literis, & legato, Andrea Cardinali Austriaco, Ferdinandi & Philippinæ filio misso eundem tanquam emortuum membrum ab ecclesia recidit, & de eligendo alio archiepiscopo mandatum dedit. Etsi autem interceditur variè: tamen hortatu etiam Cæsaris alius præsul Ernestus Bauariæ dux eligitur.

Truchsesius ergo dignitate & potestate Septemuirali exutus, vim vi repellere conatur. Venit ei subsidio Ioannes Casimirus Palatini comes. Bauarus verò Hispanicum aduocat præsidium. Postquam aliquandiu belligeratum est, & ab vtraque parte aliqua capta & amissa, Palatinus, mortuo fratre Electore, domum reuocatur ad suscipiendam tutorio nomine curam Palatinatus Electoralis. Truchsesius verò adiutus à fratre & alijs nonnullis tueri sua, quanta potest contentione, enititur. Inde infusis in Germaniam Hispanicis copijs, maximæ molestiæ, & turbulentæ tempestates extiterunt, quæ ad hoc vsq; tempus diœcesin, & vicina loca vexant & affligunt.

Anno 1584. Rotenpurgi ad Tuberum legati Imperatoris, principum Electorum, & ducis VVirtembergici conuenêre, vbi in primis de pace in ecclesia & repub. conseruanda, tum de componendo Coloniensi dissidio, & Calendario Gregoriano diu multumq; tractatum est. Conuentus Rotenburg.

Augusta Vindelicorum.

Eodem anno Augustæ Vindelicorum intestina quædam dissensio rempublicam concutere cœpit, inde orta, quod senatus Euangelicis Calendarium pontificium obtrusit. Id enim amplecti recusantibus ecclesiæ ministris docendi munus abrogauit. Sed est sedata & compressa omnis dissensio senatus, ducisq́ VVirtembergici, ac Senatus Vlmensis legatorum industria & diligentia, sic, vt Calendarium nouum in vtriusq religionis ecclesia, & vniuersa repub. absq vlla ab imminutione doctrinæ ac rituum vsitatorum vsurparetur. Postea verò senatus etiam ius vocandi ministros Euangelicos sibi vendicauit, quod antea penes seniores siue præfectos ecclesiæ fuerat. Idq authoritate etiam Imperatoris obtinuit. Quod cum probare ministri ecclesiæ nollent, ante solis ortum ex vrbe discedere coacti sunt. Senatus verò alios aliunde in loca vacua ministerij Ecclesiastici vocauit. Quos cum populus audire diu recusaret, conducto militari præsidio, in officio retentus est.

Anno

Anno 1585. Rudolphus Imperator cum alijs quibusdam pontificiæ religionis principibus per legationem illustrem Hispaniarum regis in ordinem aurei velleris cooptatus est. Aureum vellus.

Anno 1586. VVurcepurgi episcopus Julius libertatem professionis Euangelicæ secundum Augustanam confessionem suis subditis omnem ademit. Inde multi in exilium ire, venditis bonis, & tertia eorum parte relicta, coacti sunt. VVurcepurgum.

Annus 1590. insignis est siccitate, quæ præcedente anno cœperat, & ad hyemem vsq; huius anni durauit: non dißimilis anno quadragesimo, qui feruidus in historijs appellatur. Sed discrimen tamen est. Nam quadragesimus æstu quidem, quem ariditas ingens consecuta est, ferbuit: sed in fine Iulij iterum pluit. Etsi igitur leguminum, olerum, feni inopia & caritas magna extitit: frumenti tamen copia tanta fuit, vt queri de penuria nemo ferè posset. Vini autem boni affluentia incredibilis Siccitas.

per omnes imperij partes ac regiones nata eſt. Tum ſyluæ etiam & arbores in quibuſdam locis arsêre, & incendiarij paßim plurimum damni dedêre. At hoc anno 90. ſiccitas verno, æſtiuo, & autumnali tempore continua fuit. Itaq; ſeges rara, frumentum tenue, fœnum paucum, olerum verò, & leguminum copia exigua, vinum bonum, ſed modicum vbiq; ferè prouenit. Incendia quoq; excitata ſunt multa. In Turingia pagi & oppida exuſta ſunt. Erfurdiæ ad 360. ædes 3. Iulij ignis ardor abſumſit. In oppido VVeiſſenſehe deflagrarunt ædes centum & triginta, exceptis horreis & ſtabulis, Auguſti die 26. Arsêre compluribus locis ſyluæ, in montibus præſertim Boiemicis. Alibi ſuccenſæ quidem ſunt, ſed ſtatim flamma reſtincta eſt. Quanquam autem opinantur nõnulli ſolis ardore inflammationem talem eſſe factam: tamen aſſeuerant ſaltuarij, lignatorum incuria, qui veſpas & inſecta alia igne ſuccenſo ex ſyluis propellere ſolent accidiſſe. Fatentur tamen illi ipſi,

ERYCAM

erycam & muscum passim adeo exaruisse, vt flamma concepta instar cati terram & arbores perreptârit. Sunt qui affirmant etiam fenum in curru vectum infra Viennam solis ardore conflagrasse die Iulij 30.

Die XV. Septembris anni 1590. terra paßim per complures regiones tremuit, & alicubi ædificia labefactauit. Terræmotus

Verùm hæc in principum & ciuitatum singularum rebus commemorabuntur copiosius: hîc attigisse satis est.

IMPERATORES ORIENTIS IN MILLENARIO SEXTO.

ANno Christi 1028. Constantino IX. successit Romanus Argyrus, & imperauit annis quinq;. Hic vt imperium acquisiuit, ita etiam perdidit. Data erat ei optio à Constantino, vt vel repudiata vxore sua, ipsius filiam Zoen duceret, ac Cæsar fieret, vel oculos sibi effodi pateretur. Hæc res cum ancipitem Roman. Argyrus.

tem curam cogitandi Romano afferret vxor eius vltro monasterium ingressa, periculo omni maritum liberauit. Ita ergo Zoen vnà cum imperio ille adeptus est. Initia gubernationis eius non malè sese dederunt. Expeditionem in Syriam aduersus Saracenos suscepit, in qua primum ex sententia res successit, postea verò mutata fortuna, ad Alepum Clade affectus est. Hæc clades ostento insigni prænunciata fuit; cum mense Iulio tempore nocturno, stella à meridie ad septentrionem peruolans fulgore suo totum terrarum orbem collustrauit. Malè igitur acceptus in hostium oppugnatione, domi cum fortuna animum mutauit, & ex imperatore carnifex & exactor acerbus est factus. Iccirco etiam pœna è vestigio eum secuta est. Nam Zoe impudicissima & libidinosissima vxor cum Paphlagone adultero venenum ei propinauit. Quod cum non satis virium haberet, adulter eum in balneis sedentem ex insidijs demersit.

Ostentum.

Michael Paphlagon

Anno 1034. Michael Paphlago occiso

occiso Romano, per adulterium Zoe & imperio potitus est, eo ipso die, quo Romanus è vita exijt. Imperauit annis septem, mensibus octo. Irritarunt hæc scelera iram & vindictam diuinam, quæ crebris portentis & cladibus denunciabatur. Exortus est eodem anno fulgor in cœlo tantus, vt reliquas stellas omnes obscuraret, & noctem in diem versura videretur. Apparuit etiam in cælo columna ignea versus Orientem, & terræ motus crebri & diuturni extiterunt. Ipse verò Imperator furijs agitatus respirare non potuit. Frater eius Ioannes patriarchatum Constantinopolitanum ad se rapere cupiens, Alexio crimen iniustæ & violentæ occupationis patriarchatus intulit. Sed is crimen obiectum sic diluit: si verus ego patriarcha non sum, nec veri possunt esse episcopi, quos annis iam duodecim ordinaui. Imò nec veri possunt esse imperatores tres, quibus coronam imposui. Hos igitur si reieceritis, tunc cedam & ego. Ita patriarchatum retinuit. Restitit

Ostenta.

Apologia Alexij patriarchæ.

stitit hic imperator per duces suos Saracenis, & in hydropen prolapsus, vitam in monasterio finijt.

Michael Calaphates. *Anno 1042. Michael Calaphates à Zoe imperatrice adoptatus, imperator factus est, & imperauit menses quatuor. Monstrum ex mendacio, fraude, libidine, & tyrannide conflatum. Zoen quidem ab imperio amouit, sed populi motu compulsus, restituit. Sic ea in sede augusta iterum collocata est, ipse verò effossis oculis in monasterium detrusus.*

Constantin. Monomachus. *Anno 1042. Constantinus Monomachus ducta Zoe imperator creatus imperauit annos 12. homo mollis & effæminatus. Bella quidem nonnulla gessit, sed Turcos longè lateq; populari Asiam passus est. Missam quoq; quotidianam Constantinopoli in summo templo instituit, cum quidem ad illud vsque tempus dominicis tantum diebus celebrari illa consueuisset.*

Theodora. *Anno 1055. Theodora soror Zoes adepta imperium, imperauit annum vnum, menses 9.*

Anno

Anno 1056. Michael Stauratius, vel Stratioticus senex imperator electus, imperauit annum vnum. In populum benignus, sed in milites eorumque duces inhumanus. Ideo deiectus est ab imperio. Michael Stauratius.

Anno 1057. Isaacius Comnenus imperator creatus imperauit annos duos. Patriacham Constantinopolitanum, cuius beneficio imperium adeptus erat, in exilium proiecit, vbi mortuus est. Inde in mœrorem incidit imperator, & lacrymis, eiulatuque multo funus eius ab exilio in vrbem reduxit, nepotesque in pristinam dignitatem restituit. Deposito imperio monasterium ingressus est. Isaacius Comnenus.

Anno 1059. Constantinus Ducas imperauit annis 18. Literarum quidem ignarus fuit, sed literatos tamen plurimum coluit ac fouit, illud in ore habens: malle se literarum gloria, quàm imperio illustrem esse. Eo mortuo Eudocia vxor cum tribus filijs Michaele, Andronico, & Constantino imperauit menses 7. Constantinus Ducas.

Anno

Rom. Diogenes.

Anno 1068. Romanus Diogenes imperauit annis tribus, mensibus octo. Bellum geßit cum Turcis, eosq; profligauit expeditione prima, sed altera fusus ab illis & captus, tandem honestis conditionibus à Sultano dimissus est: domi verò à priuignis priuatus oculis, in monasterium proiectus.

Michaël Parapinaceus.

Anno 1071. Michael Parapinaceus Constantini Ducæ filius, imperauit annis 6. mensibus 6.

Nicephorus Botoniates.

Anno 1078. Nicephorus Botoniates imperauit annis tribus.

Alexius Comnenus.

Anno 1081. Alexius Comnenus imperauit annis 37. initiò asper & auarus; postea moderatus & clemens. Orphanotrophion & Musæum extruxit, liberaliterq; pueros & puellas parentibus orbas curauit alendas

Cosmas patriarcha.

Eo imperante Cosmas Constantinopolitanus patriarcha, sumta cithara, & ministro, deseruit patriarchæ munus, nec redire ad illud quamuis reuocatus voluit, quod multa vidisset, quæ neq; probare, neque mutare poterat, vt ait, Zonaras.

Anno

Anno Christi 1118. Coloioannes Comnenus Alexij filius imperauit annis 24. mensibus octo. Scythas in Thraciam inuadentes profligauit, ac Turcas Persasq; vicit. Coloioannes Comnenus.

Anno Christi 1143. Emanuel Comnenus imperauit annis 37. mensibus 9. A Cunrado Romanorum Imperatore amicitiæ fœdus petijt quidem, sed in expeditione Hierosolymitana multum ei nocuit, gypsum contusum farinæ admiscens, qua exercitus illius alendus erat, vnde magna hominum multitudo perijt. Quam perfidiam vlturus Siciliæ rex Rogerius, bellum ei intulit, multum damni dedit, & penè imperio omni exuit. Emanuel Comnenus.

Anno 1180. Alexius Comnenus Emanuelis filius imperauit annis tribus, puer, interfectus clam ab Andronico tutore, saccoq; insutus & in mare abiectus. Alexius Comnenus.

Anno 1183. Andronicus Comnenus imperauit anno vno, mensibus vndecim. Imperio deiectus asino impositus præpe- Andronicus Comnenus.

præposterè per vrbis vicos ductus est, effosso oculo altero, & manu abscissa, à turba verò vncis & harpagonibus frustulatim laceratus.

Isacius Angelus.

Anno 1185. Isacius Angelus imperauit annis 9. mensibus 7. magna cum iustitiæ tum æquitatis laude. Adiuuit Fridericum Barbarossam in expeditione Hierosolymitana, suppeditato commeatu & alijs rebus necessarijs. Fratrem Alexium à Turcis captum magno ære redemit. Sed ab eo paulo post circumuentus, oculis priuatus est, & in carcerem coniectus, vnde tamen filij beneficio euasit.

Alexius Angelus Comnenius.

Anno 1195. Alexius Angelus Comnenus imperauit annis 8. mensibus 3. Scelerum suorum pœnas sic luit, vt obsessa & incensa Constantinopoli à Balduino Flandriæ comite fugere ac cedere imperio cogeretur. Hoc modo ad Francos summa imperij translata est.

Imperium Orientis ad Francos translatum.

Balduinus.

Anno 1204. Balduinus Flandriæ comes imperator Constantinopoli renunciatus, Scytis bellum intulit, sed

ab

ab ijs victus & captus miserabiliter occisus est. Alius Imperator Theodorus Lascaris Niceæ creatus est, qui imperauit annis octodecim.

Theodorus Lascaris.

DIVISIO REGNI Constantinopolitani.

Capto à Latinis Byzantio, alia regni sedes Constantinopoli fuit, alia Niceæ. Ac Niceæ quidem imperauit Lascaris, annis 18. post Lascarem anno Christi 1222. Ioannes Ducas annis 33. Post Ducam Theodorus Lascaris iunior, post eum Michael Palæologus vsq; ad annum Christi 1261. quo, eiectis Latinis, recuperata est Constantinopolis. Constantinopoli verò anno 1206. post Balduinum imperauit frater eius Henricus annis vndecim, & bene imperium gessit.

Imperatores Niceæ.

Imperatores Constantinopolitani.

Henricus.

Anno 1216. Petrus Antisiodorensis imperauit annis 5. coronatus Romæ à pontifice.

Petrus Antissodorensis.

Anno 1221. Robertus Petri filius imperauit annis 7. Roberto successit filius Balduinus II. puer, imperauit

annis 33. Hic anno Christi 1261: Constantinopolin amisit, captam per proditionem à Michaele Palæologo. Eoq́ modo imperium Latinorum à Balduino primo acquisitum, à Balduino II. amissum est, postquam annos 57. in potestate eorum fuerat, rediitq́ ad Græcos.

Imperium a Latinis ad Græcos redijt.

Ex dilaceratione & distractione imperij Constantinopolitani natum est imperium Trapezunti, quod Cappadociam & Colchidem complectebatur, durauitq́ ad annum Christi 1461. quo à Mahomete occupatum est.

Imperium Trapezunti-num. Est autem Trapezus metropolis Colchidis.

Anno 1261. Michael Palæologus Græcorum Imperator in Oriente annis 22. pupillo suo Ioanni Lascari oculos eruit, sororesq́ eius peregrinis despondit, ne quos imperij æmulos haberet. Ob quod facinus à patriarcha Arsenio excommunicatus est, sed Arsenio Patriarchæ munus vicissim abrogauit, & alium surrogauit.

Michael Palæologus.

Anno 1283. Andronicus Palæologus Palæologi filius imperauit annis 48. Denunciabant hoc Imperatore mul-

Anronicus. Palæologus.

ta

ta prodigia ruinam, quæ Orientis imperio impendebat. Clamor ex statua sancti Georgij, quæ ante diuinæ genitricis templum collocata erat, bis tanquam ex equo viuo auditus est. Deinde columna, cui olim Constantini Magni statua imposita fuit, suopte nutu ac pondere per aliquot dies huc illuc inclinata est. Secuta est paulo post nefaria Andronici iunioris aduersus auum Andronicum coniuratio, vt imperio eum deturbaret. Occupata igitur Thracia & Macedonia, Constantinopolin ille obsedit. Sed misit ad eum Andronicus senior legatos, qui de pace agerent. Estq; ea confecta hoc modo, vt retineret Andronicus iunior eas terras, quas occuparat, reliquas verò Andronicus senior cum imperio. Ostenta.

Anno 1328. Andronicus iunior auo suo Andronico imperium abrogauit. Is ergo monasterium ingressus, reliquos duos vitæ suæ annos in eo consumsit. Andronicus iunior.

Anno 1341. Ioannes Cantacuzenus Ioannes Cantacuz.

Scelera quæ ruinam attraxerunt.

Andronici iunioris filius imperauit annis 16. Creuit hoc tempore æmulatio, perfidia & sæuitia in cognatum sanguinem, mutuusq́ furor & immanitas parentum, liberorum, fratrum eò vsq́ progressa est, vt triste seruitutis iugum omnia minarentur. Nec iam vi aliqua externa ad euertendum Orientis regnum opus erat; Illi ipsi Imperatores, vt alius alium perderet, cum Turcis fœdera inibant, & vltro regnum in fidem illorum tradebant.

Palæologi inuitarunt Turcas in Europam, quos postea eijcere non potuerunt.

Imperatores Græci tributarij Turcorum.

Anno 1357. Ioannes Palæologus Andronici IV. filius, imperauit annis 30. Post eum Andronicus, coniecto in carcerem patre suo Ioanne, & fratre Emanuele, imperium gratia opeq́ Baiazetis adeptus est, tanquam vasallus. Sed anno 1392. Ioannes & filius eius Emanuel è vinculis euaserunt, & à Baiazete Turcorum Imperatore imperium Constantinopolitanum recuperarunt, promisso ei tributo ingenti, & tradito insuper vico ciuitatis integro.

Ioannes VII & VIII.

Anno 1422. Ioannes VII. Imperauit

uit annis 3. mensib. 6. post eum an. 1425. Ioannes VIII. imperauit annis 24.

Anno 1450. Constantinus vltimus imperauit annis 3. mensibus 3. In hoc desijt imperium Christianorum in Oriente, quod ante annos 1122. conditum erat ab eiusdem nominis Imperatore Constantino magno. Et quod mirum est, congruunt nomina Imperatorum, quibus cœpit, & desijt hoc imperium. Congruunt nomina Patriarcharum: à Gregorio cœpit, & in Gregorio desijt. Congruunt etiam nomina matrum: Constantini Magni mater fuit Helena, idem nomen fuit matris Constantini vltimi. Constantinus vltimus.

DE CAPTA CONstantinopoli.

Anno 1453. die Aprilis 9. Mahometes Turcarum rex Constantinopolin Orientalis imperij caput & sedem, omniumq; in genere humano vrbium reginam obsidere, ac vi armisq; oppugnare cœpit, non iure aliquo, sed cupiditate

dominandi & infringendi Christianorum
Caussæ. *potestatem impulsus. Nisi fortè denegatum sibi à Constantino tributum cupiditati suæ prætexuit. Quam quidem cupiditatem impiam contra Christianorum salutem augebant successus in rebus gerendis prosperi, quos iam annis multis Turci experti erant. Contra verò Christiani fortunam ad præcipitem ruinam inclinatam ex omni parte sentiebant, quam intestinis dissensionibus, perfidia, mutuis cædibus, & alijs sceleribus sibi quotidie attrahebant. Accedebat religionis veræ contemtus, violatio & abusus, super quibus continua quadam vigilia excubat diuina vindicta, & in vestigio consequi solet, quamuis differri aliquandiu videatur. His igitur de caussis passus est Deus diminui opes, vires & dignitatem imperij Græci, crescere verò potentiam & tyrannidem Turcorum.*
Copiæ. *Adduxit autem Turca ad eam obsidionem quadringenta hominum millia ex Græcia, Illyrico, VValachia, Mysia, Cilicia, Seruia, Galatia, Bithynia, Lydia,*

Lydia, & ducenta insuper ac quinquaginta nauigia.

His copijs vrbem terra mariq; cinxit, oppugnauit, & omni crudelitate vexauit. In vrbe verò erant præter ciues sex millia Græcorum militum, tria verò millia auxiliariorum, Venetorum & Genuensium. Naues in portu paucæ, septem scilicet Genuensium, & totidem Cretensium, ex Chio item aliquæ tantam vim hostium sustinere cogebantur. Portum catena ferrea Constantinus clauserat, ne perrumpere hostium classis posset. In oppugnatione tribus in locis percussi muri ruinam minabantur, & prælia vtrinq; acerrima aliquot diebus fiebant. Classem verò Turcicam iniecto igne remorabantur vrbis propugnatores tantisper, donec effracto seu patefacto aditu in portum penetrauit. Quo cum peruasisset, tum demum terra mariq; magis quatiebantur muri. Indixit id temporis Mahometes ieiunium per vniuersum exercitum, sequenti verò die in armis Oppugnatio

Ieiunium in exercitu Turcorum.

esse, & totis viribus oppugnationem vrbis aggredi per præconem iussit, triduo ciuitatis direptionem militibus pollicens. Seruatum igitur tota die ad noctem vsque ieiunium, postea verò cœlo sereno conuiuia sunt instituta, ad quæ alij alios inuitarunt, & ad hilaritatem hortati sunt, tum amplexibus etiam & osculis quasi deinceps se non visuri, exceperunt. Manè verò, dato signo, oppugnari vrbs vndique cœpta est. Mahometes ipse in colle vicino astans hortatus est, impulit, vrsit suos vlulatu & vociferatione ingenti, quosque cedere velle animaduertit, eos iugulandos à cohortibus triarijs curauit. Erat in turri tanquam in specula

Fuga Christianorum.

vrbis collocatus Ioannes Iustinianus Genuensis, vir strenuus atque industrius, qui vulnere, non lethali tamen accepto, fugere cœpit, nec quamuis rogatus ab Imperatore Constantino adduci, vt in statione

Occupatio.

maneret, potuit Hunc fugientem milites alij secuti sunt, hinc hostis in eam partem quæ deserebatur, fortissimè irrupit, & patefacto in vrbem aditu, eam

occu-

occupauit. Interim fugerunt ex vrbe, quibus Martis vis adhuc pepereerat: sed in ipsa porta octingenti, & inter hos etiam imperator Palæologus vel conculcatus vel trucidatus est. Hostis verò triduo rapinis, contumelijs, & crudelitate inaudita in ciues & milites superstites sæuijt, puellas ac fœminas ad stupra rapuit, puberes ac impuberes dissecuit, nullumq́ genus libidinis & immanitatis prætermisit. Finito triduo, Mahometes ipse ingressus, proceres, quotquot reliqui erant, adductos ad se mactari iußit, fœminas verò & puellas de regia familia frustulatim concidi. Caput Constantini lancea suffixum est, & per vrbem & castra gestatum ludibrij caussa. Cæsa dicuntur in hac expugnatione millia hominum quadraginta. Hic exitus est, hic finis luctuosißimus, Constantinopolitani Christianorum imperij. Sic resectum est aquilæ Romanorum bicipiti alterum caput, quod Orientem conspiciebat.

Direptio.

Exitus.

Aquila altero capite priuata.

CAPVT II.

De actis extra imperium in præcipuis & florentissimis mundi regnis.

RES SARACENORVM.

Saraceni in initio millenarij VI. tam in Oriente, quàm in Occidente imperium & ditionem suàm dilatare conati sunt. In Occidente quidem exercitu duplici Italiam inuaserunt, Sed inde ab Henrico II. Imperatore reiecti sunt. In Oriente verò, rupto fœdere, quod cum Græcorum imperatore factum erat, Azizius Saracenorum rex in Syriam impetum fecit, & Hierosolymam occupauit, templum Domini spoliauit & euertit. Contra eos igitur coniunxerunt arma complures Christianorum reges ac principes, in Hispania, Gallia, Anglia, Dania, Scotia, Lotharingia, Alemania, Italia, Burgundia, Longobardia, anno Christi 1096. tanto numero, vt Occidens vniuersus demigrare in Orientem

Prima expeditio Christianorum in terrã sanctam.

tem visus sit. Fuerunt enim sexcenta millia peditum, & centum millia equitum, quorum alij terrestri itinere per Thraciam, alij maritimo per Venetorum ditionem profecti sunt. Sed de hoc toto numero post triennium vix quadraginta millia fuerunt reliqua.

Dux præcipuus fuit Godefridus Bilionæus Lotharingus cum fratribus Eustachio & Balduino. Huius Godefridi mater aliquando tres filios sub vestibus suis abdiderat. Quod cum maritus vidisset, & subesse aliquid suspicaretur, quæsiuit, sub vestibus quid haberet? respondit illa, tres magnos oculo dominos, vnus est rex, secundus dux, tertius comes. Prædictionem euentus comprobauit. Godefridus enim Hierosolymorum rex factus est, Balduinus Lotharingiæ dux, Eustachius comes. Reliqui duces erant, Hugo Magnus, Philippi Gallorum regis frater, Robertus Apuliæ dux, & nepos eius Tancredus, Robertus Flandriæ comes. Sequente anno, mense Martio Saracenos Mater Godefridi.

prælio

prælio adorti apud Niceam duabus stragibus fuderunt, & Heracleam, Tarsumq; recuperarunt. Anno 1098. Antiochiam expugnarunt, cæsis centum
Godefridus rex Hierosolymorum millibus Saracenorum. Anno 1099. Hierosolyma ipsa die obsidionis 89. recepta est, ac Godefridus, qui primus conscensis muris in vrbem irruperat, rex Hierosolymorum renunciatus. Sed titulum, insigniaq; regni accipere renuit, indignum se ducens aureo diademate in ea ciuitate, in qua Christus spineam coronam gestasset. Itaq; & ipsi talis ad Domini sepulcrum in genua prouoluto imposita est.

Tertia hæc fuit expugnatio vrbis,
Tres expugnationes Hierosol. ab excidio eius sub Vespasiano. Primum enim à Persis, deinde à Sacracenis capta est. Tertio demum loco à Christia-
Reges Christiani. nis recuperata hoc anno. Reges Christianos habuit tantum octo, qui regnarunt annis 88. Primus Godefridus annum duntaxat vnum regnauit. II. Frater
Balduinus. eius Balduinus regnauit annis 18. & fortuna ancipiti variaq; cum Saracenis dimica-

dimicauit. Multa quidem eis eripuit, sed propter seditionem inter principes Christianos ortam clade magna etiam affectus est.

Anno Christi 1118. Balduinus II. de Burgo regnauit annos 13. Venerunt hoc & superiore rege, Christianis subsidio alij milites ex Europa aduersus Saracenos. Ac vicit quidem hic Balduinus, occiditq; Persarum regem, Damasci verò regem fugauit: sed à Parthorum rege captus, non ita multo post è vinculis elapsus est. Balduin. II.

Balduino II. successit Fulco quartus rex, anno Christi, 1131. qui regnauit annis vndecim. Hic superatus à Saracenis, conditiones iniquas accipere coactus est. Diminuto enim militum Christianorum feruore, minui etiam cœpit eorum fortuna. Tandem insequens leporem ex equo lapsus perijt. Fulco.

Fulconem secutus est Balduinus quintus rex, anno Christi 1142. qui regnauit annis 24. & fortuna ancipiti cum Saracenis conflixit, insidias & impedi- Balduinus V. rex.

menta

menta multa ab Emanuele Constantinopolitano Imperatore passus. Subsidio ei venit Cunradus Romanorum imperator anno 1147. Sed cum Bosphorum transmisisset, inopia commeatus & perfidia Emanuelis gypsum farinæ Christianorum immiscente, è medio cursu retractus, insequentibus Saracenis bonam exercitus partem amisit, miserabilem in modum trucidatam. Ex Anglia naues ducentæ, ex Flandria & Lotharingia collectæ Lisibonam expugnarunt, ducentis hostium millibus occisis. Ex Gallia Ludouicus rex copias magnas in Palæstinam duxit. Sed in oppugnatione Damasci, cum iam dirutis extremis muris spes potiundæ vrbis esset, dissensio inter principes Christianos orta est, quæ conatum expugnationis omnem elisit.

Expeditio Cunradi in Syriam.

Almericus

Anno 1165. Almericus frater Balduini Hierosolymorum rex VI. fuit designatus, qui regnauit annos duodecim, & fudit Ægypti regem Amiram. Successit illi Balduinus IIII. Hierosolymorum

lymorum rex VII. Is Seladini Ægyptiorum Sultani copias bis fudit & deleuit.

Anno 1104. rex Hierosolymorum VIII. creatus est Guido, Lusignanus, cum quo disceptauit de regno Raimundus comes tripolis. Ex quo dißidio Christiani in discrimen summum adducti sunt, & Hierosolyma ipsa in Saracenorum potestatem redijt, anno Christi 1197. Seladinus verò Ptolemaidem, Laodiceam, Tiberiadem, & alias vrbes recepit. Permisit tamen Christianis Asiaticis, Syris, Armenis, Iacobitis, Græcis, Georgianis, & Nestorianis remanere Hierosolymis. Christiani vix Tripolin & Antiochiam retinuere. De Seladino, cuius præter cæteros nobilitata est fortitudo atque felicitas, scribitur, quod ad exitum vitæ vocatus postularit, vt in funere suo interior tunica hastili suffixa tanquam trophæum gestaretur, proclamante præcone, Seladinus Asiæ domitor, ex tanto regno, tantisq; opibus, nihil aliud quàm

Guido.

Hierosolyma amissa.

Seladinus.

quàm hoc secum aufert. Author fuit sectæ Mamalucorum, qui regnum Ægypti annos circiter ducentos tenuerunt. Sunt autem Mamaluci Syriaca lingua ijdem, qui ministri seu stipendiarij. Hi ex Christianis fiebant Mahometani, & quia ad belli administrationem præter cæteros instructi erant, etiam Sultani ex ijs eligebantur. Sunt autem victi & deleti à Selimo Turcarum imperatore anno 1517.

Mamaluci.

Anno Christi 1189. Fridericus Barbarossa, filius eius Fridericus, Philippus Gallorum rex, & Richardus Anglus afflictis in Palæstina Christianis opē laturi, copias magnas duxerunt: sed Armenia minori recepta, Fridericus imperator in summo æstu lauandi caussa amnem ingressus, perijt. Exercitus verò fame, morbis & armis compressus, cladem ingentem accepit. Tum simultate etiam inter Philippum & Richardum orta, dißipatæ sunt copiæ, & Gallo domum redeunte frustra fortunam tentauit Anglus.

Expeditio Friderici Barbarossæ in Syriam.

Anni

Anno 1196. imperante Henrico VI. iterum missus est exercitus magnus in Syriam contra Saracenos, ducibus Henrico Brunsuicensi, Palatino, Leopoldo Austriaco, Hermanno Turingiæ Landgrauio, alijsq́ue compluribus. Sed hi cognita morte Henrici Imperatoris, salutem & victoriam omnem desperantes, re infecta, domum reuersi sunt. Saraceni verò crudeliter in Christianos omnes sæuierunt, & Hispaniam etiam cædibus & incendijs vastarunt. Alia expeditio.

Anno Christi 1217. Fridericus II. rex Vngariæ Andreas, dux Bauariæ & Austriæ nouas copias in Palæstinam duxerunt. Eius expeditionis socium etiam se præbuit Ludouicus Turingiæ Landgrauius, Elisabethæ S. maritus. Hunc secutus est comes quidam Gleichensis in Turingia, qui, Ludouico Brundusij mortuo, nihilominus iter susceptum continuauit, & à Saracenis captus est. In captiuitate cœpit eum amare filia cuiusdam Baronis, quæ etiam liberationem illi pollicita est, si coniugium ipsi Expeditio Friderici II. Historia comitis Gleichensis bigami.

promittere, & sociam reditus in patriam admittere vellet. Oblatam libertatis spem non negligendam quidem comes duxit, sed domi se reliquisse coniugem ostendit. Puella nihil territa mentione coniugis alteram se velle vxorem esse profitetur. Res venit ad pactionem. Mox ostendit puella elabendi occasionem, & cum nouo sponso iter ingreditur. Ventum est Romam, & à pontifice impetrata absolutio à bigamiæ peccato. Domum vbi rediјt comes, solus primum ad coniugem ingreditur, salutat, & amanter ab ea accipitur. Non multo post quomodo se res habeat exponit, & alteram se adducere vxorem narrat, cuius beneficio salutem & vitam retinuerit. Quod si viuum se libenter ferat, vt Saracenicam vxorem, per quam seruatus sit, vnà ferat, contendit. Hæc lubenti animo se facturam indicat. Statim ergò Saracenica coniunx introducitur, & à Turingica non solum admittitur, sed amatur etiam & colitur. Forma antecellebat Saracenica, sed formam pen-

sabat

ſabat fœcunditas Turingicæ. Erat enim ſterilis Saracenica. Itaq; ſobolem ex conſorte thori conceptam æquè diligebat & fouebat, ac ſi propria eſſet. Hæc ex chronico Turingico. Effigies huius comitis cum vtraq; vxore inciſa lapidi extat in templo montis Petrini Erfurdiæ.

Fridericus autem Imperator in hac expeditione Sultanum eò adegit, vt pace facta Hieroſolymam, Nazaretham, Ioppen, & alia loca ipſi reſtitueret, ac induciæ in decennium inter Christianos & Saracenos paciſcerentur. Ingreſſus eſt igitur Hieroſolymam cum copijs ſuis regio diademate ornatus, & ſine ſanguine confecto bello, domum redijt. Etſi autem ſub his inducijs Chriſtiani paululum reſpirarunt, tamen furor Saracenicus partim fato, partim negligentia, ſocordia, & diſcordia Chriſtianorum indies auctus eſt, nec quieuit, donec Chriſtianos terra ſancta expuliſſet, quod factum eſt anno Chriſti 1289. quo reliquiæ Chriſtianorum miſeræ terra ſan-

Friderici ſucceſſus in terra S.

Exitus Chriſtianorum in Palæſtina.

cta eiectæ in Cretam fugerunt, sed in fuga naufragio perierunt. Quanquam autem Turci Saracenis Orientem eripuerunt, manserunt tamen hi nihilominus in Africæ & Europæ partibus nonnullis longo tempore. Nam ex Granatæ regno Ferdinandus rex anno demum 1492. eos expulit, Mahometicamq; superstitionem aboleuit, ex quo Catholici cognomen deportauit. Marranos verò gentis Saracenicæ reliquias è regno suo Carolus Hispaniarum rex anno 1518. occisis ferme quadragies mille barbaris, eiecit.

Reliquiæ Saracenorum.

Catholicus.

TVRCI.

POstquam Saraceni annis nongentis ferme in Asia & Persia dominati fuerant, Turcorum nomen atq; imperium frequentari cœpit, duce & authore Osmano vel Othomano. Is enim occupata Bithyniæ parte, & locis Ponto vicinis, Turcorum rex I. appellatus est, anno Christi 1300. regnauit annis 28. Huic successit Orchanes filius, Orchani Amurates,

Primus Othomanus.

rates, Amurati Baiazetes, qui Christianos ad Nicopolin vicit, anno 1395. vbi trecenta millia Turcorum, octoginta millibus Christianorum opposita fuerunt: & tamen ex Turcis sexaginta millia, de Christianis verò viginti tantum millia occubuerunt: Sigismundus Vngariæ rex fuga vix elapsus est, duces verò Gallorum maxima ex parte capti. Peperit hanc cladem Christianorum discordia, dum modò Vngari, modò Galli primas partes præliandi sibi arrogarunt. Non multo post Baiazetes à Tamerlane captus, & per ludibrium circumductus est. Pugna ad Nicopolin.

Anno 1398. Cyriscelebes V. Turcorum rex factus est. Post eum frater Mahometes VI. Turcorum rex, Sigismundum in pugna vicit atq; fugauit, sedem regiam in Thraciam collocauit, Macedoniam domuit, & Danubium primus traiecit. Mahometes.

Anno 1419. Amurates VII. rex Seruiam siue Rasciam cepit, & Despotæ Georgij filios duos oculis & pudendis Amurates.

priuauit, Thessalonicam in potestatem suam redegit, sed ab Huniade ex Vngariæ finibus pulsus est. Ab eodem, anno 1443. iterum fractus decennij inducias, traditis quibusdam arcibus, efflagitauit. Sequente verò anno ad Varnam prælio superauit Huniadem, & triginta millia Christianorum cæcidit. Hæc clades Varnensis dicitur, & supra modum fuit miserabilis. Caussa eius absq; vlla dubitatione fuit icti fœderis violatio, quæ impulsu Iuliani Cardinalis facta est. Cum enim commodum videretur Iuliano adoriri Turcas, author fuit Vladislao regi, & Huniadi, vt rupto fœdere, quod vtrinq; iurisiurandi religione firmatum erat, bellum eis inferretur. Ac ne obstare fides hosti data posset, à iureiurando regem absoluit; nullum fœdus valere, inquiens, quod inconsulto pontifice, cum hostibus religionis factum esset. Sic duce Huniade in Turcas itum est, & per VValachiam in Mysiam ventum. Amurates, præter opinionem lacessi-

Clades Varnensis qua ceciderunt triginta Christianorum millia.

cessitus, exercitum centum millium ilico comparauit. Ac cum traijcere Bosphorum Thracium inuitis Genuensibus non posset, pactus est cum illis, vt accepto de singulis Turcis aureo numo, transitum concederent. Quod cum præter spem Christianorum accidisset, territi sunt vehementer tam subito hostis aduentu. Sed congredi tamen & præliari non sunt veriti. In pugna feroci superiores euaserunt Christiani, quod cum vidisset Amurates, fugere voluit, sed retractus in statione mansit, & cruce Christi in Christianorum acie conspecta, vindica, inquit, Christe, si Deus es, hanc Christianorum perfidiam. Mox submisso recenti milite pugnam instaurat, & Christianos in fugam vertit. Vladislaus in pugna equo deiectus obtruncatur, caputq́ hastæ affixum in signum victoriæ ostentatur. Huniades fuga elabitur, Iulianus verò Cardinalis fugiens à latrunculis interficitur, & volucribus, canibusq́ laniandus proijcitur.

EPITAPHIVM VLADISLAI.

Romulida Cannas, ego Varnam clade notaui:
Discite mortales non temerare fidem.
Me nisi pontifices iußissent rumpere fœdus,
Non ferret Scythicum Pannoniis ora iugum.

Scanderbeg.

Fuit in aula Amuratis Georgius Castriotus Epiri & Albaniæ dux, qui à patre obsidis loco traditus ei erat, à Turcis verò ob egregia facinora Scanderbeg, hoc est, Alexander dominus fuit nominatus. Is missus cum Bassa Romaniæ contra Vngaros cum exercitu, vbi Turcorum fortunam inclinatam vidit, ad Vngaros defecit, & literas nomine Bassæ ad magistratus Croiæ vrbis misit, quibus vt Amurati aduentanti portæ aperirentur, flagitauit. Res ex occulto agitur, occisis omnibus, qui obesse conatui posse videbantur. Itaque Croiam venit, & patriam suam magno ciuium gaudio recuperauit. Hic heroica fortitudine sua Turcas ad annos 24. vehementer afflixit, authoritate ita fregit, vt audito saltem nomine illius pauerent.

rent. Dicitur tantum animi & ardoris in eo fuisse, vt pugnanti sanguis è labris eruperit.

Anno 1450. Mahometes VIII. rex Turcarum factus, fratrem suum occidit, & cum patre sepeliuit, Athenas destruxit, Constantinopolin expugnauit, Belgradum adductis 400000. viris, sed irrito conatu oppugnauit, Corinthum, Mytilenen, Eubœam cepit, imperium Trapezunti in potestatem suam redegit, Syros & Ægyptios fudit, Venetis tributum annuum octo millium aureorum extorsit, Hydrũtum superauit. Hic primus Imperatoris Turcorum nomen consecutus est, subiugatis scilicet duobus Christianorum imperijs, Constantinopolitano & Trapezuntino, occupatisq; duodecim regnis & ducentis vrbibus Christianam religionem professis. Mahometes II. Athenæ. Corinth. Trapezun. Primus Turcorum imperator.

Anno 1481. Baiazetes filius Mahometis imperium Turcorum suscepit, & fratrem Zizinum imperij æmulum bello persecutus est. Is primum fugit in Rhodum, inde Romam, vbi pontificis Baiazetes.

iussu extinctus est veneno. Afflixit Baiazetes Christianos ex omni parte, & plurima illis eripuit, Methonem, Naupactum, & alias vrbes & regiones multas.

Selimus. *Anno 1512. Selimus, veneno per Iudæum necato patre in fuga, interfectisq; duobus fratribus, & septem ex ijs prognatis nepotibus, solus ex Othomanica stirpe imperator Turcorum factus est. Vicit in prælio Sultanum Ægypti Campsonem Gaurium à Caierbeio Alepi præfecto nefariè desertum ac proditum.*

Campso Gaurus. *Occubuerunt cum hoc Campsone etiam duo præfecti, Damascenus & Tripolitanus. Venitq; in Turcorum potestatem Syria, Ægyptus & Iudæa. Mamaluci in extrema fortuna stantes ad Tommombeium detulerunt imperium. Sed Selimus victum illum, & fugientem retraxit, cum in Palude latêre se posse sperasset, aquis immersus vsq; ad supremum pectus: Statutumq; ante oculos torqueri iussit, vt Campsonis thesauros indicaret. Sed exsculpi ex eo nihil potuit, præter gemitus horribiles. Itaque impositus mulæ per*

Tommombeius.

vrbem

vrbem Alcairum ductus est, laqueo de collo pendente, manibusq; à tergo reuinctis, & iuxta portam suspensus. Hoc modo Alcarius, seu Memphis à Turcis occupata est, Mamalucięq; compressi & deleti. Selimus verò vltricibus furijs, in eodem loco, quo patrem sustulerat, carbunculo pestilente extinctus est. Alcairus Mamaluci deleti.

Anno 1520. Solymanus Selimi filius imperauit annis 46. Expugnauit Belgradum, siue Albam græcam, Vngariæ propugnaculum anno 1521. cepit Rhodum anno 1552. quam milites Christiani, fratres hospitalares S. Ioannis circiter annos 214. tenuerant: Hi cum frustra Christianorum opem in obsidione diuturna implorassent, deditionem fecerunt, pacti corporum & rerum suarum incolumitatem, quam etiam fide inuiolata consecuti aliam sedem fortunarum suarum quæsiuerunt in Melita, expulsis inde Saracenis, anno 1529. Fortitudo militũ in defendenda Rhodo etiam hosti Solymano admirationi fuit. Capta enim insula & arce magistrum ordinis adduci Solymanus. Belgradum. Rhodus.

adduci in conspectum suum iussit: qui cum planè grandis esset, lacrymasse dicitur Solymannus, misertus fortunæ tanto heroe indignæ. Ludouicum Vngariæ regem anno 1526. in prælio fudit, Budam vrbem regiam diripuit, & bibliothecam pernobilem Matthiæ regis incendit. Viennam anno 1529. oppugnauit, Gunsium terdecies oppugnatum deditione cepit, Taurisium Persiæ ciuitatem occupauit anno 1535. Venetos bellis vexatos pacem redimere coegit, traditis illi trecentis millibus coronatorum, cum duobus oppidis in Macedoniæ finibus. Budam, Pestum, Strigonium. Quinqueecclesias occupauit anno 1541. inuitatus & attractus à monacho Ioannis Vueiuuodæ tutore. Ex filijs suis vnum Mustapham imperio destinauit. At is anno 1548. immatura regnandi cupiditate incensus, Ægyptios & Persas contra patrem incitauit. Iccirco strangulatus est à patre, postquam fauore & clamore exercitus eum excipi animaduertit, iubens præconem ita prædicare: Vnus

Ludouicus Vngar. rex.

Buda.

Mustapha.

Vnus est Deus in cœlo: vnus ergo sit etiam Solymannus in terris Imperator necesse est. Ingemuit tam horrendo fratris interitu minor natu filius. Mox ergo hunc etiam veneno crudelis pater necauit. Tertium, qui confugerat metu ad Persarum regem, retraxit & securi percußit. Reliquus erat vnus Selimus, cui etiam extrema minatus est, nisi solus superesset, anno 1553. Meliten bis oppugnauit conatu maximo, anno 1551 & iterum 1565. incredibili virtute eam tuentibus sacris militibus. Anno 1566. Iulam & Sigetum mortuus in castris perinde atque viuus in decima quarta oppugnatione expugnauit, fortißimè id defendente Nicolao comite Serinio, cui dimicanti in ponte arcis vita erepta est, & caput amputatum, missumq; ad Maximilianum Imperatorem. Compertum est 10000. Ianizarorum in expugnatione Zigeti interrupisse. Mors verò Solymanni 4. dies occultata est in castris.

Anno 1566. Selimus Solymanni filius imperator Turcorum Cyprum eri- Selimus II.

puit Venetis, anno 71. mense Augusto, sed in Octobri eiusdem anni, cum Christianis extrema minitaretur, victus est à classe Christianorum ex Venetis, Hispanis, & Italis conflata ad Echinadas, duce Ioanne de Austria, vbi triginta millia Turcorum cæsi sunt, X. millia in potestatem redacti, triremes 180. captæ. XI. demersæ, & XV. millia Christianorum è seruitute liberati. Anno 72. rursum sociæ classes ad Peloponnesum vsq; peruenerunt Sed impeditæ pluuijs continuis, & alijs incommodis, re infecta, domum redierunt, Venetis pacem cum magno suo detrimento redimentibus.

Amurates III. Anno 1574. Amurates filius Selimi Imperator Turcorum initio regni fratres quinq; occidit, homo mollis & voluptuarius. Regnum Tunetanum cepit, & Golettam solo æquauit. Cum Persis bellum gerit acre per duces suos, de quo mox in Persicis rebus. Circumcidit filium suum Mahometem annis 15. natum, inuitatis ad illud spectaculum regibus & principibus præcipuis, Persarũ

Gallo-

Gallorum, Romanorum, Polonorum, Venetorum, & aliorum, qui legatos suos eò miserunt anno 1582. Habetur in vaticinijs orientis hoc etiam, imperatores ex Othomanica stirpe supra quatuordecim non esse futuros; qui numerus iam penè completus est. De Constantinopoli etiam prædictum est, eam post annos 150. à captiuitate in libertatem vindicatum iri. Incidunt etiam in imperio Turcico varia ex religione dissidia. Anno 1502. quidam Elias propheta Persicus supra centum quinquaginta hominum millia in suam religionem illexit, vt castra ipsius, quæ ornatißima erant, sequerentur, omniaq; communia inter se haberent. Rumor de eo Turcicum imperatorem adeo conterruit, vt Constantinopoli supra ducentas domos vnà cum habitatoribus iusserit cremari. Anno verò supra millesimum, quingentesimum septuagesimo tertio paßim per Anatoliam aliquot millia Turcarum se ad religionem Persicam inclinarunt. Estq; ea opinio sine

secta

secta eò vsque progressa, vt Constantinopoli etiam applausum inuenerit.

PERSÆ.

Quæ aut qualis religio fuerit, & adhuc sit in regno Persico, in oratione de statu Ecclesiæ in Persia exposui. Hîc præcipua tantum acta, instituti mei tenendi causa attingo. Prosperi hactenus fuerant Saracenorum successus, qui non solum Assyriam totam, sed traiecto etiam Euphratis fluuio, Edessam, Constantiam & alias vrbes suo imperio subiecerant. Continuò etiam Persici regni habenas, interfecto illius rege Hermisda in prælio consecuti erant. Vnde non tam religio, quàm nomen etiam ipsum Saracenorum ad Persas translatum est, vt pro Persis Saraceni appellarentur. Fuit autem primus Agarenorum siue Saracenorum in Perside Calipha de Mahometi progenie, qui sedem imperij sui in vrbe Baldac habuit. Deinde Turci, superatis & expulsis Saracenis, regnum Persicum occuparunt, & primus Turcorum Sulta-

Primus Calipha, h.e. generalis dominus Saracenorum in Persia.

nus siue Imperator summus in eo factus est Tangrolipix, qui circa Christi annum 1048. Constantino Monomacho imperatori Constantinopolitano bellum intulit. Turcos rursus eiecerunt Tartari circa annum 1258. duce Mango Can, qui cum fratre suo Haolono Christianam religionem in totum Persarum regnum importauit. Tartaros profligarunt Parthi, auctore Gempsa, circa annum salutis 1350. qui Persia potiti Mahometanam superstitionem iterum in regnum inuexerunt. Post Parthos regnum Persiæ inuasit & occupauit Tamerlanus Scytha, obtruncato illius rege cum filijs & cognatis, ne quis regni æmulus existere posset, circa annum Christi 1400. Scythas seu Tartaros rursum expulit Aßimbeius Vsumcassanes ex Turcica stirpe Armeniæ, Cappadociæ, & aliquot vicinarũ regionum Dominus. Hic, deuicto in acie Tzanise, qui Persarum regnum, occiso Tamerlani nepote Tzochio tenebat, imperium occupauit, circa annum Christi 1470. & ad Turcos transtulit. Quanquã

Primus Turcorum rex in Persia.

Tartarorum regnum in Persia.

Parthi.

Tamerlanus

Asimbeius.

alij memorant Aßimbeium fracto & oppresso Malaonchre ex vetusta Gempsæ prosapia rege, Persarum regnum in se transmouisse. Decertauit is prælio cũ Mahomete Turc. Imp. ad Euphraten fluuiũ, in quo Turca sexies mille & octingentos Persas cepit, & in reditu, vbicunq; statiua habuit, quadringentos per diem gladio secari iußit, inhumatosq; abijci. Vnde Armenia tota cadaueribus repleta est.

Ismael Sophus.

Anno autem 142. Ismael Sophus alio nomine Siach Ismael, quod est propheta Ismael, deletis aduersarijs, regno Persarum potitus est. Propheta is fuit Mahometanus, qui nouæ sectæ Mahometicæ à Turcica dißidentis author extitit, & vnà cum religione etiam odium capitale inter Persas ac Turcos suscitauit. Hinc factum ; vt secta alia Arabica appelletur, ea scilicet ; quam tuentur Turci, alia Persica, quàm sibi vendicant Persæ. Fuit autem tanta authoritas Ismaelis, vt exercitum compararit, centum & quinquaginta armatorum. Hoc adortus Turcas acerrimè cum ijs conflixit.

Duæ sectæ Mahometicæ, Arabica & Persica.

Huic

Huic in regno successit Tammasus filius, qui cum Solymanno de summa rerum decertauit. Ac primum quidem licet tempestas sæua cladem magnam attulerit Turcis, tamen Babylonia & Assyria potiti sunt, anno Christi 1534. Deinde Taurisium diripuerunt. Sed non multo post mutata fortuna, à Persis cæsi sunt intempesta nocte, vt vix Bassæ euaserint. Hac clade ita conterritus fuit Solymannus, vt omnem curam & cogitationẽ renouãdi belli contra Persas abiecerit. Fuerat autem suasor huius expeditionis Habraymus Vesirius, hoc est, vicarius seu locum tenens, & Bassa primarius. Iccirco purpuratorum inuidiæ & odij offensio in eum excitata est, commotaq; suspicio, quasi Christianorum rebus faueret. Promiserat autem Solymannus non esse occisurum illum, quoad viueret. Itaq; ad cœnam vocauit, eaq; peracta, cum cubitum ire iussisset, dormitantem in cubiculo iugulandum curauit, tradito carnifici de manu sua cultro adunco. Hoc modo

Tammasus.

Hebraymus Vesirius.

Calumniosa interpretatio datæ fidei.

nihil se contra fidem datam fecisse existimauit, quod in somno, qui morti similis est, eum obtruncasset. Pecuniam verò eius omnem in fiscum retulit, vix dote aliqua miserrimæ coniugi relicta.

Baiazetes Solymanni filius cum fratre Selimo de regno dimicans, & victoriam penè desperans, ad regem Persarum cum apparatu bellico profugit. Hunc bello persequens Solymannus, cum Persis iterũ acie dimicauit, & clade magna affectus est. Adiuuit Persas in hoc prælio Lusitanus rex missis subsidio decem Hispanorũ millibus, & viginti tormentis bellicis. Ceciderunt autem ferme centum & triginta millia in Turcorum exercitu, complures vulnerati sunt, & inter eos etiam ipse Solymannus. Alius Solymanni filius Mustapha ex vxore Rossa natus itidem ad Persas confugit. Quæ res patrem ad nouũ bellum Persis inferendum impulit. Duxit ergo contra eos quingenta armatorum hominum millia & etiam fudit. Mustapha verò, intercedentibus pro eo quibusdam purpuratis, vbi fidem à patre accepit, in

Clades Turcorum.

Mustapha suffocatus a patre.

castra

castra ad eum rediјt inermis, candidum habitum gerens. Ibi ad osculandum patris manum contendens, iussu eius abreptus est, à mutis atq; Eunuchis, & iniecto in collum eius neruo Turcico, suffocatus.

Rursus Helcas Tammasi frater ad Solymannum defecit, vnde nouum bellum exortum est, in quo Persarum nouem millia trucidata sunt. Sublato è rebus humanis Solymanno legationem misit Tammasus ad Selymum de pace. Interim cum Cyprum Venetis eripere studeret Selymus, legatum miserunt Veneti ad Tammasum, & inuadi Selymum communem hostem ab eo petiuerunt. At Tammasus bella fugiens in aciem non libenter prodiјt. Iccirco regnante eo, Assyria, cum Babylonia & Mesopotamia amissa est. Et successit Ismael II. Ismaeli Hodabendus, qui vt tutò regnum administrare, idq; in pristinam dignitatem atq; amplitudinem restituere posset, fratres tres trucidauit, & omni cura cogitationeq; in bellum Turcicũ incubuit. Conduxit ad id etiã Scythas, quos Turci repudiarant.

Helcas.

Hodabendus lingua Persica seruum Dei.

Victoria Hodabendi. diarant. Primùm quidem manus conseruit cum Amuratis copijs ad Esdrum anno 1577. & multa millia cæcidit, complura cepit. Hæc victoria animos Persarum erexit, & spem attulit dignitatis recuperandæ. Itaq; multi populi ad eum sese aggregarunt, & sponte partes imperiumq; illius secuti sunt. Turci verò vt à metu & angore populum auocarent, & ad spem aliquam erigerent, capita, aures, & nasos multos Turcorum Bysantium attulerunt, & Persis abscissos esse dixerunt: addiderunt quoque commentum de morte Hodabendi, & de successore eius pacem petente. Imperator exercitus Othomanici erat Mustapha. Is simulauit, omißis Persis, Georgianis bellum esse inferendum, propterea, quod à Turcis ad Persarum fidem confugissent. Interim nihilominus in Persas iuit, & prælium acerrimum commisit, in quo circiter septuaginta millia Turcorum cecidisse perhibentur. Deinde reliquias belli persecuturus, Scythas ad irrumpendum in fines Persarum impellit,

Alia victoria.

pellit, ipse verò ex alia parte eosdem inuadit. Persæ edomitis Scythis, cum Turcis iterum acie decernunt, & ferme octoginta millia eorum occidunt: ipsi quadraginta quatuor millia amiserunt. Hinc Georgiani ad Persas se applicarunt, & cum ijs damna grauißima Turcis intulerunt anno Christi 1578. Non multo post de improuiso adorti eos, stragem ingentem hominum, pecudum, camelorum, & multorum ediderunt. Inde in terrorem coniecti Turci à Scythis & Tartaris se iuuari petiuerunt, qui etiam auxilio eis venerunt. Rursum ergo pugnatum est summa contentione, sed Marte dubio discessum.

Erat tunc omnis penè decertatio de Media, quam Persæ tenebant, & tradi sibi Turcæ postulabant. Mittebantur ea de re legati Persici Byzantium, sed frustra. Itaq; mox bellum redintegratum est, & Turci quidem, duce Sinamobassa munitiones excitarunt Persis oppositas: sed hi à Georgianis adiuti eas diruerunt: nec bello tantum, sed etiam fame & pe- Caussa belli tam diuturni inter Persas & Turcos.

Turci iterum cæsi.

ste laborare cœpit Othomannicus exercitus. Itaq; congredi acie cũ Persis aliquantisper recusauit, donec improuiso ab illis oppressus cæderetur. Crebri sunt conflictus inter Persas & Turcos, quibus tamen fortunæ inclinatio magna ex parte ad Persas imcumbit. Cuiusmodi nuper etiam inter eosdem commissum est prælium valde cruẽtum, in quo Osmanus Turcici exercitus Imperator, amißis ferè quadraginta millibus, multisq; captis & vulneratis, vix fuga elapsus est: vel, vt alij scribunt, cum proceribus plerisq;, tormentis maioribus, pecunia, supellectile, tentorijs, & impedimentis, in Persarum manus venit. Anno supra millesimũ quingentesimum octogesimo sexto iterũ biduo dimicatum est, & vtrinq; multa millia cæsa. Anno 1586. Tauris quondam Ecbatana dicta, & sedes regia à Turcis est iterum occupata, & miserrimum in modum direpta. Sic in vltimos recessus Asiæ compulsi Persæ ægrè reliquias sui regni tuentur.

Literæ regis Persarum.

Extant literæ Hodabendi regis Persici

ſci datæ ad Hiſpanorum regem Philippum, anno 1584. quibus amicitiam & fœdus aduerſus communem hoſtem imperatorem Turcicum petit: tum quomodo hactenus eum oppugnarit, & deinceps oppugnaturus ſit, donec debellarit, & toto Oriente expulerit, cõmemorat: orans, vt & ipſe ex Arabia eum eijciat, ac Damaſcũ Ægyptũq; occupet, Græcia deniq; tota canem iſtum Turcicũ exterminet. ad Hiſpanum. *Conſentaneum eſt, vtranq; partẽ iam tot prælijs fractã & debilitatã pacem votis ſummis expetere, ſed concedere de ſuo iure neutram velle. Etſi igitur pax interdum eſt, fiducia tamen pacis nulla eſt.*

TARTARI.

Græci Tartaros vniuerſos veteri nomine Scythas appellant, gentes ſcilicet Septentrionales in Aſia extra & intra Imaum montem. Nomen quidem hebræum eſſe videtur, in qua lingua Totharim ijdem ſunt, qui relicti. Vnde quidam opinati ſunt, Tartaros eſſe Iudæos, qui regnante in Perſia Cyro, remanſerint in captiuitate, cæteris in patriam redeuntibus.

alij colonos esse putant earũ gentium, quæ Alexander magnus quondam inter Caspios montes duplici portu occlusit. Vnde egreßi Georgianam, deinde Armeniam maiorem, & Persiam subiugarunt, & Asiam quoq; populati sunt. Sed quicunq; sunt, à Magog ortos esse manifestũ est. Prima eorum irruptio in Europam facta est imperante Constantinopoli Caloioanne, quando tantis agminibus in Thraciam Macedoniãq; inuolarunt, vt locustarum more omnia obruerẽt atq; fastarent. Mechouius quidẽ scribit, ignotã fuisse Tartarorum gentẽ, vsq; ad annũ Christi 1212. quo primũ ab Indiæ montibus egressa non longè à Meotide palude sedem collocarit, & Ruthenos prælio superarit.

Caloioannes imperare cœpit anno Christi. 1118.

Primus eorum imperator Changius appellatur, quæ vox ab Hebræa Choan videtur nata, quæ Prophetam significat. Huic succeßit Hoccata filius, qui tres filios suos tantis copijs instructos emisit, vt vnus ad Occidentem, alter ad Septentrionem, tertius ad meridiem loca munitißima inuaderet. Ipse verò Orientem

Changius.

Hoccata.

tem adortus est. Hinc adeo factum est, vt Parthiam, Mediam, & alia multa Tartari occuparint, & Turcis ipsis regnum ademerint. Haolonus verò Tartarus toto etiam Persarum regno potitus est, Babyloniam, Edessan, Alepum, Antiochiamq́; expugnauit. Neque hic tantum Saracenorum regnum, sed cum eo etiam idolatriam eorum in Persia deleuit, & Christianam religionem importauit, circa annum Christi 1250.

In Europam verò infusi sunt Tartari circa annum Christi 1240. & primum in Græciam inuolarunt: sed inde pulsi ab Alexio Imperatore, in Rußiã & Moscouiam belli impetum conuerterunt. Sequẽte anno agmine tripartito irruerunt in Vngariam, Moscouiam, Poloniam & Silesiam, vbi etiam Henricum pium Silesiæ ducem ad Lignicium occiderunt. Henricus Sil. dux.

Comparauerat is exercitum triginta millium hominum, quem opposuit penè innumerabili hostium multitudini. Cum Lignicio egressus est, tegula ex templo S. Mariæ lapsa penè caput eius fregit. In

prælio

prælio ita se tractauit, vt ad eripiendam patriam ex flāma & vastitate, quæcunq; ipsi fortuna proponeretur, paratū animū haberet. Diu itaq; hostem ferocientem repreßit, sed tandem vel multitudine circumfusus, vel strategemate delusus occubuit. Audita enim fuit vox equi ignoti latera exercitus obeuntis & clamantis: Fugite, fugite, qua velut panico terrore perculsus est exercitus pius. Aiunt etiam iactatum esse à Scythis in vexillo depictum caput hominis monstrosi fumos & halitus eructantis, cum fœtore teterrimo. Victores Tartari caput principi amputant, & hastæ infigunt ad ostentationem, Ligniciū incendunt, & victis à se occisisq; tot auriculas abscindunt, vt saccos nouem grandes expleant. Quibus peractis in Vngariam reuertuntur.

Incantationes Tartarorum.

Anno 1287. Tartari iterum Poloniam incursione vastarunt, direptis & expilatis templis cœnobijsq;, & præda ingenti abacta, cum 21000. virginibus, vt Mechouius ait. Anno autem 1268. à Sultano Ægypti tota Syria expulsi

pulsi sunt, quam tametsi victo Sultano, recuperarunt, tamen paulò post iterum amiserunt. Sed anno 1300. Cassanus Tartarorum rex Syriam iterum inuasit, & Damascum, magnamq; partem Syriæ, tum Hierosolymam etiam ipsam, vt Palmerius ait, recepit. Postquam verò annos 128. in magna fortunæ varietate in Asia imperarunt, à Turcis & Parthis exclusi sunt.

Tamerlanus

Anno 1398. Tamerlanus subitò emersit, cum infinita penè armatorum multitudine in Asiam descendens, vbi occurrentem sibi cum exercitu Baiazetem Turcorum regem ad Stellam montem prælio vicit, ad ducenta Turcorum millia cæcidit, & Baiazetem ipsum cepit. Captum verò aureis catenis constrinxit, caueæq; inclusum per Asiam secum circumduxit, vt pro scabello, quoties equum ascenderet, eo vteretur. Mira fuit huius Tamerlani felicitas & immanitas. Nam & Mediam Persiamq; obtruncato rege earum armis subegit, & Mesopotamiam, Armeniamq; inuasit: & supra

& supra hominum sortem conditionemq́; sese extulit. Ita enim familiari cuidam interroganti, cur tanta vteretur crudelitate, furens & sæuitiam anhelans respondit: Falleris, si me hominem esse putas, ira Dei ego sum, & orbis vastitas: caue ne me posthac percuncteris, nisi pœnam velis subire. In vrbium obsidione prima die tentorium album fixit, & qui tunc deditionem faciebant, his salutem dabat. Secunda rubrum, quo moriendum patribus familiarum significabat. Tertia nigrum, quo extremum excidium atq; exitium minabatur. Curriculum eius non admodum fuit longum, sed hoc breui tamen spatio vim terroremq́; terrarum orbi magnum iniecit. Post mortem verò eius regna & prouinciæ, quas occupauit, ad priores suos dominos redierunt, & vt terrori mortalibus fuit viuus: ita terroribus vmbrarum & fremitibus horrendis sepulcrum eius circumsonuit.

Est autem ad hoc vsque tempus Tartarorum imperiū potens & amplū.

Princeps

Princeps eorum, qui Tartariam magnam, quæ & Scythia interior dicitur, incolunt, appellatur Magnus Cham. Regnum verò eius Cathay vocitatur, quod ad Orientem extremum extenditur. Tartariam verò minorem, quæ & Taurica Chersonesus appellatur, inter pontum Euxinum & Meotidem versus Ortum, vsque ad Bosphorum Cimmerium porrecta, Turcicus Bassa Osman, anno 1584. ex Persico bello rediens, occupauit, & in ditionem siue prouinciam Turcicam redegit. Crimæi porro Tartari versus Boream inter Borysthenem & Tanaim liberi & prope inuicti multis seculis anno demum 1584. in Turcarum manus potestatemq; venerunt. His Poloniæ reges tributi nomine annuatim pendunt ad 40000. Vngaricos. Præter hos sunt Tartari Cassanenses ad fluuium Volgam, qui Moscouiæ duci Magno parere recusarunt. Ex quo bella magna orta sunt, sed tandem anno 1551. Ioannes Moscouitarum dux vrbem eorum Ca-

Magnus Cham.

Tartaria minor.

Crimæi Tartari, siue procopenses

Cassanenses.

zanum

zanum expugnauit; & totum regnum sibi subiecit. Religionem habent cum Turcis communem: idola tamen colunt.

VNGARI.

Stephanus.

ANno Christi 1002. S. Stephanus Geysæ religionis & fidei Christianæ in Vngaria authoris filius, consentientibus ordinum suffragijs, Vngariæ rex salutatus est, & à Papa Romano confirmatus: Metropolitanam ecclesiam, Strigoniensem, & Colocensem Basilicam fundauit, aliaq; templa passim extruxit, & locupletauit. In quo quidem pio & honesto proposito non parum ab Adelberto episcopo Pragensi confirmatus est. Dicitur accepisse à pontifice Romano insigne crucis geminæ, quo significatum est, eum regem & apostolum Vngarorum esse. Vicit ducem Simigiensem, item Bulgarorum & Sclauorum: Transyluaniæ verò principem cepit, prouinciamq; eius Vngariæ regno adiunxit.

Transylvania adiuncta Vngariæ.

Petrus Alemanus.

Anno Christi 1038. Vngariæ rex

factus

factus est Petrus cognomento Alemanus, qui cum crudeliter multa egisset regno pulsus est, in locumq́ eius substitutus Aba. Petrus verò ad Henricum III. Imperatorem confugit, qui profectus in Vngariam cum exercitu illum restituit; Abam verò res nouas molientem non multò post armis imperata facere coëgit. Cum autem nec tum fidem seruaret, denuò illum aggressus Henricus, regnum ei abrogat, & Petrum in sede regia collocat. Tandem Aba occisus est; Petrus verò oculis effossis in vincula coniectus, non multò post è vita exijt. Interim Vngari tumultuantes, à fide Christiana deficiunt, eamq́ profitentes insectantur & occidunt, regem nouum sibi deligentes Andream, anno Christi 1047. Hic tumultus denuo in Vngariam attraxit Imperatorem Henricum. Sed cum, reiecto Andrea, Belam eius fratrem pleriq́ in regno anteferrent: misit rex Andreas coniugem suam cum filio Salomone ad Henricum Cæsarem, muneribus multis adferendum

Aba.

Vngari deficiunt a fide Christi.

Andreas.

sibi auxilium inuitans. Cæsar itaq; misit exercitum geminum, quorum alteri Guilelmus Turingiæ marchio, alteri Bauariæ dux præfuit. Sed cæsus est vterque. Bela verò ad regnum euectus, capto Andrea, qui paulo post mortuus est. Triennio post Bela etiam sublatus est,

Salomon. & in locum eius substitutus à Cæsare Salomon Andreæ filius, qui ad annos tredecim pacem in regno, authoritate Cæsaris Romani, cuius gener erat, conseruauit.

Geysa. Anno autem 1074. Geysa Belæ filius hunc Salomonem ter in acie superauit, & regno expulit, quem Cæsar restituturus in Vngariam venit, sed regnum nihilominus Geysa obtinuit.

Ladislaus. Anno Christi 1077. Ladislaus frater Geysæ rex designatus est. Gessit bella contra Tartaros, & Croatiam, Dalmatiamq; ad Vngariæ regnum adiecit, Ad extremum iturus ad bellum sacrum contra Saracenos, mortem obijt. Ei anno Christi 1095. sucessit Colomanus, qui iniquus & crudelis in suos multis incommodis regnum affecit,

cit, fratremq́ suum Almum insectatus est hostiliter. Is verò ad Henricum V. Imperatorem confugit; qui etiam patrocinium eius suscepit. Interim Colomanus cum Boleslao III. Polonorum rege contra Cæsarem fœdus fecit. Et desponsa est Boleslai filia Stephano Colomani filio, eiq́ dotis nomine comitatus Scepusiensis tributus. Hic ergo Boleslaus auxilia Colomano ad oppugnandum Cæsarem misit. Cæsar verò, omissa Vngaria in Poloniam belli impetum conuertit. Sed anno 1113. iterum in Vngariam venit Cæsar, & dimicantes de regno fratres sic conciliat, vt Colomanus regnum, Almus verò ducatum obtineat: quæ tamen pacificatio paulo post rescissa est. Colomanus.

Anno 1117. Stephanus Colomani filius inauguratur & regnat annos 19. cognominatus est fulmen, quod nihil consilio, sed subitò animi impetu omnia gereret. Ad extremum à regno descendit ad monasterium, ibiq́ mortuus est. Stephanus.

Anno 1135. Bela appellatus cæ- Bela cæcus.

cus, cui oculum eripuerat Almus, fasces consecutus regnat annos 12. Post Belam Geysa II. annos 20. Hic repressit Teutones & Saxones in Vngariam irruentes, & cum pietate magna vitam transegit. Anno 1165. Stephanus III. rex declaratus regnat annos vndecim, menses octo. Inuaditur quidem à Ladislao Belæ filio, sed se regnumq; ab eo defendit. Stephano mortuo ad regni fastigium elatus Bela III. Stephani III. frater regnat annos 523. Eijcit fures & latrones, quibus regnum horribiliter infestabatur. Post Belam regnat Emericus annos octo. Post Emericum Ladislaus menses sex.

Geysa II. Stephan. III. Bela III. Emericus.

Andreas II. *Post Ladislaum regnat Andreas II. cuius filia sancta Elisabetha Ludouico Turingiæ Landgrauio nupta fuit, annos 31. Cognominatus est hic Hierosolymitanus, eò quod in expeditione in terram S. cum Friderico II. Imperatore alijsq; Christianis principibus, victo in acie Sultano, triumphum gloriosum consecutus est. Postea verò redeunti in Palæ-*

stinam ad continuandum sacrum bellum, casus tragicus domi accidit. Nam vxor eius Gertrudis fratri suo, qui ex Germania aduenerat, vxorem Banchacani, cui vices suas rex in absentia commiserat prostituit. Banchacanus ergo dolore iusto incensus, reginam obtruncat; cædisq; à rege absolutus est. Author est hic Andreas priuilegiorum, quibus libertas Vngaricæ nobilitatis continetur, & quæ iureiurando confirmare omnes consequentes reges solent.

Casus tragicus.

Priuilegia Vngaricæ nobilitatis.

Anno Christi 1238. Bela IV. Andreæ filius regnat annos 47. Pulsus à Tartaris, qui miserabiliter regnum vastabant, post triennium, ope Rhodiorum militum, & Frangepanum comitum regnum recuperat. Post eum regnat filius Stephanus annis duobus. Is Othocarum Boiemorum regem domat, & Bulgarorum regem cum Mysia vniuersa tributariam sibi facit.

Bela IV.

Stephanus.

Anno 1277. Ladislaus IV. Stephani filius regnat annis tredecim, interficitur in castello Kereszeg. Post

Ladisl. IV.

Andreas III. *eum verò Andreas III. nepos Andreæ II. annis vndecim, qui Austriam in potestatem suam redigit.*

VVencesl. *Anno 1301. VVenceslaus vel Ladislaus regis Boiemiæ filius, quem pater non multò post propter dissensiones Vngarorum cum exercitu in Boiemiam vnà cum corona Vngariæ reducit. Itaque alium regem sibi deligunt Vngari, Bauariæ ducem Othonem,* Otho. *qui regnat pene annos quatuor. Captus is à Ladislao Transyluaniæ Vayuoda in carcerem detruditur. In eius locum surrogatur, anno Christi 1310.* Carolus I. *Carolus I. Caroli Martelli filius, qui regnum ita dilatauit, & amplificauit, vt Dalmatiam, Croatiam, Seruiam, Rußiam, Bulgariam, Bosnam, & alias regiones complexum sit. Tandem Felicianus quidam aulicus mensæ aßidentem, in arce VVeissegrad, cum vxore & liberis in die Paschatis obtruncare conatur.*

Ludouic. I. *Anno Christi 1242. Ludouicus I. Caroli filius regnat annos 40. domat Muldauos & Rutenos, ex Vngaria Iudæos*

daos pellit, Comanos ad fidem Christianam conuertit, Apuliam, eiecto Ludouico Tarentino, occupat, sed petentibus legatis pontificijs, de ea iterum concedit. Post eum anno Christi 1382. ad regni fastigium euecta est Maria filia. Maria. Sed contra eam electus est Carolus II. Carolus II. rex Neapolitanus, quem Elisabetha Mariæ mater ad colloquium clandestinum euocatum improuiso occidendum curat. Qua re offensi Vngari, matrem cum filia capiunt, ac matrem quidem in vicino flumine suffocant, filiam verò custodiunt, quoad veniat sponsus eius Sigismundus, qui à cunctis ordinibus rex salutatur anno 1381. Sigismundus Caroli IV. filius 30. rex Vngar. Hic postea rex Romanorum declaratus, vtrumque imperium Romanorum & Vngarorum magna dexteritate gubernat. Cum Baiazete ad Nicopolin infeliciter pugnat & ob acceptam in ea pugna cladem, à proceribus in custodiam datur. Vnde tamen non multò post emissus grauiter in factiosos animaduertit. Rusticorum motus sedat, pœna de authori-

bus sumta. Albam Græcam voluntaria traditione accipit à Georgio Despota Rasciæ, cui is vicißim dat arces & oppida quædam in Vngaria, cum domo preciosam vrbe Buda. Regnat in Vngaria annos 51.

Albertus. *Anno 1438. Albertus Austriæ archidux gener Sigismundi, vno eodemq́ anno rex Vngariæ & Boiemiæ, tum etiam Romanorum Imperator creatus, non integro regnat biennio. Vxorem relinquit*

Ladislaus. *grauidam, ex qua nascitur Ladislaus Posthumus. Etsi autem Vngari Vladislao Polono coronam obtulerunt: tamen vix natus infans Ladislaus Posthumus rex designatus est, cum nondum mensem quartum compleuisset. Hic à matre in Austriam missus est cum corona ad Fridericum III. Imperatorem con-*

Vladislaus. *sanguineum. Vladislaus verò nihilominus alio diademate coronatus in Vngaria regnat. At Iohannes Huniades VValachus, Transyluaniæ Vayuoda, humili loco natus, sed animo magno & excelso præditus, prorex seu gubernator Vngariæ pro*

Ioannes Huniades dictus Coruinus a paterno pago in quo natus fuit.

pronunciatur. Georgius verò Podiebracius rei militaris scientia, fortitudine, & felicitate antecellens, Boiemiæ gubernator deligitur, qui Pragam, & Boiemiam totam in potestatem suam redigit. Huniades verò Vngariam & Transyluaniam vastantibus Turcis fortiter resistit, ipsumq; ducem atque exercitum eorum anno 1441. delet. Sequente anno redeuntem exercitum Turcicum cum duce cædit. Quadragesimo autem tertio supra millesimum quadringentesimum anno, cum rege Vladislao, in Turcas irruptionem facit, iterum eos vincit, itaq; frangit & comminuit, vt pacem petant, & Bulgaria cedant. Verum rupta hac pace suasu Iuliani Cardinalis, ad Varnam cladem miserabilem Christiani accipiunt, in qua etiam occumbit Vladislaus rex. Regnum igitur ad Ladislaum Posthumum quinquennem redit. Interea Huniades regni gubernator contra Turcos exercitum 22000. hominum ducit, & strenuè quidem dimicat, sed multitudine hostiũ

Podiebrac.

Clades Varnensis.

Varna vrbs non procul ab Adrianopoli.

circumfusus, in fuga subsidium sibi ponit. Quo pacto autem Vngari coronam à Friderico imperatore repetiuerint, supra in historia Friderici commemoratum est.

Ladislaus rex anno 1454. etiam Boiemiæ rex inauguratus, sequente anno Vratislauiam venit, vbi cum in natali Christi cum Podiebracio sacris interesset, quidam stultitiam simulans compellauit Podiebracium in hunc modum: quo vultu sacra nostra respicias plane aduerto: animum non intueor. Dic quæso, qualis tibi nostra videatur religio? vide qua conscientia, relicto catholicæ religionis consensu, Hussitas sequaris. Cui Podiebracius, siue tua hæc sunt verba, ait, siue aliorum, qui te subornarunt, responsum hoc à me habe: Ecclesiasticas ceremonias pro sua quisq; fide gerit: sacrificia facimus, quæ credimus Deo grata, neq; nostri arbitrij est, credere quod volumus. Et cætera, quæ commemorat Æneas Syluius.

Responsum Podiebracij vere Christianum.

Erant tunc duo in primis potentes

& clari

& clari viri, Vlricus Ciliæ comes, & Eitzingerus. Comitem in inuidiam adduxit Eitzingerus, cumq́ graues de eo querelæ nobilitatis in Austria essent, aula illi interdixit Ladislaus. Eitzingerum vicißim barones Austriaci apud regem criminantes, gratia omni spoliarunt. Itaq; hic in exilium proijcitur, ille ab exilio reuocatur: quæ vicißitudo odij & gratiæ in aulis perpetua est. Huniades autem ad extremum conflixit cum Turcis ad Albam græcam, quam cum cinxissent Turci, ille cum Capistrano & cruciferis strenuè eos repulit, & cum dedecore in fugam se conferre coegit. At vno anno post nempe 1456. è vita exijt, non sine veneni suspicione, à comite Ciliæ propinati. Quamobrem cum Ladislaus Albam græcam venisset, inspectandi caussa locum prælij & castra Turcorum, filius Huniadis Ladislaus comitem Ciliæ occidit, rex verò interfectorem, Budam reuersus, gladio multauit. Fratrem verò eius Matthiam in Boiemiam, ve

ibi

Comes Ciliæ.

Eitzinger.

Huniades.

Coruinus & Capistranus duo duces quorum alter oratione alter manu strenue dimicauit. Sed plus valuerunt diuinæ quam humanæ vires &c. Bonfinius.

ibi custodiretur, misit. Fuit autem Huniadis nomen adeo terribile Turcis, vt cum parentes liberos plorantes compescere voluerunt verbis, Huniadis præsentiam illis minati sint. Certè Ladislaus rex crebris sermonibus hoc vsurpauit: Huniades Vngariam Christo, & mihi regnum seruauit.

Encomium Huniadis.

Anno 1458. Matthias Ioannis Huniadis filius annos tredecim natus, ex custodia Georgij Podiebracij gubernatoris Boiemiæ 50000. florinis liberatus, rex Vngarorum designatus est. Contra eum ab alijs eligitur Fridericus Imperator, qui etiam accipit delatum ad se regnum. Ex quo bellum graue oritur.

Matthias Huniades.

Boiemiæ rex eodem anno designatur Georgius Podiebracius, Hußitarum patronus, rei bellicæ laudibus florens, coronam verò regni Vngariæ detinuerat Fridericus Imperator annos 24. Sed anno Christi 1464. regni verò Matthiæ sexto, restituit.

Podiebracius Boiemiæ rex.

Operam potuisset nauare Matthias præcla-

præclaram & salutarem patriæ, orbiq; Christiano, si ab intestinis bellis abstinuisset, & vires ad hostium externorum perniciem conuertisset. Primum ex regno Bosna Mahometum eiecit, regnumq; ipse occupauit. Deinde impetum fecit in Morauiam, Boiemiamq; absente Cæsare horrendum in modum populatus est, ac eò rem adduxit, vt rex Boiemorum in Morauia renunciaretur. Vratislauiam postea ingressus, à principibus Silesiæ octodecim salutatus est, tum ab Alberto Marchione Brandepurgico, qui cognominatus fuit Achilles Germanicus, exoratus, vt Lignicensem ducatum Friderico I. concederet. Inde ciuitates Silesiæ fidem ei dederunt.

Res gestæ.

Albertus Brandepur. Achilles Germanicus.

Boiemi verò, mortuo Podiebracio, contra Matthiam designarunt regem Vladislaum, Casimiri regis Poloniæ filium, qui etiam Pragæ coronatus est, anno 1471. Mox Vngari quoq; alium regem sibi deligunt Casimirum Poloniæ regis filium, qui tamen, deficientibus ab eo Vngaris, in Poloniam redire coactus

Ladislaus Boiemiæ rex.

actus est. Interim in Silesia, dißidentibus inter se fratribus Ioanne & Balthasare Sagani ducibus, venditur à Ioanne ducatus Saganensis Ernesto Saxoniæ duci Electori, & fratri eius Alberto florinis Vngaricis 55000. Inde mansit in potestate ducum Saxoniæ ducatus ille ad annos septuaginta septem.

Ducatus Saganensis.

Anno 1474. Vratislauiam obsedit, postquam cognouit Casimirum Polonorum regem cum filio Vladislao Boiemorum rege ad vastandam Vngariam exercitus numerosos comparasse, paucis post diebus eodem veniunt Poloniæ & Boiemiæ reges, castraq́ ad vrbis agrum ponunt. Cum autem Polonorum ac Boiemorum copiæ maiores essent multò, quàm Vngarorum, ad prælium ventum non est, sed tumultuariæ tantum pugnæ frequentes commissæ sunt. Aiunt toto obsidionis tempore portam ciuitatis nullam fuisse clausam. Cum igitur aperto Marte efficere nihil posset Matthias, Stephanum de Zapolia, cum equitatu expedito in Poloniam misit, vt ferro igneq́

Vratislauia obsidetur a tribus regibus.

omnia popularetur. Quæ res caussam dedit regibus, vt pacem expeterent, quæ etiam, data acceptaq; ab omni parte publica fide, facta est, & promulgata.

Dicuntur in hoc trium regum bello laborasse sedulò Saxoniæ duces, Ioannes & Ernestus, tum Ioannes etiam Brandepurgicus, vt concordia constitueretur. Idq; tam orationis bonitate, quàm belli denunciatione, vt cum caduceo hastam monstrasse videantur, ad vetus Atheniensium exemplum in bello Pelopennesiaco. Adduxerunt enim equitum sex millia, & ad ineundam pacem reges hortati sunt, profitentes sese hostes esse futuros ei, qui accipere pacem recusaret. Verbi dux fuit Marchio Ioannes, cuius præter cæteros nobilitata fuit eloquentia. Pacis autem conditiones fuerunt, vt Vladislaus Boiemiam, & Lusatiam cum Suidnicensi & Iaurensi ducatibus poßideret, Matthias verò quoad viueret, totam Morauiam, cum reliqua parte Silesiæ retineret, & si qui-

Insigne exemplum pacis initæ.

si quidem absq; hærede citius, quàm Vladislaus è vita discederet, ad Vladislaum ditiones illæ redirent: sin verò hæredem post se relinqueret, ducenta millia florinorum pro ijs Vladislaus exolueret.

Non multo post Fridericus Imperator coronam Boiemiæ tribuit Vladislao, Matthias verò imperatorem inuadens, Austriam & Styriam, ad Bauariam vsq; hostilem in modum diripit, eumq; in tantas angustias adducit, vt feudo regni Boiemici cedere cogatur. In Turcas quoties fere belli molem conuertit, haud infeliciter conflixit. Arcem ab ijs ad Sanum extructam, expugnauit. Deinde iterum eos bello adortus, à duce imperatoris Friderici retractus est, quem is cum exercitu in Vngariam miserat. Quãobrem abiecta cura belli Turcici, Viennam Austriæ obsidet & occupat, anno 1485. Deinde alia etiam capit, & tandem Glogouiam aliquandiu obsessam in fidem suam accipit. Anno Christi 1490. apoplexia extinctus est, postquam ficus, quas inter prandendum iusserat

sibi

ſibi afferri, interceptas eſſe ab aulicis intellexerat.

Anno 1490. rex Vngariæ electus eſt Vladiſlaus Boiemiæ rex, qui ſtatim etiam regnum occupauit. Ab alijs verò contra eum electus eſt Ioannes Albertus frater illius, quem tamen is repulit & ſuperauit, regnumq́ obtinuit. Fratri verò maioris Glogouiæ ducatum in Sileſia, & nonnulla alia loca tribuit, ſucceſſoremq́ ſuum in regno Vngariæ, ſi abſq́ hærede moreretur, conſtituit. Ab alijs Maximilianus Romanorum rex electus eſt, qui Auſtriam mox vnà cum vrbe Vienna recuperat, deinde in Vngaria Albam regalem, Veſprinium, & alia caſtra munita occupat. Vladiſlaus verò ſequente anno Albam regalem recipit, & diademate ibi ornatur. Poſtea pacem cum Imperatore Maximiliano & Turca etiam facit. Hanc verò Thomas Strigonienſis Cardinalis cum Selimus Perſico bello implicatus eſſet, rumpendam cenſet, & ad bellum Turcis inferendum incitat. Cum autem nerui ad

Vladiſlaus.
Ioannes Albertus.
Maximil.
Veſpri.

Thomas Cardinalis. tantum bellum necessarij deessent, consilium dat Cardinalis, vt more pontificio sub crucis signo congregetur exercitus, qui gratis militet. Quod cum percrebuisset, concursus fit ex cunctis pene nationibus caussa promerendi delictorum veniam. Sed cum collecta esset turba ingens, nihil minus ea, quàm de inuadendis Turcis, solicita fuit. Sed ad direptionem villarum, vastationem agrorum & vexationem nobilium ac sacerdotum sese totam conuertit. Nacta est ad eam rem ducem Georgium Sechelum, & fratrem eius Lucatium, quorum auspicijs damna plurima toti regno dabat. At fusa tandem est, cæsaq; in prælio ad Temesum flumen per Ioannem Transyluaniæ Vayuodam: multi etiam viui in eius potestatem venêre. Itaq; supplicium etiam sumtum est de ijs horribile auditu. Georgius enim catenis vinctus, nudus, & corona candenti ferrea redimitus, equuleo impositus est, vbi venis incisis sanguinem inde effluentem bibere coactus est Lucatius frater. Tum clausis iterum venis, incitati

Supplicium turbæ prædatricis.

sunt

sunt in eum socij illius viginti, qui tridui inedia macerati erant, vt de corpore eius carnem dentibus decerperent. Ad extremum viscera è corpore exemta sunt, corpus verò concisum est, & frusta cocta assataq; militibus ad vorandum data. Postea ipsi quoque milites cum Lucatio trucidati sunt miserabiliter, anno Christi 1514. Mortuus est Vladislaus anno 1516.

Anno Christi 1516. Ludouicus Vladislai filius regnare cœpit, intempestiuo partu effusus à matre absq; cute, quam medicis inunctionibus oportuit producere: coronatus, cum vix esset biennis, sponsus factus, cum esset annorum nouem, in regnum collocatus ætatis anno decimo, extinctus in prælio Turcico vix expleto anno ætatis vicesimo. Vxorem habuit Mariam Ferdinandi sororem, contraq; Ferdinandus ipsius sororem. Vrgebant tunc fata Vngariam, & ad perniciem regni omnia vitia, odij, liuoris, æmulationis, superbiæ, auaritiæ, tyrannidis erumpebant, episcoporum Ludouicus. Fatum Vngariæ.

verò nimius erat fastus, & intoleranda luxuria. Iccirco amittebatur Alba græca, maximum Vngariæ propugnaculum, absente eius præfecto, certantibusq; inter se proceribus regni æmulatione & auaritia. Amittebatur etiam Sclauonia, Croatia, & Vngariæ pars magna. Muldauia verò & Transalpina fiebat tributaria. Tandem anno 1526. Solymannus vi & impressione vna euertere & in potestatem suam redigere Vngariam totam sibi proponebat. Itaq; ad populandam illam ducem Balybeium cum exercitu equestri præmittit, rex verò quantum periculi impendeat regno facile prospiciens ac imperio auxilia sibi mitti petit. Quæ vbi obtinere non potest, ad resistendum Turcis sese, quantum potest, parat, conscriptis ex Germania & Boiemia ferme vicies quinq; millium copijs. His præficitur Tomoræus S. Francisci monachus & archiepiscopus Colocensis, homo imperitus, & spe profligandi Turcas nimis inflatus. Ad pugnam exitur, rex in primam aciem collocatur, fit prælium atrox,

Muldauia fit tributaria

Tomoræus monachus.

atrox, suasore & impulsore Tomoræo, contra aliorum consilium, qui negabant, cum tanta multitudine hostium esse prælium ineundum. Tormenta ab vtraque parte displosa, detrimenti nihil afferunt. Sed circumfunduntur latis Turcorum agminibus Christiani, vt totus eorum equitatus primo impetu atque conflictu concidatur, in quo etiam Tomoræus ipse perit. Rex verò cum suis incertæ & periculosæ fugæ sese dat, in eaque vno comitatus cubiculario suo Cæteritio Silesio in amnem ignobilem incidit, quem Cæteritius quidem transit, sed ipse, equo in luto hærente, tandemque retroacto & collapso, suffocatur. Pereunt quindecim millia Christianorum, sine cæde & sanguine Turcorum & concidit pene robur ac flos regni. Turca ipse cum ad illum afferuntur septem capita cruenta episcoporum ac procerum, detestatur insaniam illorum & temeritatem, Ludouici verò miseretur, eique si viuat, regnum sese restituturum esse profitetur, tributo mediocri imposito. Buda deinde, Pesto, & alijs vrbibus potitur,

In expeditionem execunti Ludouico, equus concidit, quod haud faustum omen fuit visum.

Clades & interitus Ludouici.

titur, sed Budam ingressus pernoctare in ea non vult, ne quid contra legem Turcicam faciat.

Ferdinand. Ioannes Vayuoda. Pannonia iure hæreditario pertinebat ad Ferdinandũ propter Annam Ludouici regis sororem, quam habebat in matrimonio. Hieronym. à Lasco. Ioannes Budæ regnat.

Anno 1526. Ferdinandus archidux Austriæ, ab alijs verò Ioannes Vayuoda Transyluaniæ, rex Vngariæ renunciatur. Sed anno sequente Ferdinandus Pragæ coronatur, Silesiaq; in fidem accepta, in Vngariam venit, vbi profligato Ioanne, diademate cum vxore ornatur. Ioannes verò in Poloniam fugit, & suasu Hieronymi à Lasco, Syradiensi Vayuoda, tutelæ præsidioq; Solymanni sese commendat. Hic Ioannem Vngariæ regem renunciat Budæ, & hanc ipsam etiam ille ad mortem vsq; poßidet. Inde Viennam Turca obsidet, anno 1529. Vienna depulsus in Vngariam anno 32. redit, & oppidum Gunsium opugnat, multaq; diripit & populatur, vsq; ad Lincium. Hieronymo autem à Lasco eam mercedem impendit, quam solet mundus, & veneno propinato extinguit. Anno 1537. Ferdinandus duce Catiano copias aduersus Turcas mittit, quæ perfidia sui

duces

ducis ad Exechium multò maxima ex parte sunt cæsa.

Anno autem quadragesimo Ioannes Scepusius Vayuoda mortuus, infantem reliquit Ioannem ex Isabella Sigismundi Poloniæ regis filia. Huius tutor Georgius Martinus, Benedicti ordinis monachus, Budam firmo præsidio munit, & Solymanni auxilia implorat. Non multò post à Ferdinando exercitus ex Germania & Boiemia ad obsidendam eam vrbem mittitur: qui tamen lue grassante, indies sic diminuitur, vt fuga sibi consulere, & multos amittere cogatur. Profligatis Christianis, Turca à matre infantis, & tutore monacho postulat, vt in castra ille ad se cum quibusdam consiliarijs & proceribus mittatur. Quod vbi factum est, detinet Turca infantem principem, donec Buda sibi tradatur. Ita ergo vrbe & arce potitur Turca. Mater verò cum filiolo suo, & quibusdam aulicis, ac supellectile in

Hic Ioannes primùm Sceptusius, deinde Ioannes ad patris memoriam appellatus est.

Ioannes Vayueda.

Turca potitur Buda.

Transſyluaniam à Turcis comitata abit.

Deinde anno 1542. imperij nomine Ioachimus Brandepurgicus Peſtum obſidet, in cuius caſtris ſponte ſua Mauricius Saxoniæ dux militans, aliquando in congreſſu cum Turcis ita circumfuſus eſt & oppreſſus, vt niſi à ſatellite ſuo Bartholomæo Ribiſchio tectus eſſet tantiſper, donec alij equites aduenirent, actum de eo fuiſſet. Vrbs ſemel oppugnata eſt; ſed fruſtra amiſsis ferme quadringentis hominibus. Cùm etiam lues quotidie multos abſumeret, re infecta diſceſſum eſt.

MaurICij Saxonis periculum.

Anno 1543. iterum in Vngariam venit Solymannus, & caſtrum VValpo, Soklos, Quinqueccleſias, Strigonium, Albam regalem, & alia inſignia regni loca occupat. Anno 1549. Ferdinandus, duce Nicolao comite à Salmis, caſtella multa à Turcis occupata recuperat. Turca verò anno 1552. etiam Agriam obſidet, ſed à fortiſsimis Ferdinandi ducibus depellitur. Confert ad eam rem non parum etiam Mauricius Saxoniæ Dux, qui Turcos ad Poſonium

Agria.

vſq;

vsque progressus profligat. Anno 1553. Alybassa Zigetum obsidet. Etsi enim legatos ad Turcam miserat Ferdinandus de pace, Antonium Verantium, & Franciscum Zay: nulla tamen obseruantia, nullisq; muneribus flecti tyranni animus potuit. Immo biennium amplius legatos detinuit, iniuriasq; à Zigetiensibus, & alijs vicinis sibi illatas, immodicè exaggerauit. Itaque Alybassam ineunte vere, in Vngariam mittebat, edicens, ne Budam ingrederetur, nisi prius Zigetum cepisset. Est autem illud situm in loco plano & paludoso, vallo, arce, oppido, & aqua opportunè circumfusum, præsidium eius erat duorum millium exercitatorum militum, equitum verò centum octoginta. Accedit ad lustrandum Alybassa 10. Iunij, deditionem literis datis suadens. At Christiani, conuulsis literis, mox prælio, vndique emissis militibus, hostes excipiunt. Hi verò 21. Iunij, adhibitis omnibus machinis, oppidum oppugnant & capiunt, Christianis in arcem secedentibus: vbi Zigetum obsidetur.

ab hoste circumfusi, opere omni inuaduntur. XXII. Iunij etiam arcis interioris turrim Turci tormentis inusitatæ magnitudinis concutiunt, nihilq́ intentatum relinquunt, quod ad expugnationem faciat. Sed Christiani conatus & illecebras eorum fortitudine admirabili elidunt, & quæcunque ab illis vel parabantur vel destruebantur, ea ipsi demoliuntur aut reficiunt. Postquam igitur omnes suos conatus irritos esse vident, obsidionem soluunt, & Quinqueecclesias confugere properant. Christiani coniectorum in se globorum ab hoste amplius decem millia colligunt, & seponunt. Deinde pax inter Turcam & Ferdinandum componitur. Anno autem 1558. Transyluania à Ferdinando deficit, & Filij Ioannis Vayuodæ ductum sequitur.

Transylua-nia deficit. Est autem Transylua-nia pars Daciæ, quemadmodum Transalpina etiam & Muldauia.

Anno 1562. Maximilianus Austriæ archidux, Vngariæ & Boiemiæ rex declaratur. Hic arces Tokay, Zachmar & alia loca insignia, duce Lazaro Suendio expugnat. Quædam etiam per Geor-

Maximilianus.

Georgium Turium, nonnulla per comitem à Salmis recuperat. Anno autem 1566. Solymanno Zigetum obſidente, & Vngariam penè omnem rapinis vaſtante, exercitum ipſe in Vngariam ex omni penè Germania collectum ducit, menſeq; Iunio caſtra ad Iaurinum ponit, vbi ad hyemem vſque commoratur, Turca interim Sigetum, & Iulam capiente, Iulam quidem per deditionem, Zigetum verò per vim, & impreſsionem. Oppugnat enim ter & decies, decimo quarto verò impetu expugnat, fortiter in ponte arcis dimicante, & occumbente Nicolao comite Serinio, qui flammis & inedia, tum hoſtium impreſsione continua in ſummas anguſtias adductus, cum vexillo Cæſaris & claue arcis, obuiam hoſti procedit, & glandibus Ianizerorum confoſſus in terram corruit. Caput eius amputatum, ſericoq; inuolutum, & ſubtili linteo tectum, in caſtra imperatoris Maximiliani mittitur. Ante expugnationem verò Solymannus in caſtris moritur.

Zigetum capitur.

Comes Serinius.

Anno

Rudolphus. Anno 1572 Rudolphus Maximiliani filius primogenitus coronatur rex Vngariæ, & anno 1576. mortuo patri in regno succedit. Hic præsidio suo & imperij, ferocientes & singulis momentis cædem, rapinas & ignem minantes Turcos reprimit. Memorabilis est eorum irruptio, quam anno 1588. die Octob. V. in Christianorum partes fecerunt. Cuius occasio fuisse perhibetur, quod Zikzo oppidum Vngariæ tributarium, Turcis iam multis annis tributum non pensitârat. Eo enim tributo aliquot pedites alere solitus erat Budensis Bassa. Ideo autem pensitatum non erat, quod annonæ caritas ingens, & egestas summa compluribus annis obstitisset. Quare prece primum, & obsecratione humili ciues eius mitigationem aliquam à Bassa petiuerunt. Sed cum nihil impetrare possent, sæpiusq; per literas à Bassa ad solutionem debitorum solidam, & integram solicitarentur, preces tandem in iram verterunt, & imperium Turcorum plane abiecerunt.

Pugna Christianorum cum Turcis prædatoribus cruenta quidem, sed felix tamen.

val

vallo, aggeribus & castello oppidum suum muniuerunt, & verbis insuper contumeliosis, vt fieri solet, Turcos irritarunt. Bassa ergo exercitu comparato, non Zikzouienses solum, sed quicquid reliquum est in Christianorum potestate ad Cassouiam vsque ferro igneque vastare, & in potestatem suam redigere instituit. Confluebant multi spe prædæ illecti, vnde colluuies magna conflata est. Hæc, duce Tiha Budensis Bassæ vicario, primum ad arcem Filek peruenit, ibique aduentu aliorum ducum ac militum aucta est. Interim rumor ad Zikzouienses perfertur, qui timore perterriti, cum liberis, vxoribus, & supellectile ad loca munitiora confugiunt, paucis in castello remanentibus. Turci verò ad cogitatum facinus approperantes, oppidum Debrecinum inuadunt, & quotquot viros militares in eo inueniunt, secum captiuos abducunt.

Sigismundus Racotius Agriæ præfectus de aduentu, conatuque Turcorum certior factus, statim aliquos præmittit, qui

verò nimius erat fastus, & intoleranda luxuria. Iccirco amittebatur Alba græca, maximum Vngariæ propugnaculum, absente eius præfecto, certantibusq; inter se proceribus regni æmulatione & auaritia. Amittebatur etiam Sclauonia, Croatia, & Vngariæ pars magna. Muldauia verò & Transalpina fiebat tributaria.

Muldauia fit tributaria

Tandem anno 1526. Solymannus vi & impreßione vna euertere & in potestatem suam redigere Vngariam totam sibi proponebat. Itaq; ad populandam illam ducem Balybeium cum exercitu equestri præmittit, rex verò quantum periculi impendeat regno facile prospiciens ac imperio auxilia sibi mitti petit. Quæ vbi obtinere non potest, ad resistendum Turcis sese, quantum potest, parat, conscriptis ex Germania & Boiemia ferme vicies quinq; millium copijs. His præficitur Tomoræus S. Francisci monachus & archiepiscopus Colocensis, homo imperitus, & spe profligandi Turcas nimis inflatus. Ad pugnam exitur, rex in primam aciem collocatur, fit prælium

Tomoræus monachus.

atrox,

atrox, suasore & impulsore Tomoræo, contra aliorum consilium, qui negabant, cum tanta multitudine hostium esse prælium ineundum. Tormenta ab vtraque parte displosa, detrimenti nihil afferunt. Sed circumfunduntur latis Turcorum agminibus Christiani, vt totus eorum equitatus primo impetu atque conflictu concidatur, in quo etiam Tomoræus ipse perit. Rex verò cum suis incertæ & periculosæ fugæ sese dat, in eaque vno comitatus cubiculario suo Cæteritio Silesio in amnem ignobilem incidit, quem Cæteritius quidem transit, sed ipse, equo in luto hærente, tandemque retroacto & collapso, suffocatur. Pereunt quindecim millia Christianorum, sine cæde & sanguine Turcorum & concidit pene robur ac flos regni. Turca ipse cum ad illum afferuntur septem capita cruenta episcoporum ac procerum, detestatur insaniam illorum & temeritatem, Ludouici verò miseretur, eique si viuat, regnum sese restituturum esse profitetur, tributo mediocri imposito. Buda deinde, Pesto, & alijs vrbibus potitur,

In expeditionem exeunti Ludouico, equus concidit, quod haud faustum omen fuit visum.

Clades & interitus Ludouici.

titur, sed Budam ingressus pernoctare in ea non vult, ne quid contra legem Turcicam faciat.

Ferdinand. Ioannes Vayuoda. Pannonia iure hæreditario pertinebat ad Ferdinandū propter Annam Ludouici regis sororem, quam habebat in matrimonio. Hieronym. à Lasco. Ioannes Budæ regnat.

Anno 1526. Ferdinandus archidux Austriæ, ab alijs verò Ioannes Vayuoda Transyluaniæ, rex Vngariæ renunciatur. Sed anno sequente Ferdinandus Pragæ coronatur, Silesiaq; in fidem accepta, in Vngariam venit, vbi profligato Ioanne, diademate cum vxore ornatur. Ioannes verò in Poloniam fugit, & suasu Hieronymi à Lasco, Syradiensi Vayuoda, tutelæ præsidioq; Solymanni sese commendat. Hic Ioannem Vngariæ regem renunciat Budæ, & hanc ipsam etiam ille ad mortem vsq; possidet. Inde Viennam Turca obsidet, anno 1529. Vienna depulsus in Vngariam anno 32. redit, & oppidum Gunsium opugnat, multaq; diripit & populatur, vsq; ad Lincium. Hieronymo autem à Lasco eam mercedem impendit, quam solet mundus, & veneno propinato extinguit. Anno 1537. Ferdinandus duce Catiano copias aduersus Turcas mittit, quæ perfidia sui ducis

ducis ad Exechium multò maximæ ex parte sunt cæsæ.

Anno autem quadragesimo Ioannes Scepusius Vayuoda mortuus, infantem reliquit Ioannem ex Isabella Sigismundi Poloniæ regis filia. Huius tutor Georgius Martinus, Benedicti ordinis monachus, Budam firmo præsidio munit, & Solymanni auxilia implorat. Non multò post à Ferdinando exercitus ex Germania & Boiemia ad obsidendam eam vrbem mittitur: qui tamen lue grassante, indies sic diminuitur, vt fuga sibi consulere, & multos amittere cogatur. Profligatis Christianis, Turca à matre infantis, & tutore monacho postulat, vt in castra ille ad se cum quibusdam consiliarijs & proceribus mittatur. Quod vbi factum est, detinet Turca infantem principem, donec Buda sibi tradatur. Ita ergo vrbe & arce potitur Turca. Mater verò cum filiolo suo, & quibusdam aulicis, ac suppellectile in

Hic Ioannes primùm Scepusius, deinde Ioannes ad patris memoriam appellatus est.

Ioannes Vayuoda.

Turca potitur Buda.

Transsyluaniam à Turcis comitata abit.

Deinde anno 1542. imperij nomine Ioachimus Brandepurgicus Pestum obsidet, in cuius castris sponte sua Mauricius Saxoniæ dux militans, aliquando in congressu cum Turcis ita circumfusus est & oppressus, vt nisi à satellite suo Bartholomæo Ribischio tectus esset tantisper, donec alij equites aduenirent, actum de eo fuisset. Vrbs semel oppugnata est, sed frustra amissis ferme quadringentis hominibus. Cùm etiam lues quotidie multos absumeret, re infecta discessum est.

Mauricij Saxonis periculum.

Anno 1543. iterum in Vngariam venit Solymannus, & castrum VValpo, Soklos, Quinqueecclesias, Strigonium, Albam regalem, & alia insignia regni loca occupat. Anno 1549. Ferdinandus, duce Nicolao comite à Salmis, castella multa à Turcis occupata recuperat. Turca verò anno 1552. etiam Agriam obsidet, sed à fortissimis Ferdinandi ducibus depellitur. Confert ad eam rem non parum etiam Mauricius Saxoniæ Dux, qui Turcos ad Posonium vsq;

Agria.

vsque progressus profligat. Anno 1553. Alybassa Zigetum obsidet. Etsi enim legatos ad Turcam miserat Ferdinandus de pace, Antonium Verantium, & Franciscum Zay: nulla tamen obseruantia, nullisq́ muneribus flecti tyranni animus potuit. Immo biennium amplius legatos detinuit, iniuriasq́ à Zigetiensibus, & alijs vicinis sibi illatas, immodicè exaggerauit. Itaque Alybassam ineunte vere, in Vngariam mittebat, edicens, ne Budam ingrederetur, nisi prius Zigetum cepisset. Est autem illud situm in loco plano & paludoso, vallo, arce, oppido, & aqua opportunè circumfusum, præsidium eius erat duorum millium exercitatorum militum, equitum verò centum octoginta. Accedit ad lustrandum Alybassa 10. Iunij, deditionem literis datis suadens. At Christiani, conuulsis literis, mox prælio, vndique emißis militibus, hostes excipiunt. Hi verò 21. Iunij, adhibitis omnibus machinis, oppidum oppugnant & capiunt, Christianis in arcem secedentibus: vbi Zigetum obsidetur.

ab hoste circumfusi, opere omni inuaduntur. XXII. Iunij etiam arcis interioris turrim Turci tormentis inusitatæ magnitudinis concutiunt, nihilq; intentatum relinquunt, quod ad expugnationem faciat. Sed Christiani conatus & illecebras eorum fortitudine admirabili elidunt, & quæcunque ab illis vel parabantur vel destruebantur, ea ipsi demoliuntur aut reficiunt. Postquam igitur omnes suos conatus irritos esse vident, obsidionem soluunt, & Quinqueecclesias confugere properant. Christiani coniectorum in se globorum ab hoste amplius decem millia colligunt, & seponunt. Deinde pax inter Turcam & Ferdinandum componitur. Anno autem 1558. Transyluania à Ferdinando deficit, & Filij Ioannis Vayuodæ ductum sequitur.

Transylua- nia deficit. Est autem Transylua- nia pars Daciæ, quem- admodum Transalpina etiam & Muldauia.

Anno 1562. Maximilianus Austriæ archidux, Vngariæ & Boiemiæ rex declaratur. Hic arces Tokay, Zachmar & alia loca insignia, duce Lazaro Suendio expugnat. Quædam etiam per Geor-

Maximilia- nus.

Georgium Turium, nonnulla per comitem à Salmis recuperat. Anno autem 1566. Solymanno Zigetum obsidente, & Vngariam penè omnem rapinis vastante, exercitum ipse in Vngariam ex omni penè Germania collectum ducit, mense Iunio castra ad Iaurinum ponit, vbi ad hyemem vsque commoratur, Turca interim Sigetum, & Iulam capiente, Iulam quidem per deditionem, Zigetum verò per vim, & impreßionem. Oppugnat enim ter & decies, decimo quarto verò impetu expugnat, fortiter in ponte arcis dimicante, & occumbente Nicolao comite Serinio, qui flammis & inedia, tum hostium impreßione continua in summas angustias adductus, cum vexillo Cæsaris & claue arcis, obuiam hosti procedit, & glandibus Ianizerorum confossus in terram corruit. Caput eius amputatum, sericoque inuolutum, & subtili linteo tectum, in castra imperatoris Maximiliani mittitur. Ante expugnationem verò Solymannus in castris moritur.

Zigetum capitur.

Comes Serinius.

Anno

Anno 1572 Rudolphus Maxi-
Rudolphus. miliani filius primogenitus coronatu
rex Vngariæ, & anno 1576. mortu
patri in regno succedit. Hic præsidio su
& imperij, ferocientes & singulis mo-
mentis cædem, rapinas & ignem minan-
tes Turcos reprimit. Memorabilis est
eorum irruptio, quam anno 1588. di
Pugna Christianorum cum Turcis prædatoribus cruenta quidem, sed felix tamen. Octob. V. in Christianorum partes fece
runt. Cuius occasio fuisse perhibetur, quo
Zikzo oppidum Vngariæ tributarium
Turcis iam multis annis tributum no
pensitârat. Eo enim tributo aliqu
pedites alere solitus erat Budensis Bass
Ideo autem pensitatum non erat, quo
annonæ caritas ingens, & egestas sum
ma compluribus annis obstitisse
Quare prece primum, & obsecratio
humili ciues eius mitigationem aliqua
à Bassa petiuerunt. Sed cum nih
impetrare possent, sæpiusq; per liter
à Bassa ad solutionem debitorum s
lidam, & integram solicitarentu
preces tandem in iram verterunt,
imperium Turcorum plane abiecerun

va

vallo, aggeribus & castello oppidum suum muniuerunt, & verbis insuper contumeliosis, vt fieri solet, Turcos irritarunt. Bassa ergo exercitu comparato, non Zikzouienses solum, sed quicquid reliquum est in Christianorum potestate ad Cassouiam vsque ferro igneq; vastare, & in potestatem suam redigere instituit. Confluebant multi spe prædæ illecti, vnde colluuies magna conflata est. Hæc, duce Tiha Budensis Bassæ vicario, primum ad arcem Filek peruenit, ibiq; aduentu aliorum ducum ac militum aucta est. Interim rumor ad Zikzouienses perfertur, qui timore perterriti, cum liberis, vxoribus, & supellectile ad loca munitiora confugiunt, paucis in castello remanentibus. Turci verò ad cogitatum facinus approperantes, oppidum Debrecinum inuadunt, & quotquot viros militares in eo inueniunt, secum captiuos abducunt.

Sigismundus Racotius Agriæ præfectus de aduentu, conatuq; Turcorum certior factus, statim aliquos præmittit, qui

qui cum præcurſoribus Turcorum acriter confligunt, eosq́ tandem ſuperant, & aliquot viuos Agriam ſecum ducunt. Cum vix è pugna reuerſi eſſent, Agrienſes milites, nuncium de impetu Turcorum in Zikzouienſem agrum & oppidum adfertur. Mox ergo ad arma vocati Chriſtiani conueniunt, & quamuis plerisque durum videatur, denuo ad pugnandum exire, præſertim cum bene parato hoſte: nihilominus claßicum canere iubet Racotius, & copias ſuas, quæ milites 1200. complectebantur, contra hoſtem, per ſalebroſa, & aſpera loca educit. Vbi propius acceßit, in collem aſcendit, vnde contemplari exercitum hoſtium poterat. Deprehenſum eſt tunc, & poſtea etiam magis, Turcorum circiter decem vel duodecim millia eſſe. Chriſtianorum verò, qui ex diuerſis arcibus atque præſidijs accurrerant, circiter 2218. erant. Etſi ergo congreſſus impar futurus eſſe videbatur: dimicandum tamen pro patria, & gloria nominis Chriſtiani,

mili-

milites Christiani omnino arbitraban-
tur. Interim Turci oppidum omni
contentione oppugnant, diripiunt, &
igni funditus delent. Peditatus verò
castellum & munitionem expugnat.
Reliqua erat turris vnica, in quam se
recipiunt oppidani. Hanc cum prope
iam expugnasset hostis, Christiani ad-
uolant, & vi, ferroq; eum nihil tale opi-
nantem, lacessunt. Is ergo omissa ex-
pugnatione turris, ad pugnam totus
conuertitur. Acies Turcica sic erat
disposita, vt pedites amplius quater
mille dextrum cornu, sinistrum verò
turrus sexcenti concluderent. Equitum
ordines, quorum supra sex millia erant,
primarij præfecti, Ianizaros verò vica-
rius Bassa Budensis ductabat. In Chri-
stianorum acie, trecentorum quidem
equitum Vngarorum duces erant Seri-
nij, milites fortissimi, peditum verò
quingentorum Ioannes Kouuachy. De
Germanis cataphracti aderant centum
quadraginta vestibus nigris, quin-
quaginta sclopetarij equites rubeis,

toti-

totidem glaucis, triginta duo albis distincti. In primo congressu, qui incidit in diem Octob. nonum, Turci displosis tormentis, vi eorum nonnihil turbarunt Christianos, eorumque ordines distraxerunt. Hinc pugna acris, & quidem ancipiti euentu exorta ante solis occasum ad horas quatuor extracta est: lucem debilem præbentibus flammis, quæ de vicini oppidi fano succenso affulgebant. Christiani, amissis signiferis septem, in fugam ex parte quadam acti, ab insequentibus hostibus trucidati sunt: sic tamen, vt plura in via Turcorum insequentium, quàm Christianorum fugientium cadauera reperta sint. Laborantibus reliquis subsidio venit Sigismundus Racotius, cum hastatis sexcentis, nonnullisque sclopetarijs. Huius virtute instaurata pugna horam vnam & amplius durauit. Et quanquam graue fuit Christianis tot ingruentium hostium sustinere in se impetum: tamen animos eorum mirificè confirmauit Racotius, qui non tam verbis, quàm factis illos conso-

consolatus est, & opem præsentem inclinantibus partibus tulit. Hic cum vis Martis maxima esset; impar verò cum tanta hostium multitudine congressus, strategemate memorabili vsus est, iusso tibicine ex loco editiore tubam inflare. Cuius sonum, vbi hostes percepêre, nouas Christianorum copias aduentare opinati, animos demittere cœperunt, & cum nemo esset, qui ordines eorum disiectos restitueret, fuga salutem quæsiuerunt. In fuga propter insequentes Christianos alius alium conculcauit, multi etiam in flumen Saium præcipites acti perierunt. Inuenta sunt in loco prælij circiter mille trecenta Turcorum cadauera: totidem viui sunt capti; nec pauci in nemoribus & syluis ab agrestibus occisi. Factum est hoc prælium non procul à Zikzo, loco sex milliaribus Germanicis à Cassouia distante. Ac hostibus quidem tormenta quatuor, quæ recenti nomine Falcones appellantur, ademta sunt, vita mille quingentis erepta, complures

capti: de Christianis verò 431. interierunt. Sub hasta venditi sunt captiui Turci 276. equi verò 382. Ad Imperatorem quoq; missi aliquot captiui cum signis militaribus, & alijs rebus preciosis hosti detractis.

Monomachia.

Memorabilis quoq; est monamachia Christiani militis, & Turci, quæ more militari vtriusq; gentis, anno nongentesimo supra millesimum quingentesimum ducum ex vtraq; parte consensu facta est. Placuit vt ad locum pugnæ veniret vterq; centum viris comitatus. Vbi dies illuxit, Christianus ex conuentu cum centum Christianis se sistit, equo insidens, qui pelle tigrina exertis cuspidibus ferreis obtectus erat. Turcus verò contra pactum ducentis aut trecentis, vt quidam aiunt, viris stipatus aduenit. Simul ac conuentum est, certamen instituunt Turci cum Christianis de remouenda pelle tigrina, quam fraudi sibi esse putant. Christiani verò negant fraudem se facere vllam, pellem tamen promittunt se amoturos esse, si Turca amoueat equum, qui ore

& pedibus inuadere in antagonistam soleat. Christiani contra virorum numerum obijciunt Turcis, qui contra pactum adductas erat. Quod crimen refutaturi Turci non aliam ob caussam adesse plures aiunt, quàm vt spectatores sint pugnæ. Dum ita ancipiti contentione dimicatur: verbis nihil proficitur, Christianus inquit: mox antagonistam lacessit, vt sistat se postulans. Is verò pugnam detrectat sæpius prouocatus, cunctantem & tergiuersantem Christianus de improuiso inuadit & equo deijcit. Laboranti statim subueniunt Turci, ad opprimendum Christianum. Hac indignitate rei permoti milites Christiani furere cupiditate incipiunt, omniq; impetu in Turcos irruunt, conniuentibus, vel certè non probibentibus ducibus. Turci verò fracti metu, arma abijciunt, equos relinquunt, manus dant, & vitam sibi donari petunt. Plerique enim omnes erant locupletes, & precio magno sese redimere parati. At Capitaneus Christianorum promiscuè tru-

cidari omnes patitur, ne quæstus caussa aliquid facere videatur. Ita concidunt Turci: Christianus verò miles integer inuiolatusq; seruatus est. Fama cladis Turcarum opinione celerius fines imperij Turcici peragrauit. Et tametsi minas & cruces Turci minabantur Christianis: tamen cognita rei veritate furor Imperatoris illorum conquieuit, nec ita multò post missi ab Imperatore Rom. Vngariæq; rege Rudolpho II. legati, annuum tributum Constantinopolin attulere.

POLONI.

Lechus. *Primus Polonicæ gentis dux & author nominatur in historijs Lechus Dalmata, cuius frater Zechus Boiemorum* Zechus. *princeps fuit, circa annum Christi 550. Quo absque hærede & successore mortuo Palatinis cura & administratio Poloniæ commissa est.*

Polonia duplex, maior, cuius metropolis est Gnesna, minor, cuius metropolis est Cracouia. Hodie adiecta est regno Poloniæ Littania, Volinia, Podolia, Russia, cuius metropolis est Leopolis, item Prussia, Masouia, Liuonia, cum prouincijs plurimis. Rex Polonorum per Palatinos

latinos, Castellanos, Capitaneos, Iudices, Senatotes, & consiliarios, prouincias administrat. Palatini siue VVeiuuodæ sunt, duces copiarum in singulis satrapijs. Castellani ductores, ac præsides nobilitatis, tanquam legati Palatinorum. Capitanei, arcium præfecti. Iudices siue Burggrauij cognoscunt caussas criminales, & ciuiles. Senatores siue episcopi, 9. Palatini 15. Castellani 65. numerantur.

Postea electus est Cracus circa annum Christi 700. qui Poloniam gubernauit & & Cracouiam de suo nomine condidit. Hoc ad vitæ exitium vocato, rursum ad Palatinos duodecim cura administrationis translata est. Tandem verò circa annum Christi 750. aut 760. Lescus Princeps Poloniæ renunciatus est. Post quem Lescus II. principatum consecutus moderatum sese in gubernatione præstitit. Huic successit Lescus III. princeps laudabilis. Lesco Popielus vel Pompilius I. & II. Popielum II. secutus est Piastus Crusuiciæ patre plebeio natus, homo simplex & beneficus circa annum Christi 806. Huius posteritas per annos 560. Poloniam rexit. Ex quo etiam Silesiæ principum ortus

Cracus.
Lescus.
Popielus.
Piastus.

primum procreatus est. Laudem iustitiæ & bonitatis eximiam atque immortalem post se reliquit. Successor Piasti fuit Semouitus filius, qui è vita exijt, anno 892. Semouiti Lescus IV. Lesci IV. Zemomislus, Zemomisli Micislaus, qui vxorem Christianam duxit, regis Boiemiæ filiam, & fidem Christianam suscepit, baptisatus anno 965. Micislao surrogatus est Boleslaus, qui anno Christi 1000. primus Polonorum rex renunciatus & coronatus est Gnesnæ ab Othone III. Romanorum Imperatore. Boleslao suffectus est Micislaus filius II. anno 1025. Micislao Casimirus, qui contemtus à Polonis cum Richsa matre monasterium ingressus est, tanquam in exilium. Sed cum dissensionibus & tumultibus varijs regnum vexaretur, coacti sunt Poloni cum requirere. Inuentum ergo Cluniaci in regnum læti reduxerunt, anno 1041. Hic doctrina & pietate eximia præstitit, multumq; regno commodauit. Hunc excepit Boleslaus II. anno Christi 1058. qui

Micislaus. Poloni fiunt Christiani.

Polonia fit regnum.

Boleslaus.

Russos

Russos, Boiemos & Vngaros vicit: sed tandem factus tyrannus cum à Stanislao præsule obiurgaretur, & ob impiam vitam excommunicaretur, occidit eum in æde D. Michaelis 8. Maij anno 1079. cadauerq́; dissectum canibus obiecit. Quamobrem excommunicatus & regno priuatus à pontifice Romano Hildebrando, miserè in exilio perijt, vel à se ipso iteremtus, vel à canibus laceratus. S. Stanislaus

Eiecto Boleslao, regnum suscepit Vladislaus frater, Pomeranorum & Prutenorum domitor, anno 1082. Vladislaum secutus est Boleslaus III. distortus, anno 1102. Hic cum Henrico V. Imperatore bellum gessit, eumq́; prælio tertio vicit. Sed bellum tandem pacto connubiali inter filium Vladislaum, & Christinam Imperatoris filiam sopitum est. Fratrem suum Sbigneum impulsu aulicorum occidit. Ex quo labem & vulnus conscientiæ, quoad vixit, in animo suo circumtulit, & sibi, & regno calamitatem attraxit. Ipse quidem Boleslaus distortus.

mœrore consumtus est, Silesia verò miserè à Boiemis vastata. Filijs suis quinque ditiones sic distribuit: Vladislaum fecit Ethnarcham dato ducatu Cracouiensi, & Silesia: Boleslao Chrispo Masouiam assignauit & vicinas oras: Mieslao Poloniam maiorem: Henrico Lublinensem oram: minimo natu Casimiro nihil dedit, quod iccirco se facere dixit, quod currus non nisi à quatuor rotis gestari poßit, oporteat verò aliquem in curru sedere. Hunc futurum esse Casimirum prædixit, quod etiam euentus comprobauit. Is enim rerum tandem potitus est, cum Ethnarcha Poloniæ circa annum Christi 1177. renunciatus fuit.

Distributio regni inter filios quinque.

Vladisl. II.

Anno 1141. Vladislaus II. ad regnum elatus cum fratribus intestinum bellum geßit. Cuius quidem belli fax & tuba fuisse perhibetur Christina vxor, Imperatoris Henrici V. filia. Cum autem obsideret fratres in vrbe Posnania, venit in castra archiepiscopus Gnesnensis, & execratus est eum, nec multò post fratres ex insidijs oppresserunt. Itaque

in

in Germaniam profugit inops, opem à Cunrado Imperatore petiturus. Vxor verò cum liberis paruis regni finibus eiecta est. Author hæc fuerat tragicæ calamitatis Petri Dani, cuius præcipua erat in regno authoritas, & in dicendo libertas, cum fastu tamen magno coniuncta. Cum enim is aliquando in venatione audisset ab Vladislao iocum hunc, tua vxor longe melius hac nocte cubat cum abbate, quàm nos in hoc vili stragulo, par pari referre voluit, fortasse & tua, inquiens, cum Dobiesso, qui erat nobilis Germanus, mollius quiescit. Qua voce non regem solum, sed reginam etiam ita offendit, vt linguam ei & oculos exsecari iusserit, & exulare coegerit. Petrus Danus. Vox per iugulum rediens.

Anno 1146. Boleslaus IIII. Crispus ad regnum vocatus est. Sed contra eum Cunradus imperator Vladislaum eiectum cum coniuge & liberis restituere conatus est. Etsi autem Poloni primum se imperata eius facturos esse promiserunt, Moscouitico bello implicati: Boleslaus Crispus.

cati: recipere tamen postea Vladislaum recusarunt, & imperatoris iudicio æquo se caussamq; committentes pacem consecuti sunt. Mortuo Cunrado, Fridericus Barbarossa vi & armis restitutionem exulis Vladislai molitus est. Cui cum impar esset Boleslaus cum fratribus in castra Cæsaris venit, & supplex ei factus pacem impetrauit his conditionibus, vt fratrem restitueret, ad dicendam caussam Magdeburgi se sisteret, multam grauem solueret, impensis suis milites trecentos ad bellum Italicum mitteret.

Diuisio Silesiæ.

Quo ex tempore diuisa est Silesia inter Vladislai fratres, sic vt Boleslaus procerus possideret ducatum Vratislauiensem, qui tanquam vmbilicus est Silesiæ: Mieslaus Silesiam superiorem, in qua sunt ducatus Ratiboriensis, Opaliensis, & Teschinensis: Cunradus partem Silesiæ inferiorem versus Poloniam maiorem, & Marchiam. Per hos principes Silesiæ aliquid laxamenti datum est. Aucta est eodem tempore etiam

Boiemia fit regnum.

Boiemiæ

Boiemiæ dignitas. Cæsar enim Fridericus Ladislaum Principem Boiemorum regem creauit, aquilamq́ nigram in album Leonem cum bifurcata cauda mutauit. Ortum est hoc tempore Prutenicum bellum, ob defectionem Borussorum à fide Christi, & Polonorum obedientia: quod coniunctis animis & viribus gesserunt Poloni & Silesij, sed cæsi plurimum damni fecerunt. Bellum Prutenicum.

Anno 1177. Miecislaus rex Polonorum factus, propter tyrannidem regno exutus est. Miecislaus.

Anno 1184. Casimirus II. cognomento Iustus Poloniæ ethnarcha creatus est. Huius imperium salutare fuit. Nam & dißidia inter fratres Silesiæ sustulit, & legibus commodis Poloniam ornauit, Prutenos, & Pomeranos clementia & æquitate vicit, tributariosq́ sibi fecit. Lituaniæ ciuitatem Brestiam, quæ à Poloniæ regno defecerat, subegit, Russos rebelles superauit, domi Miecislaum res nouas molientem repreßit. Casimirus II.

Anno 1194 Lescus IIII. cognomento Lescus IV.

mento albus, rex Polonorum renunciatus est, cum quo certauit de principatu Miccislaus patruus. Erat id temporis Pomeraniæ capitaneus Suuantopolcus, qui cum tributum magnum deberet, pro pecunia vim afferebat, & regem improuiso opprimebat, in Balneo sedentem. Vnde cùm conscenso equo aufugeret, rex insecutus cum multis alijs eum trucidauit.

Suuantopolcus.

Anno 1243. Boleslaus pudicus regnare cœpit. Erant tunc principes viginti quatuor, turbari igitur statum regni oportuit. Tartari quidem ingenti agmine infusi, Rußiam, Poloniam, Vngariæ, atque etiam Germaniæ partem flamma & ferro vastarunt. Quibus cum occurrissent Poloni, prælio penè eos superarunt. Ipsi verò cum armis vincere minus possent, ad incantationes confugerunt, vt supra in rebus Tartaricis dictum. Hoc regnante mulier quædam nobilis triginta sex pueros vno partu in terra Croacouiensi edidit.

Boleslaus pudicus a cœlibe vita dictus.

Tartarorum magia.

Partus 36. puerorum.

Anno 1279. Lescus niger frater Bole-

Lescus niger.

Boleslai regnum adeptus, primum multa passus est à Tartaris, Rußiam & Poloniam miserabilem in modum vastantibus. Deinde Rußiæ Principis Leonis superbiam fregit, tum Lituanos Lublinensem agrum populantes cum internecione magna deleuit.

Anno 1219. Henricus probus Vratislauiensis dux, fasces suscepit, cum quo de regno certauit acriter, Vladislaus cubitalis, dux Siradiensis, sed victus post longam disceptationem, Henrico regnum reliquit. Henricus probus.

Anno 1295. Premislaus maioris Poloniæ dux electus est Polonorum rex, septimo verò mense post à marchionibus Brandeburgensibus, Othone longo, & Ioanne ex insidijs oppressus, in conuiuio occisus est. Premislaus.

Anno 1296. Vladislaus Locticus è stirpe Boleslai eius, qui S. Stanislaum occidit, rex designatus est, qui cum à Silesiæ Principibus despiceretur, ducatum Vratislauiensem populatus est. Primum quidem principis titulo contentus

fuit,

fuit, deinde anno demum 1120. coronatus est. Erat enim aduersus eum electus ab aliquibus Vuenceslaus Boiemiæ rex, qui Cracouiam muniuit. Hoc mortuo, iterum æmulus regni à quibusdam designatus est Henricus Glogauiensis dux, quo ad vitæ exitum vocato, solus rerum potitus est Vladislaus, qui non tam bellator, quàm paterfamilias bonus fuit. Marchiam vastauit, & Crucigeros edomuit. Verum cœpit eo regnante Silesia ad Boiemos deficere. Anno enim 1322. Ioannes Boiemiæ rex Boleslaum Munsterpergensem, ducem simplicem sua calliditate & promißis amplis induxit, vt comitatum Glocensem pecunia tenui sibi venderet. Henrico verò Vratislauiensi duci persuasit, vt ducatus Vratislauiensis possessione sibi cederet. Quo ex tempore ciuitas Vratislauiensis obedientiam Boiemiæ regi, vt Mechouinus ait, professa est. Vicißim Boiemiæ rex Henrico Glocensem ditionem ad omne tempus vitæ suæ poßidendam conceßit. Hinc facta etiam aliorum ducatuum

Silesia a Polonia ad Boiemos transfertur.

tuum Silesiæ in regnum Boiemiæ inclinatio; nec longo interuallo Silesia tota partim sponte sua, partim minis impulsa in fidem Boiemiæ regis sese dedit. Is verò acceptas hoc modo Silesiæ ciuitates studiosè ornauit honoribus, beneficijs, & immunitatibus auxit, circa annum Christi 1330. Incitauit idem Boiemiæ rex VVernerum Prußiæ magistrum, vt de Poloniæ regno castra multa igne & ferro consumta & fracta detraheret, tum Pomeraniam etiam ijs tradidit. Sed anno 1331. fudit Vladislaus Crucigeros in prælio. Post quod quidem prælium vidit inter cæsos iacentem Polonum nobilem in ventre vulneratum, sed spiritum adhuc ducentem; manibus verò intestina reprimentem, ne effunderentur. Huius misertus rex, bone Deus, inquit, quàm acerbos dolores hic perfert. Quo audito, vulneratus ait: at quantò maiores, ô rex, cruciatus sustinet is, qui malum habet vicinum, qualem ego in meo pago expertus sum. Age inquit rex libe- Malus vicinus quanti malum.

liberabo te cruciatu isto si conualueris. Postea pagum totum illi donauit, excusso vicino improbo; vt scrbit Mechouius. Inducijs porro factis cum Crucigeris Glogouiensem ducatum, & agrum vicinum vastauit.

Casimirus Magnus.

Anno 1333. Casimirus Magnus Vladislai filius inauguratus est rex. Magnus quidem inde fuit cognominatus, quod regnum non tam muris & propugnaculis, quàm iure & legibus muniuit & auxit. Cum Crucigeris pacem iniquis conditionibus, vt Mechouius scribit, fecit, cedens illis possessione terrarum Pomeraniæ, Culmensis, & Michalouiensis. Iura verò ea constituit, quibus in hunc vsque diem Poloniæ regnum continetur & viget. Lapsus de equo in venatione mortem obijt, absque hærede masculo.

Ludouicus. Translatio regni ad externum.

Anno 1370. electus est Polonorum rex Ludouicus Vngariæ rex, nepos Casimiri ex sorore, translatúmq; est adeo regnum ad externum, quod annis amplius nongentis non nisi à Polonis fue-

ra

rat administratum. Rex fuit fortis, pius & felix.

Anno 1382. Sigismundus Caroli IV. Romanorum Imperatoris filius Ludouici gener rex Poloniæ factus est. Sed mortuo eodem anno Ludouico, Heduigis altera eius filia Poloniæ regina electa & coronata est, eo consilio vt viro alicui strenuo collocari in matrimonio posset, qui regnum gubernare commodè, & defendere ab hoste sciret. Erat per id tempus Iagello Lituaniæ dux magnus, qui audita Heduigis forma & modestia, legatos ad eam de matrimonio, regnoq́ dotali misit ex Ethnico Christianum se futurum cum tota gente sua, & vniuersum ducatum Lituaniæ cum Poloniæ regno copulaturum pollicens. Regina verò alij iam ante desponsa erat à patre Guilelmo Austriaco, quem etiam amabat perditè. Poloni nihilominus Iagellonem expetebant, & accersebant. Interim Guilelmus Austriacus aduenit, à regina accipitur splendidè, adornantur nuptiæ, sed interrumpuntur aduen-

Sigismund. Heduigis. Iagello. Guilelmus Austriacus.

tu Iagellonis, quem Guilelmo Poloni praeferunt. Itaq; clam is discedere cogitur. Sic Iagello potitus regina & regno, cum fratribus baptisatur, & Vladislai nomen accipit, tum Lituaniam Poloniae adiungit, & ad Christi fidem conuertit. Bellum deinde acerrimum gerit cum Cruciferis, in quo ter eos ingenti praelio superat. Scholam Cracouiensem à Casimiro Magno incoatam ornat & auget. Coronam item, regnum, sceptrum, gladium & pomum, quae Elisabetha Ludouici regis mater in Vngariam transtulerat, recipit.

Schola Cracouiensis.

Anno 1434. Vladislaus I. Vladislai Iagellonis filius Poloniae rex coronatus est, qui postea anno 1440. etiam Vngariae rex designatus est, & aliquantisper duce Huniade, cum Turcis feliciter conflixit, tandem verò anno 1444. impulsu Iuliani legati Pontificij, rupto foedere in pugna ad Varnam, ingenti clade accepta, occubuit.

Vladislaus.

Anno 1446. Casimirus Vladislai frater, rex Poloniae eligitur, & sequenti

Casimirus.

anno coronatur. Hic Prutenos à Crucigeris ob tyrannidem eorum deficientes, & ad se confugientes in tutelam ac fidem anno 1454. accipit, tum Pomeraniam etiam, Culmensem, & Michalouiensem ditionem in potestatem suam redigit. Etsi autem in prælio vincitur primum à Crucigeris, tamen renouato bello funditus eos profligat, Mariæpurgumque occupat. Postea pacem fœdusque perpetuum cum Crucigeris & ordine Teutonico facit, & Pomeraniæ ducatum, terramque Culmensem, & Michalouiensem, de quibus Poloni annis 180. armis decertârant cum Crucigeris, retinet. Sic sublata omni controuersia, Ludouicus magister ordinis, cum suis Crucigeris, in fidem clientelamque perpetuam regum Poloniæ se dedit, & receptus est. Idque confirmatum iureiurando solenni Thuroniæ anno 1466.

Borussia dat se in fidem Polonorum.

Anno 1492. Ioannes Albertus Casimiri Glogouiensis ducatus dominus, Poloniæ rex renunciatus est. Ad hunc missi sunt legati à Turca,

Ioannes Albertus.

Venetis, Imperatore Romano, principibus Germaniæ, & alijs. Turca enim sublato Matthia omnem imperij sui conatum conuertere ad frangendum Venetorum & Vngarorum opes in animo habebat. Itaq; fœdus cum Ioanne Alberto expetebat. Veneti verò reliquiq; principes eum ad bellum Turcis inferendum hortabantur. Ipse ad suscipiendam ea de re deliberationem inducias ad triennium sibi sumit. Anno 1494. simulatione belli Turcici Stephanum VValachiæ Palatinum, virum fortem, bellicosum, astutum, & felicem è regno suo excutere conatur. Erat is Vasallus Polonici regni non satis fidus. Quare rex moto illo, in locum substituere Sigismundum fratrem cupit, vt adoriri Turcas postea minori periculo posset. Quanquam etiam occasionem comprimendi contumaciam gentis Polonicæ quærit aliquam, vt à præceptore Callimacho Florentino edoctus erat. Exercitum ergo comparat millium octoginta, ex Polonis, Lituanis, Moscouitis,

Stephanus VValachiæ Palatinus.

nitis, Rutenis, Brutenis, & Silesijs, cum quo in Muldauiam tanquam contra Turcas progreditur, sed arma in Stephanum conuertit. Is ergo, cognita re, inuadit regem, & florem omnem Polonici equitatus delet. Ita non modò cladem ingentem Polonia accipit, sed sequente anno à Stephano irritato iam, & vindictæ cupiditate flagrante in metum summum conijcitur, cum agmina magna Polonorum in seruitutem ab eo abducuntur.

Anno 1501. Alexander Ioannis Alberti frater, Lituaniæ dux magnus, ad regnum Poloniæ vocatus est. Quidam elegarant Vladislaum, qui etiam plerosque principes Christianos de electione hac per legatos certiores fecerat. Sed vbi Alexandrum ab alijs designatum esse cognouit, cessit illi modestè, & quidem etiam gratulatus est. Vltus est hic rex cladem à VValachis acceptam, multis eorum arcibus ad Tyram fluuium expugnatis. Deinde Tartarorum copia ingens, quæ Lituaniam Alexander.

niam populabatur, eo regnante, deleta est.

Sigismund. Anno 1507. Sigismundus frater Alexandri gubernacula Polonici regni suscepit, & annos 41. regnauit. Author fuit vectigalis noui & grandis in Poloniæ finibus versus Silesiam. Michael Glincius. Tum Michaelem Glincium Rutenicum principem, cuius virtute & felicitate Lituania sæpe à Tartaris defensa erat, propter suspicionem affectati dominatus in Lituania à se alienauit. Vnde is ad Moscos confugit, & damni multum Polonis dedit. Eius enim ductu arx & Smolencensis ducatus. ducatus Smolencensis, quem amplius centum annis tenuerant Lituani, in potestatem Mosci, anno 1513. redactus est. Tartarorum verò ferociam prælio ingenti Sigismundus repreßit, & eorum 16000. cepit. Prußiæ ducatus hæreditarius. Anno 1525. Albertum marchionem Brandepurgensem, magistrum ordinis Teutonici in Borussia primum Prußiæ ducem hæreditarium creauit, datoq; diplomate, priuilegia, libertates, iura, consuetudines laudabiles

dabiles cum tutela & patrocinio perpetuis temporibus ipsi & subditis ipsius promisit. VValachos etiam conflictu acri profligauit, & Moscos ad Sopham flumen prælio ingenti superauit.

Anno 1548. electus est Sigismundus Augustus, Sigismundi I. filius, magnus Lituaniæ dux, qui duas sorores Ferdinandi Romanorum regis filias, & inter has mediam Lituanam ex Raziuilorum domo vxores duxit. Pacem, quoad potuit, coluit, domi & cum vicinis. Sed dissensio intestina inter ordinis magistrum, & archiepiscopum Rigensem, quæ anno 1559. exarsit pia & iusta arma illi induit. Erat enim archiepiscopus ille Brandepurgicæ familiæ princeps, ob Euangelij prædicationem in Ecclesia Rigensi ab ordinis magistro in arce Kokenhusia conclusus, & toto pene anno detentus. Qua re offensus Sigismundus, per legatos dimitti archiepiscopum, omnemq; discordiam deponi iussit. Ac vbi obtinere aqui nihil potest, bellum ei infert. Ille

Sigismundus Augustus.

Bellum Liuonicum.

verò imparem se tantis viribus regis cernens, veniam & pacem petit, eamq; etiam impetrat, ea conditione, vt archiepiscopum in integrum restituat, detrimentaq; omnia ei illata rependat.

Moscouiticum. Liuonia pacata, nouum bellum Moscus suscitat. Is enim ingenti exercitu Torpatensem episcopatum, & Neruiensem ditionem in Liuonia, miserabilem in modum vastat per multa milliaria, rapinis, incendijs, cædibus, & immanitate penè inaudita in omnes ætates & sexus sauiens: pueros necans, adolescentes Tartaris vendens, mares brachijs truncans, fœminis verò vbera resecans, plerasq; etiam in frusta concidens, membraq; palpitantia dispergens. Liuoni in tantas angustias adducti, opem à Sigismundo petunt. Hic exercitum contra Moscos ducit. Ille vero arma à Liuonis ad Lituanos transfert, & arcem Lituaniæ munitissimam Polotiam vi capit anno 1563. multis hominum millibus partim occisis, partim in seruitutem abductis. Sigismundus vbi indu-

Crudelitas Moscouitica.

Polotia.

inducias nullas à tyranno impetrat, prælio cum eo decertat, & virtute Nicolai Raziuili ad Vlium oppidum Moscos profligat, Liuoniaq́; eijcit.

Post Moscouiticum bellum exardescit Suecicum, quod vt componatur æquis conditionibus, Sigismundus operam dat sedulò: quo & Erici Sueciæ regis conatus infringat, & commerciorum libertatem in mari tueatur. Mortuus est hic vltimus ex Iagellonica familia Polonorum rex anno 1572.

Anno 1573. Henricus Valesius dux Andius, rex Poloniæ proclamatur, sequenti anno inauguratur, & post menses tres, dies 26. in Galliam à matre reuocatus, clam nocte intempesta, perergrino habitu, duobus Gallis comitatus, citis equis ex Polonia discedens ad Maximilianum imperatorem Viennam, inde Venetias, & tandem in Galliam redit, Gallorumq́; rex inungitur. Poloni per legatos Ferrariam missos, vt redeat ad regnum, petunt, ne propter absentiam illius pericula à Turcis, Mo- Henricus Valesius.

scouitis, & Scythis impendentia augeantur. Ipse verò, non quidem deserendi animo opulentissimū Polonorum regnum se discessisse ait, sed componendi caussa res in Gallia: quibus confectis reuersurum se ad Polonos pollicetur.

Maximilianus. *Anno 1575. Rex Polonorum electus & declaratus est Maximilianus imperator Romanorum, ab alijs verò Stephanus Transyluaniæ princeps ex nobili Bathoreorum de Somlio familia Vngarica. Sequente anno iterum publicè proclamatus & renunciatus est Maximilianus Polonorum rex: sed Stephanus nihilominus coronatus est, eiq́; in matrimonio collocata Sigismundi I. filia. Etsi autem Moscus per legatos auxiliū, si regnum Poloniæ armis occupare velit, Maximiliano pollicetur, ipse tamen rem in tempus magis idoneum reijcit.* Stephan. *Stephanus totum decennium administrauit regnum cum laude eximiæ sapientiæ, fortitudinis, iustitiæ, & grauitatis comitate & humanitate insigni conditæ, nec ab hostibus solum illud defendit, sed accessionem*

nem etiam magnam ei adiunxit, tum literarum etiam & eloquentiæ cultu inprimis ornauit. Operam dedit ante omnia vt sopitis dissensionibus intestinis concordia in omnibus ordinibus constitueretur: Deinde vt vicinos principes gratia fideli coniunctos sibi haberet, laborabat. Erat in primis animus regis in Dantiscanos offensior, propterea quod in electione regis Maximilianum præferendum censuerant, & coronato iam Stephano iusiurandum fidelitatis dare grauabantur, nisi prius sibi ab ipsius maiestate de indemnitate, de libertate religionis secundum Augustanam confessionem, ac de tollendis difficultatibus nonnullis cautum esset. Eam igitur ob caussam proscripsit eos rex, & aqua igniq; illis interdixit. Ipsi verò scripto publico innocentiam suam demonstrant, & fidem obedientiamq; regi debitam offerunt ac pollicentur. Rex nihilominus bellum eis infert, & summæ rerum Ioannem Sborouium præficit. In obsidione, vt fit, clades mutuæ accipiuntur.

duntur. Vtraque parte sua strenuè defendente: donec intercedentibus Saxoniæ & Brandepurgi Electoribus, Hessiæq; Landgrauio, controuersia his conditionibus sublata est. Primùm vt Dantiscani secundum præscriptam formulam supplices veniam peterent, & bis mille auri pondo intra quinquennium soluerent. Secundò, vt iurarent commissarijs regis, militem dimitterent, & nonnulla alia facerent, quæ commemorare longum esset. Rex vicißim promisit, se proscriptionem abolitururm esse, iura & priuilegia eorum confirmaturum, & doctrinæ Euangelij secundum Augustanam confeßionem libertatem permissurum. Accidit autem percommodè, vt Tartari etiam, missa legatione, gratiam cum eo inirent, & ex fœdere operam suam contra ipsius hostes, excepto Turca, deferrent. Pacatis igitur ad hunc modum domesticis & vicinis rebus, omnem curam & cogitationem ad frangendum Mosci Ioannis Basiliadæ fastum atque

Mosci fastus.

tyran-

tyrannidem conuertebat. Cuius quidem furor & superbia vsque eo creuerat, vt legati ab eo missi ad Stephanum verbum facere nullum vellent, nisi rex aperto capite assurgens prius de valetudine & statu ducis Magni in Moscouia percontatus esset. Occuparat is tempore interregni Parnouiam Liuoniæ oppidum & portum mense Iulio anni 1574. Sequente verò anno etiam Vendam, Vuolmariam, Kokenhusium, oppidaq; & arces Liuoniæ trans Dunam omnes ceperat, & iam ad summum imperium, quod sibi arrogabat, etiam acerbitatem & sæuitiam inauditam adiungebat. Comparat ergo Stephanus exercitum, pecuniam, & necessaria omnia ad bellum illi inferendum. Exercitui præficit ducem Nicolaum Milecium Podoliæ Palatinum. Tormenta verò quædam bellica à Marchione Brandepurgensi Electore dono accipit. Hoc modo instructus, Moscum inducias quidem, sed iniquis & intolerandis conditionibus petentem, vi summa adoritur.

Parnouia.

Bellum Moscouium.

tur. Primum Polotiam ante annos sedecim à Moscis captam & Lituanis ademtam, recuperat. Vielicolucum deinde Moscouiæ expugnat. Moscouiam tandem aggressus Ostrouiam capit, & Moscum ad accipiendas conditiones à Polonis iam diu optatas adigit. Exitus enim belli is fuit, vt, reddita Liuonia, pax cum Mosco iniretur, exclusis Suecis, anno 1582. Liuonia, profligato trudelißimo hoste Mosco, intestinis dissensionibus laborare incipit. Quæ res negocium regi minimè iucundum exhibet. Caussa autem dißidij omnis ex eo erat, quod rex templum Iesuitis Rigæ attribuerat, tum præfectum etiam regium in arce collocarat. De quo querelæ ad eum graues adferuntur. Ipse verò morte præuentus, in magno discrimine Rigenses relinquit, anno 1586. Iesuitis autem non Rigæ solum, sed in alijs etiam vrbibus templa & gymnasia aperuit, Cracouiæ, Vilnæ, Lublini, Polotiæ, Claudiopoli.

Liuoniæ dissensio intestina.

Anno 1587. iterum variantibus

proce-

procerum sententijs, à quadam parte procerum Maximilianus Austrius, à parte alia Sigismundus Suecus Ioanne III. & Catharina Sigismundi regis Polonorum filia natus rex, eligitur. Obtinet tamen ea pars, cui Archicancellarius Ioannes Zamoiscius, Archimarsallus, & senatores alij praeerant, electionem Sigismundi. Quam ipsam etiam adiuuat ante alios penè omnes sua suffragatione regina Sigismundi matertera, de familia Iagellonica, cui omnis Polonia fauet plurimum. Significatur eadem literis ad pontificem, ad imperatorem Romanum, ad electores imperij, & ad Maximilianum Austriae archiducem datis, peciturq; adeo, vt publicae tranquillitatis ac pacis caussa comprobetur, rataq; habeatur. Nominatim verò Silesiae praefectum, episcopum Vratislauiensem Archicancellarius Ioannes Zamoiscius, generalis exercituum dux monet, vt propter foedera & pacta inter Polonos & vicinos Silesios, paci, quae nihil habitura sit insidiarum, consulat, & bellum dissuadeat. Quod tamen

Maximilianus Austrius

Sigismund. Suecus.

men si fortè suscipiatur, non se aliter facere posse ostendit, quàm vt vim vi omnium gentium more, repellat. Scribuntur complures vltro citroq; literæ, à Maximiliano quidem ad Sigismundum, vt regno cedat, à Sigismundo verò ad Maximilianum, vt à vi abstineat. Interim Sigismundus ad accipiendum diadema aduentat.. Maximilianus verò Cracouiam obsidet, & occupasset etiam, nisi ab Archicancellario, vrbisq; præsidio repulsus esset. Inde ad Silesiæ fines redit, vt maiores copias ex Germania sibi compararet. Sigismundus verò Cracouiæ ab ordinibus accipitur, & coronatur XVII. Decembris, exeunte anno 1587. Archicancellarius autem Maximilianum cum exercitu ex Polonis, Borussis, & Vngaris insequitur, & ad oppidum Bitsin, in ditione Brigensium ducum copias eius adoritur, ac dissipat, ipsum verò cum aliquot consiliarijs capit. Nullum se laborem grauiorem sustinuisse vnquam Zamoiscius professus est, quàm illo ipso tempore, quo victo-

Zamoiscij vox.

rem

rem suum exercitum à vi victis inferenda cohibuit, & ne post pugnam vlterius rapinis & cædibus sæuiret, repressit. Ceciderunt nihilominus in conflictu ex vtraq; parte vltra duo millia, multa direpta sunt, quædam etiam exusta. Captus Maximilianus à Zamoiscio recta in Russiæ arcem Crasnistauam prope Lublinam abductus est, vbi à Ianuario anni 1588. ad annum vsq; 1589. detentus, mense demum Septembri cum bona gratia actis transactisq; omnibus dimissus est. Ad quam rem etiam Pontifex Romanus Sixtus V. suam authoritatem accommodauit, misso ad Cæsarem & Polonum Cardinali suo Aldebrandino, qui pacificationem serio suasit & vrsit.

Anno 1589. Tartari magno numero in Podoliam, quæ est Russiæ pars, VValachiæ, & Scythiæ finitima, irruperunt, & omnia longè lateq; populati sunt. Erant autem lacessiti prius à Cosacis, qui leuis armaturæ milites sunt, & ex omni Polonia sponte sua se coniunxe-

iunxerunt cum præsidio, quod rex Polonorum finibus regni, vt transitu Tartaros prohibeat, imponere solet. Hi enim prædandi caussa & antè; & hoc ipso anno, Scythiam inuaserant, bonaq; multa secum in Podoliam asportârant. Quod vbi ad Chamum allatum fuit, mox ille Amurathis Turcorum Imperatoris, cui paret, opem aduersus prædones istos flagitauit. Amurathes verò mandata dat Tartaris, vt manu quantacunq; possint, Podoliam aggressi, iniuriam illatam vindicent. Hi igitur mense Augusto egressi Podoliam ferro & flammâ vastant, boues & equos innumeros abigunt, & multa millia hominum in seruitutem abducunt. Sed dum reditum in Tartariam parant, à tergo eos adoriuntur Poloni copijs ad repellendam vim subitò comparatis: à fronte verò eosdem aggrediuntur Cosaci, qui interea in Scythiam irrupuerant, & damni multum dederant. Ita ergo conclusi vtrinq; Tartari, miseris accepti sunt modis, adeo vt eorum 25000. cæsi sint, prædam verò recu-

recuperarint Poloni. Copias porrò Polonorum duxerunt duo Strusij, Ioannes Droieuius Capitaneus Przemisliensis, & Vrouecius, ab Archicancellario missi. Cosacorum verò turba partim prædæ magnitudine, partim belli successu elata, nihil tam in optatis habet, quàm vt cum Turcis ipsis, quos Beglerbegus ad fines VValachiæ adduxerat, manum conferre, & quasi de summa rerum certare sibi liceat. Beglerbegus verò missa legatione ad Archicancellarium, qui in Russia exercitum habet paratum & alacrem, Cosacos ad pœnam deposcit. Archicancellarius rem ad regis consiliũ, rex ad comitia regni reijcit. Interim bellum minante Turca, ad defendendum regni sui fines omni cura incumbunt Poloni. Conquieuerunt tamen ab armis hoc anno nonagesimo, sine clade, vel remotis Turcorum copijs, vel, vt fert plærorumq; opinio, fœdere Polonorum cum Turcis interuentu oratoris Anglici renouato: præsidio saltem relicto in finibus, quo ab impetu prohibeantur Tartari.

MOSCI.

Russorum lingua. Sclauonica. RVßi Sarmatiæ populi cum Polonis & Boiemis lingua quidem eadem

Sedes. vtuntur, sed differente dialecto. Sedes eorum latè patet, à glaceali Oceano, penè ad Mæotim vsque, pontum Euxinum, Tyram fluuium, & montem Carpathum. Ex his sunt Mosci vel Moscouitæ, ab arce & flumine Mosqua sic dicti, à Baltico seu Finnico mari vsque ad Caspium, locis vastis habitantes.

Dux. Ducem habent, cuius imperio & nutu sic reguntur, vt facere quicquid ille vult, sine omni exceptione cogantur. Non enim quid lex, sed quid princeps velit, attendunt. Is consiliarios habet duodecim, per quos prouincias, præfecturas, arces, & ciuitates administrat.

Conuersio. Ab idolomania Ethnica ad religionem Christianam primum conuersi sunt anno Christi 988. quo Vladimirus Russorum dux Annam Basilij Imperatoris Constantinopolitani sororem in vxorem duxit, & suscepto Baptismo fidem Chri-

sti in

sti in Moscouiam importauit. Ante hunc verò anno 955. Ola Russorum regina vt Zonaras & Cedrenus narrant, Constantinopolin profecta baptismo initiata est, & pro Ola Helena appellari cœpta. Ex quo sanctè religioseq́ à Moscis semper culta est. Ola sancta.

Religionem Græcam profitentur, quam à Basilio Constantinopolitano quodam Episcopo acceperunt, ac ritus etiam ecclesiæ Græcæ imitantur. Archiepiscopum, Episcopos, & Monachos, tum Scholas etiam habent, sed in quibus nihil præter legendi & scribendi artificium vulgare docetur. Sanctitatis tamen speciem eximiam & singularem præ se ferunt. Memorabile apud eos non multum. Religio.

Bella cum Tartaris gesserunt, quibus modò victi sunt, modò victores euaserunt. Anno quidem Christi 1378. duce quodam suo Demetrio Tartarorum regem Mamab acie vicerunt. Deinde verò rursum sub Tartarorum imperium, ditionemq́ ceciderunt. Bella.

Duces magni ab anno 1500. fuerunt, Duces.

Ioannes Magnus. runt, Ioannes Magnus, qui primus Monarcham Rußiæ totius se appellauit. Hic ex ducatu Tuerensi vxorem duxit, Michaeleq; duce pulso, principatum illum obtinuit. Paulò post etiam Nouogardiam magnam, potentißimam vrbem, emporioq; frequenti celebrem, per fraudem cepit, & imperio Moscico adiecit. Hic ipse est, qui Tartarorum iugum à ceruicibus Moscouiæ penitus repulit, & metum vicinis ducibus magnum iniecit. Hunc secutus est Basilius anno
Basilius. 1505. qui acceptum à patre imperium omni contentione auxit, Smolencensem ducatum maximum, & reliquas Seueriensis ditionis prouincias adiecit, Plescouiensem ciuitatem in seruitutem redegit, & principes agnatos ditionibus suis exuit. Mortuus est anno 1535.
Ioannes Basiliades. Ei succeßit Ioannes Basiliades, qui ad relicta sibi à patre regna, Casanense, & Astrakanense adiunxit. Anno enim 1551. vrbem Cazanam metropolin Cazanæ Tartariæ expugnauit, & toto imperio Casanensi potitus est. Tum cecupi-

cupato mari Caspio, ad Persidem ferè imperij limites extendit. Liuoniæ maximam partem, Liuonibus distractis subegit, Polotiam cepit, ac Turcam ipsum Tanaim cum Rha flumine coniungere conantem, à spe conatuq; tanti operis depulit: eoq; opibus & potentia processit, vt superiorem agnosceret neminem. Multa præterea de eo commemorarem nefaria, si illo vno sol quicquam vidisset indignius, crudelius, tetrius, immanius. Quippe qui iam terrori cœperat esse, longè dissitis populis & nationibus. Adeo in hominis figura immanitatem gessit horrendæ & detestandæ belluæ: vnus tandem inuentus est Stephanus Polonorum rex, qui eum fregit, & comminuit, ferocitatemq; illius ita repressit, vt facilè bellum reliquis traderet. Filium post se reliquit Theodorum, qui hoc tempore Moscis imperat. Operam dat hic inprimis, vt recuperatis ijs, quæ amissa erant, imperium dilatet. Iam tum arces & prouincias Iuanogrodum, Coporiam, Iammagrodum, Naruam item

cæterasq́ ante anno 1581. à Sueco ereptas recepit, & armis contra Suecos tuetur.

PRVTENI.

PRuteni à rege suo Pruteno, vel à vicinis Russis nomen adepti, tractum ad septentrionem bene longum circiter quinquaginta milliaria Germanica tenent. Primum ab Ethnica idolomania ad Christi agnitionem, ac veri Dei cultum conuersi sunt anno Christi 1234. Ante susceptam verò fidem Christianam bella gesserunt, fermè ab anno Christi 1000. cum Polonorum regibus, Boleslao, Vladislao Hermanno, Boleslao Cruousto, & alijs. Postea rogatu Cunradi Masouiæ ducis Hermannus de Salza sumus Teutonici ordinis magister cum exercitu cruciferorum Borussiam ingressus est, & ferociam Prutenorum, quo ad eius facere potuit, compreßit. Iidem studium habuere successores eius in hoc officij munere, & quanquam duros, præfractos & contumaces

Christiani facti.

Hermannus de Salza.

maces Prutenos graue arduumq́; fuit, à religione gentili, pro qua acerrimè dimicabant, auellere, tamen post multorum annorum bella, cædes vtrinque acceptas, ope & opibus Germanorum principum, comitum, nobilium, ac Christianorum reliquorum, tandem sub iugum missi sunt, & parere cruciferis cœperunt.

Liber ordinis Prußiæ memorat, anno 1226. donatam esse Prußiam ordini Teutonico per Cunradum Masouiæ ducem: Sed anno demum 1330. armis ab ordine occupatam esse. Magistri ordinis summi numerantur in vniuersum triginta quatuor primus Henricus de Vualpot, secundus Otho de Carpen. 3. Hermannus Barth. 4. Hermannus de Salza, qui primus est factus Magister summus ordinis in Borußia, & priuilegijs præclarißimis à pontifice & imperatore tributis ordinem honestauit. Ab hoc ergo magistri Prußiæ numerantur hoc ordine: Cunradus Turingorum & Cattorum Landgrauius, anno Christi Ordo magistrorũ summorum in Prussia.

1240. Poppo ab Osternau, anno 1252. Ioannes Sangerhusanus, anno 1263. Hermannus comes Heldringensis, anno 1275. Burcardus à Suuendem, anno 1283. Cunradus à Feuchtuuangen, anno 1290. Godefridus comes de Hohenloh, anno 1297. Carolus Beffart, anno 1309. VVernerus Vrsulensis, an. 1322. Ludolphus vel Luterus dux Brunsuicensis, anno 1325. Diterichus comes Aldenburgensis anno 1329. Ludolphus König anno 1341. Henricus Dusenariensis, anno 1345. Henricus Cniprodiensis, anno 1351. Cunradus Zolner, anno 1382. Cunradus Valrodensis, anno 1388. Cunradus de Iungingen, anno 1292. Vlricus de Iungingen, an. 1404. Henricus Reus dominus Plauensis, anno 1410. Michael Archimagirus Sterbergensis, anno 1414. Paulus Rusdorffiensis anno 1422. quo dominante prouinciæ & ciuitates Prussiæ ad Casimirum Poloniæ regem defecerunt, pertæsæ Cruciferorum iugi. Cunradus ab Herlingshausen anno 1441. Ludouicus ab Her-

Herlingshausen, an. 1450. cuius dominatum denuò recusauit maior pars Prussiæ & Polonorum imperio se subiecit. Quin milites etiam ipsi ordinis præsidiarij Mariæpurgum Casimiro vendiderunt florinis 476000. cum quibusdam castris & vrbibus, anno Christi 1457. Redacta est etiam Pomerania eodem tempore in Polonorum potestatem. Pacisci igitur oportuit Ludouicum cum Casimiro Polono, & pacem inire conditionibus admodum duris, primum, vt ordo Teutonicus nunquam sibi vendicaret eam partem, quam tunc Poloni tenebant, reliquam verò ipse tanquam regis Poloniæ feudum retineret. II. vt singuli ordinis magistri iusiurandum darent Poloniæ regi, intra sex menses ab inito magistratu. III. vt Polono opem aduersus quoscunque ferrent. Henricus à Reus an. 1467. Henricus Richtenbergensis an. 1470. Martinus Truchses an. 1477. Ioannes de Tiefen Heluetius, anno 1489. Fridericus Sax. dux, anno 1498. Hic fretus Maximiliani Impera-

Prussi Polonis se subijciunt.

Conditiones pacis inter Polonos & Prussos.

Fridericus Sax. dux.

pera-

iunxerunt cum præsidio, quod rex Polonorum finibus regni, vt transitu Tartaros prohibeat, imponere solet. Hi enim prædandi caussa & antè; & hoc ipso anno, Scythiam inuaserant, bonaq; multa secum in Podoliam asportârant. Quod vbi ad Chamum allatum fuit, mox ille Amurathis Turcorum Imperatoris, cui paret, opem aduersus prædones istos flagitauit. Amurathes verò mandata dat Tartaris, vt manu quantacunq; possint, Podoliam aggreßi, iniuriam illatam vindicent. Hi igitur mense Augusto egreßi Podoliam ferro & flammâ vastant, boues & equos innumeros abigunt, & multa millia hominum in seruitutem abducunt. Sed dum reditum in Tartariam parant, à tergo eos adoriuntur Poloni copijs ad repellendam vim subitò comparatis: à fronte verò eosdem aggrediuntur Cosaci, qui interea in Scythiam irrupuerant, & damni multum dederant. Ita ergo conclusi vtrinq; Tartari, miseris accepti sunt modis, adeo vt eorum 25000. cæsi sint, prædam verò recu-

recuperarint Poloni. Copias porrò Polonorum duxerunt duo Strusij, Ioannes Droieuius Capitaneus Przemisliensis, & Vrouecius, ab Archicancellario missi. Cosacorum verò turba partim prædæ magnitudine, partim belli successu elata, nihil tam in optatis habet, quàm vt cum Turcis ipsis, quos Beglerbegus ad fines VValachiæ adduxerat, manum conferre, & quasi de summa rerum certare sibi liceat. Beglerbegus verò missa legatione ad Archicancellarium, qui in Russia exercitum habet paratum & alacrem, Cosacos ad pœnam deposcit. Archicancellarius rem ad regis consiliũ, rex ad comitia regni reijcit. Interim bellum minante Turca, ad defendendum regni sui fines omni cura incumbunt Poloni. Conquieuerunt tamen ab armis hoc anno nonagesimo, sine clade, vel remotis Turcorum copijs, vel, vt fert plærorumq; opinio, fœdere Polonorum cum Turcis interuentu oratoris Anglici renouato: præsidio saltem relicto in finibus, quo ab impetu prohibeantur Tartari.

MOSCI.

Russorum lingua. Sclauonica. RVßi Sarmatiæ populi cum Polonis & Boiemis lingua quidem eadem vtuntur, sed differente dialecto. Sedes. Sedes eorum latè patet, à glaceali Oceano, penè ad Mæotim vsque, pontum Euxinum, Tyram fluuium, & montem Carpathum. Ex his sunt Mosci vel Moscouitæ, ab arce & flumine Mosqua sic dicti, à Baltico seu Finnico mari vsque ad Caspium, locis vastis habitantes. Dux. Ducem habent, cuius imperio & nutu sic reguntur, vt facere quicquid ille vult, sine omni exceptione cogantur. Non enim quid lex, sed quid princeps velit, attendunt. Is consiliarios habet duodecim, per quos prouincias, præfecturas, arces, & ciuitates administrat. Conuersio. Ab idolomania Ethnica ad religionem Christianam primum conuersi sunt anno Christi 988. quo Vladimirus Russorum dux Annam Basilij Imperatoris Constantinopolitani sororem in vxorem duxit, & suscepto Baptismo fidem Christi in

sti in Moscouiam importauit. Ante hunc verò anno 955. Ola Russorum regina vt Zonaras & Cedrenus narrant, Constantinopolin profecta baptismo initiata est, & pro Ola Helena appellari cœpta. Ex quo sanctè religioseq́ à Moscis semper culta est. Religionem Græcam profitentur, quam à Basilio Constantinopolitano quodam Episcopo acceperunt, ac ritus etiam ecclesiæ Græcæ imitantur. Archiepiscopum, Episcopos, & Monachos, tum Scholas etiam habent, sed in quibus nihil præter legendi & scribendi artificium vulgare docetur. Sanctitatis tamen speciem eximiam & singularem præ se ferunt. Memorabile apud eos non multum. Bella cum Tartaris gesserunt, quibus modò victi sunt, modò victores euaserunt. Anno quidem Christi 1378. duce quodam suo Demetrio Tartarorum regem Mamab acie vicerunt. Deinde verò rursum sub Tartarorum imperium, ditionemq́ ceciderunt.

Ola sancta.

Religio.

Bella.

Duces magni ab anno 1500. fuerunt, Duces.

Ioannes Magnus runt, Ioannes Magnus, qui primus Monarcham Russiæ totius se appellauit. Hic ex ducatu Tuerensi vxorem duxit, Michaeleq; duce pulso, principatum illum obtinuit. Paulò post etiam Nouogardiam magnam, potentissimam vrbem, emporioq; frequenti celebrem, per fraudem cepit, & imperio Moscico adiecit. Hic ipse est, qui Tartarorum iugum à ceruicibus Moscouiæ penitus repulit; & metum vicinis ducibus magnum iniecit. Hunc secutus est Basilius anno 1505. qui acceptum à patre imperium omni contentione auxit, Smolencensem ducatum maximum, & reliquas Seueriensis ditionis prouincias adiecit, Plescouiensem ciuitatem in seruitutem redegit, & principes agnatos ditionibus suis exuit. Mortuus est anno 1535. Ei successit Ioannes Basiliades, qui ad relicta sibi à patre regna, Casanense, & Astrakanense adiunxit. Anno enim 1551. vrbem Cazanam metropolin Cazanæ Tartariæ expugnauit, & toto imperio Casanensi potitus est. Tum ce-

Basilius.

Ioannes Basiliades.

cu-

cupato mari Caspio, ad Persidem ferè imperij limites extendit. Liuoniæ maximam partem, Liuonibus distractis subegit, Polotiam cepit, ac Turcam ipsum Tanaim cum Rha flumine coniungere conantem, à spe conatuq́ tanti operis depulit: eoq́ opibus & potentia processit, vt superiorem agnosceret neminem. Multa præterea de eo commemorarem nefaria, si illo vno sol quicquam vidisset indignius, crudelius, tetrius, immanius. Quippe qui iam terrori cœperat esse, longè dißitis populis & nationibus. Adeo in hominis figura immanitatem geßit horrendæ & detestandæ belluæ: vnus tandem inuentus est Stephanus Polonorum rex, qui eum fregit, & comminuit, ferocitatemq́ illius ita repressit, vt facilè bellum reliquis traderet. Filium post se reliquit Theodorum, qui hoc tempore Moscis imperat. Operam dat hic inprimis, vt recuperatis ijs, quæ amissa erant, imperium dilatet. Iam tum arces & prouincias Iuanogrodum, Coporiam, Iammagrodum, Naruam item

cæterasq́ ante anno 1581. à Sueco ereptas recepit, & armis contra Suecos tuetur.

PRVTENI.

Christiani facti.

Hermannus de Salza.

PRuteni à rege suo Pruteno, vel à vicinis Rußis nomen adepti, tractum ad septentrionem bene longum circiter quinquaginta milliaria Germanica tenent. Primum ab Ethnica idolomania ad Christi agnitionem, ac veri Dei cultum conuersi sunt anno Christi 1234. Ante susceptam verò fidem Christianam bella gesserunt, fermè ab anno Christi 1000. cum Polonorum regibus, Boleslao, Vladislao Hermanno, Boleslao Cruousto, & alijs. Postea rogatu Cunradi Masouiæ ducis Hermannus de Salza summus Teutonici ordinis magister cum exercitu cruciferorum Borußiam ingressus est, & ferociam Prutenorum, quo ad eius facere potuit, compreßit. Iidem studium habuere successores eius in hoc officij munere, & quanquam duros, præfractos & contumaces

maces Prutenos graue arduumq́ fuit, à religione gentili, pro qua acerrimè dimicabant, auellere, tamen post multorum annorum bella, cædes vtrinque acceptas, ope & opibus Germanorum principum, comitum, nobilium, ac Christianorum reliquorum, tandem sub iugum missi sunt, & parere cruciferis cœperunt.

Liber ordinis Prußiæ memorat, anno 1226. donatam esse Prußiam ordini Teutonico per Cunradum Masouiæ ducem: Sed anno demum 1330. armis ab ordine occupatam esse. Magistri ordinis summi numerantur in vniuersum triginta quatuor primus Henricus de Vualpot, secundus Otho de Carpen. 3. Hermannus Barth. 4. Hermannus de Salza, qui primus est factus Magister summus ordinis in Borußia, & priuilegijs præclarißimis à pontifice & imperatore tributis ordinem honestauit. Ab hoc ergo magistri Prußiæ numerantur hoc ordine: Cunradus Turingorum & Cattorum Landgrauius, anno Christi 1240 Ordo magistrorũ summorum in Prussia.

1240. Poppo ab Osternau, anno 1252. Ioannes Sangerhusanus, anno 1263. Hermannus comes Heldringensis, anno 1275. Burcardus à Suuendem, anno 1283. Cunradus à Feuchtuuangen, anno 1290. Godefridus comes de Hoherloh, anno 1297. Carolus Beffart, anno 1309. VVernerius Vrsulensis, an. 1322. Ludolphus vel Luterus dux Brunsuicensis, anno 1325. Diterichus comes Aldenburgensis anno 1329. Ludolphus König anno 1341. Henricus Dusenariensis, anno 1345. Henricus Cniprodiensis, anno 1351. Cunradus Zolner, anno 1382. Cunradus Valrodensis, anno 1388. Cunradus de Iungingen, anno 1292. Vlricus de Iungingen, an. 1404. Henricus Reus dominus Plauensis, anno 1410. Michael Archimagirus Sterbergensis, anno 1414. Paulus Rusdorffiensis anno 1422. quo dominante prouinciæ & ciuitates Prußiæ ad Casimirum Poloniæ regem defecerunt, pertæsæ Cruciferorum iugi. Cunradus ab Herlingshausen anno 1441. Ludouicus ab Her-

Herlingshausen, an. 1450. cuius dominatum denuò recusauit maior pars Prussiæ & Polonorum imperio se subiecit. Quin milites etiam ipsi ordinis præsidiarij Mariæpurgum Casimiro vendiderunt florinis 476000. cum quibusdam castris & vrbibus, anno Christi 1457. Redacta est etiam Pomerania eodem tempore in Polonorum potestatem. Pacisci igitur oportuit Ludouicum cum Casimiro Polono, & pacem inire conditionibus admodum duris, primum, vt ordo Teutonicus nunquam sibi vendicaret eam partem, quam tunc Poloni tenebant, reliquam verò ipse tanquam regis Poloniæ feudum retineret. II. vt singuli ordinis magistri iusiurandum darent Poloniæ regi, intra sex menses ab inito magistratu. III. vt Polono opem aduersus quoscunque ferrent. Henricus à Reus an. 1467. Henricus Richtenbergensis an. 1470. Martinus Truchses an. 1477. Ioannes de Tiefen Heluetius, anno 1489. Fridericus Sax. dux, anno 1498. Hic fretus Maximiliani Impera-

Prussi Polonis se subijciunt.

Conditiones pacis inter Polonos & Prussos.

Fridericus Sax. dux.

peratoris, & principum quorundam Germaniæ promisso auxilio, renuit Polono fidem, more quorundam antecessorum suorum, iureiurando astringere, conatusq́ est, Prussiam in libertatem pristinam, excusso Polonorum iugo, vindicare. Sed dum arma in eum parat, Ioannes Albertus Poloniæ rex, morte præripitur. At dum successor eius Alexander ad idem bellum magno conatu accingitur, Fridericus ordinis Magister molem belli pertimescens, in Saxoniam ad Georgium Saxoniæ ducem fratrem suum confugit, ibiq́ anno 1510. moritur.

Albertus marchio.

Anno 1512. designatus est summus ordinis magister Albertus marchio Brandepurgensis, Friderici Anspacensis filius, qui & ipse Polonorum regi iurare fidem noluit. Vnde bellum nouum exarsit. Sigismundus enim Polonorum rex copijs firmis eum vndiq; oppugnabat. Cui tametsi resistebat Albertus à principibus & nobilitate Germanica adiutus: tamen armis hostium, tum inedia etiam

terra

terra mariq; debilitatus, & fractus ad inducias quadriennij cum Sigismundo faciendas compellebatur. Interim anno 1521. reformare Ecclesiam in Prussia, & emendare religionem aggressus est. Quam quidem ad rem in primis vsus est opera Ioannis Brismanni, qui cum Luthero VVitebergæ familiariter vixit. Huic adiunxit Paulum Speratum, & Ioannem Poliandrum. Hi vna mente & labore maximo opus tam arduum susceperunt, & Dei beneficio etiam perfecerunt. Anno 1544. etiam Academia ritu solenni in vrbem Borussiæ Regiomontem introducta est.

Post inducias vero cum aut iusiurandum sibi dari postulabat Polonus, aut bellum minabatur: Albertus imperij ope omni destitutus, per intercessores suos, Georgium marchionem Brandepurgicum fratrem, & Fridericum II. Lignicensem cum Sigismundo Polono de pace agit, quæ etiam inita est hoc pacto, vt Albertus, ordine relicto, de-

Prussia feudum Poloniæ.

inceps dux Prussiæ appellaretur; Poloniæq; regi fidem & obedientiam talem, qualem Vasallus suo domino debet; iuraret, ducatumq; iure hæreditario possideret. Sic ergo ex magistro ordinis dux factus, vxorem duxit Dorotheam Friderici Daniæ regis filiam, anno 1525. Huic successit in gubernatione filius Albertus Fridericus, cui propter ægritudinem additus est curator Georgius Fridericus patruelis.

Albertus Fridericus.

LIVONI.

ANno Christi 1186. Liuonia inter mare Balthicum, Moscos, Lituanos, Borussos, & sinum Finnicum intercepta, à vicinis gentibus debellata Christianam fidem amplexa est. Primusq; episcopus Liuoniensis Meinardus ab archiepiscopo Bremensi consecratus, à pontifice verò Alexandro III. confirmatus est. Secundus verò Bertholdus,

tholdus, cum vi magis & armis, quàm verbo regere barbaros vellet, ab ijs trucidatus est. Tertius Albertus Rigam metropolin Liuoniæ condidit: ac vt adiutores haberet in propagatione religionis Christianæ, sacræ militiæ ordinem fratrum Teutonicorum instituit, cuius sectatores Ensiferi fuerunt nuncupati. Sed hi cum vndique oppugnarentur ab hostibus, cum fratribus Teutonici ordinis in Prussia sese coniunxerunt, anno 1234. Estq́ hæc coniunctio Ensiferorum & Cruciferorum confirmata à pontifice Gregorio IX. vt plus terroris infidelibus barbaris afferret. Ab eo igitur tempore pro gladio crucem, habitumq́ Teutonicorum fratrum in Prussia gesserunt, ac tributum certum, obedientiamq́ Magistris Teutonicis præstiterunt. Habuerunt tamen nihilominus Magistros, qui cum commendatoribus, siue præfectis, siue Palatinis regionem omnem gubernarunt, & res domi militiaq́ magnas gesserunt. Vicissim episcopi Borussiæ, Vuarmien-

Ensiferi.

Coniunctio Ensiferorũ & Cruciferorum.

Coniunctio episcopatuũ in Prussia & Liuonia.

miensis, Sambiensis, Pomezanensis, Culmensis, archiepiscopum Rigensem Metropolitanum receperunt.

Intestinæ dissensiones.

Compreßis ac domitis hostibus externis, æmulatione, & bellis intestinis inter se dimicare cœperunt archiepiscopi & ordinis magistri, vsque ad annum Christi 1345. quo controuersia omnis sic diremta est, vt magister ordinis dominium, & iurisdictionem vrbis Rigensis relinqueret archiepiscopo: contra verò archiepiscopus Magistro ordinis obedientiam, quam debebat, remitteret. Sed malè sarta gratia breui post dißilijt. Ordo enim vrgere archiepiscopum non destitit, donec dimidium dominij, & iurisdictionis in vrbe Riga obtinuisset: Postea verò parte dimidia non contentus, vniuersam dignitatem supremus ordinis magister ad se rapuit. Hoc horribili dißidio lacerata, & turbata fuit Liuonia, vsque ad annum Christi 1495, quo Vualtherus Plettenbergius summus Liuoniæ magister bella externa, & interna, admirabili pruden-

Vualtherus a Plettenberg.

tia, &

tia, & felicitate sedauit. Moscis enim victis, pacem primum restituit. Deinde data Alberto Prussiæ magistro pecuniæ summa, in libertatem ordinem Liuonicum vindicauit. Tum ab imperio etiam, vt in ordinem principum imperij cooptaretur, anno 1513. impetrauit. Post mortem eius archiepiscopus iurisdictionem suam recuperauit. Sed anno 1556. ordo archiepiscopum Guilelmum cepit, vtrumq; verò Sigismundus Poloniæ rex liberauit. Hic Guilelmus marchio Brandepurgicus Augustanæ confessionis religionem amplexus est eamq; suis etiam permisit anno 1539.

Liuonicus magister imperij princeps factus.

Deinceps Moscus in Liuoniam inuasit, & immanitate inaudita, incendijs, direptionibuss, & cædibus sæuijt. A cuius tyrannide cum sese defendere Liuoni non possent, ab imperio opem petiuerunt. Verum vbi ab eo deserti auxilij nihil impetrant, se in Sigismundi Poloniæ regis fidem clientelamq; conferunt. Hic Rigensi ciuitati iura ecclesiastica & ciuilia, priuilegia, & immu-

Mosci tyrannis in Liuonia.

Liuonia in potestatem Polonorum venit.

nitates restituit, sed recognitionem dominij defensionemq́; sibi retinet, & tributum annuum florinorum mille cum portorio ex mercibus imponit. Tum si Moscus, alijq́; vicini bellum faciant, vexillum 300. peditum, cum aliquot tormentis bellicis paciscitur. Neruam verò portum, & oppidum Liuoniæ munitißimum, ac Reualiam Ericus Sueciæ rex occupat. Ita in plures distributa dominos Liuonia, pœnas intestinarum dissensionum suffert.

Nerua reualia.

Stephanus porro Polonorum rex in omnem Liuoniam ius potestatemq́; sibi vendicans, Moscum armis eò adigit, vt anno 1582. intercessione legati pontificij Antonij Posseuini, de vniuersa Liuonia concedat. Deducto igitur omni Moscorum præsidio, is in partes, quas ille tenuerat, succedit. Ad Sueciæ verò regem legatum mittit, per quem restitui sibi petit Neruam, aliasq́; arces & munitiones, quas occuparat. At is neque iustè id peti, neq; concessurum sese respondit. Stephanus quanquam

Stephanus Moscum Liuonia eiecit.

quam ad comitia VVarsouiæ paulò post indicenda, pleraq; negocia reiecit: tamen Iesuitarum agmina in Liuoniam inuehit, Iesuitæ. & templa cœnobiaq; non Rigæ solum, sed in alijs etiam celebrioribus oppidis collocat. Vnde motus graues extitêre, quos Calendarij Gregoriani promulgatio annò 1585. non parum auxit.

DANI.

DAniæ regnum in orbe Arctoo, quæ & Chersonesus Cimbrica, à maxima scilicet maris Balthici versus occasum insula, appellatur, & Noruegiam hodie, quæ & Scandia dicitur, comprehendit, circa annum Christi 826. ad fidem Christi conuersum est, regnante Horaldo, siue Horoldo, qui Moguntiam venit ad Ludouicum Imperatorem, & opem aduersus Regnerum petijt, tum baptismum ibi simul suscepit cum coniuge sua, & aulicis quotquot secum adduxerat. Hic etsi subditos quoq; ad eandem religio-

nem ſtudioſè traduxit: magna tamen eorum pars idolomaniam Ethnicam retinuerunt, vſq; ad annum Chriſti 966. quando per ſacerdotem, qui Chriſti diuinitatem miraculo ferri candentis manibus illæſis geſtati confirmauit, penitus conuerſi ſunt, vt Sigibertus ſcribit.

Sueno. *Anno 1012. Sueno Danorum ſiue Dacorum rex Edelredum vel Edelardum Britannorum regem acie vicit, & regnum eorum ad annos 30. obtinuit. Deinde bellum intulêre Dani Anglis, & Saxonibus: Sed ab vtriſque repulſi ſunt. Ipſi viciſsim irruentes in ſe Polonos ſtrenuè profligarunt. At anno Chriſti 1223. Henricus Suerinenſis comes in Daniam irrupit, & VVoldemarum regem captiuum abduxit, nec prius dimiſit, quàm & pecuniæ ſummam magnam perſoluiſſet, & iuſiurandum dediſſet, ſe detrimenti nihil comitatui illius allaturum eſſe. Suntq; ex familia regia Danici ſanguinis reges ad annos ſexcentos ſerie continua orti: quibus deficien-*

ficientibus Margareta regina in Ericum Pomeraniæ ducem regnum transmouit.

Anno autem 1439. Christophorus Palatinus, Danorum & Noruegorum rex inauguratus est, qui anno 1445. Dorotheam Ioannis marchionis Brandepurgici filiam in vxorem duxit. Decessit autem sine hærede. Iccirco in locum eius suffectus est Christianus vel Christiernus comes Oldenpurgicus, & Delmenhorsti, & vnà cum regno Daniæ & Noruegiæ etiam regina Dorothea vidua potitus est, anno 1448. Cum autem Carolus Suecorum rex, cognita subditorum perfidia, profugisset in Prussiam, vocatus à Suecis Christianus etiam Sueciæ regnum anno 1457. adipiscitur. Christiano succedit filius Ioannes, qui bellum gerit cum Suecis rebellantibus. Oppugnat item Ditmarsiam, in angulo palustri inter Eydori & Albis ostia sitam, quam vt feudum Imperator Fridericus Christiano & eius posteris tribuerat. Sed circumuentus ab incolis, florem nobilitatis amittit. Ditmarsia.

Christia. II. *Joannem sequitur filius eius Christianus II. anno 1513. Hoc regnante,* Steno. *Sueci denuò facta rebellione, Stenoni regni administrationem committunt. Christianus verò magna belli contentione eos adortus, acie vincit, in qua etiam* Stur. *iam Stur occumbit, quem adeo odit Christianus, vt etiam mortuum effodiat, & exurat: in regni verò proceres sæuitiam ingentem exercet, anno 1520.*

Suecia a Dania auulsa. *Complura erant, quæ Christiernum tunc summopere grauabant. Nam & inuisus erat subditis propter tyrannidem, & armis inuadebatur à patruo* Exilium Christierni. *Friderico, ac Lubecensibus. Itaq; periculi metu magno compulsus, in exilium abit, anno 1521. cum liberis & vxore Isabella, Caroli V. sorore Germana. Dani verò scripto publico sui facti rationem reddunt, nullaq; interposita mora, Fridericum principem Holsatiæ regem eligunt. Etsi autem Christiernus à propinquis adiutus, facta classe, exercituque, amissum regnum recuperare conatur; depel-*

depellitur tamen, & capitur, postquam annos decem in exilio vagatus fuerat, in custodia verò annos 27. habetur, vsq; ad ætatis annum 78.

Anno 1534. Friderico patri succedit in regno Christianus filius, cui bellum fuit admodum graue cum Lubecensi repub. quod tamen intercedentibus multis principibus & rebuspub. anno 1536. compositum est. Pacato regno accersitus VViteberg. Ioannes Bugenhagius ritu Euangelico coronam Christiano imposuit, & religionis doctrinã, ritus ecclesiasticos, & scholas in regno Daniæ emendauit. In Sueciæ regno succedit Gustauo filius Ericus XIV. an. 1560. Hinc Reualia A.C. 1561. sponte se subiecit. In Daniæ verò regno, anno 1559. Christiano succedit filius eius Fridericus II. qui eodem anno cũ fratre Adolpho Holsatiæ duce, Ditmarsos oppugnat, & subiugat. Deinde cum Erico Suecorum rege bellum terra mariq; gerit, in quo tandem, anno 1565. terrestri prælio eum superat, Erico succedit in regno Suecico Ioannes III. anno 1567. qui

Christi. III.

Reformatio religionis in Dania.

Fridericus.

Ditmarsi subiugati.

regiones complures trans Finnicum sinum, Alleritaciam, Visiriam, Harriam, Teruiam, VVichiam regno Sueciæ adiunxit. Bellum item ab Erico incoatum contra Danos renouauit, quod post annos octo demum, intercedentibus legatis Cæsaris, Saxoniæ Electoris, & Brandepurgici sic compositum est, vt pars altera alteri, ea quæ belli tempore alienata erant, redderet & summam aliquam pecuniæ rex Sueciæ penderet. Friderico verò Danorum regi Christianus IV. anno 1588. successit. Hic iam à prima adolescentia studijs doctrinisq; eruditur, & documenta magna dat, quantæ fruges virtutis, & industriæ sint futuræ.

SVECI.

SVecorum & Gothorum regnum amplißimum in orbe Arctoo, reges indigenas per annos fermè ducentos serie continua ex S. Erici posteris habuit, ab anno scilicet Christi 1150. à quibus bene feliciterq; gubernatum est. Postea

verò

verò ad Daniæ reges deuenit, in eoq; statu annis amplius centum permansit. Cum enim anno Christi 1411. regia familia Danici sanguinis defecisset, ex qua annos circiter sexcentos reges orti erant: Margareta regina adoptauit sibi filium & hæredem regni Daniæ, Ericum Pomeraniæ ducem, & ad regnum Daniæ Noruegiam & Sueciam adiecit. Ex quo Semiramis Danica fuit appellata. Ericus verò, profectus ad Sigismundum Imperatorem, Henricum Sclesuuici ducem reum citauit, obtinuitq;, vt Cæsar, sententia lata, Iutiam ipsi adiudicaret. Verum cum diu feliciter regnasset, inuentus est tandem Engelbertus Dalacachus, qui, excusso Danorum imperio, Suecos in libertatem asserit. Ita ergo Sueci primum gubernatorem, postea verò, mortuo Christophoro, Danorum rege, etiam regem sibi elegerunt Carolum Finlandum. Fuit enim fatale huic regno, vt quasi fluctuans, modò Danis pareret, modò peculiares reges haberet.

Carolo autem successerunt ordine Steno, Stenoni Suanto, Suantoni Steno iunior vsque ad Gustauum, qui à Lubecensib. vt multorum fert opinio, adiutus, nouam rebellionem suscitat, Stenonis filios sese vindicaturũ dictitans: cuius etiam filiam matrimonio sibi copulat. Auctus verò viribus regnum apertè inuadit, & à Daniæ regno auellit. Gustauum secutus est Ericus XIV. an. 1560. Ericum Ioannes III. De quorum actis in rebus Danicis aliquid expositum est.

BRITANNI, SCOTI.

Conuersio ad Christũ.

BRitannorum conuersio ad Christi agnitionem & fidem refertur à Tritemio ad annum Christi 184. quo Lucius Britannorum rex à Pp. Eleutherio impetrauit duos episcopos Faganum & Diuiacum, quorum opera & ministerio idolatria exterminata, contra verò religio Christiana in insulam totam inuecta est. Sed verò similius est, Christianam religionem statim ab initio

Chri-

Christianæ Ecclesiæ in Angliam importatam esse. Scoti verò aliquanto post conuersi, Palladium episc. à Celestino pontifice Romano acceperunt, qui ecclesiam Christi apud eos constituit, nempe anno Christi 431. Ac Angliam quidem anno Christi 847. Edelphus rex instituto Inæ regis vectigalem fecit Romanæ Ecclesiæ, ea lege, vt singuli pro singulis domib. quas incolerent, pontifici Romano quotannis singulos denarios argenteos, quos diui Petri denarios vulgo appellant, ad vincula Petri persoluerent.

Denarius S. Petri.

Reges habuerunt Angli continuos quidem, sed intercisa sæpe stemmatis linea. Nam, vt alios præteream, regnante Edelardo, qui dum baptizaretur, infans ventris solutione sacrum fontem polluit, Sueno Danorum rex hostiliter Angliam inuasit, & profligato rege Edelardo, Angliæ totius imperio potitus est: idq; cum posteris suis obtinuit annos triginta, factus Daniæ, Noruegiæ, & Angliæ rex, anno Christi 1037, secundum Iouij Chronicon. Sed post

Reges Angliæ.

Sueno Danus potitur Anglia.

post triginta annos Angli donorum tyrannidis pertæsi, excusso seruitutis iugo, Danos ad vnum omnes partim occidêre, partim eiecêre, Angliæ verò regnum ad Eduardum sanctum detulêre, qui pace, & legibus optimis, qua communes appellantur, illud firmauit. Hic est qui primus strumas seu scrophulas in gutture tactu solo sanauit, & ad posteros reges in in Anglia, tanquam hæreditarium bonum transmisit.

Donum sanandi strumas in regibus Angl.

Anno Christi 1067. Guilelmus Normannus Anglorum rex factus, cum posteris suis per annos 480. regnum obtinuit, extincta ferè Anglorum prosapia. Hic repressis externis hostibus Danis, sublatisq; dissensionibus internis, de integro quasi regnum constituit, idq; legibus Normannico idiomate promulgatis, muniuit. Anno 1088. Guilelmus Rufus Anglorum rex, propter sæuitiam in clerum admonitus ab archiepiscopo Cantuariensi, in exilium eum eiecit, & ad quæstum suum ecclesiastica bona conuertens, sæpe hæc verba vsurpauit:

Angliæ regnũ ad Normannos.

Pinguis

Pinguis est Christi panis, & delitias regibus præbet. Iccirco pœnas dedit impietatis suæ, & in venatione confossus est sagitta. Pinguis Christi panis.

Anno 1118. Henricus I. Anglorum rex 23. cum Gallorum rege Ludouico crasso bellum gesßit, in eoq; victor euasit. Anno 1174. Henricus II. Anglorum rex, reuocato ab exilio Thoma Cantuariensi archiepiscopo, & paulò post in templo à coniuratis confosso, reus arguitur cædis à pontifice Romano. Quo circa se coram legatis pontificis purgat, interposito iureiurando, non quidem se occidisse, affirmans, Thomam, sed simultate sua in eum alijs necandi ipsius occasionem dedisse. Quare vt culpam elueret, promisit se sumtibus suis milites ducentos in Syriam esse missurum contra Saracenos, ac semel ipsum etiam expeditionis sacræ socium se futurum. Tum lege etiam cauit, vt deinceps nemo ad regni fastigium admitteretur, nisi quem pontifex Romanus designasset. Decertauit acie cum Guilelmo Purgatio Henrici II.

elmo Scotiæ rege, qui fines Angliæ hostiliter oppugnarat, eumq́ vicit ac cepit.

Ricardus. Anno 1190. Ricardus I. Anglorum rex 26. in Syriam ad bellum sacrum profectus, tempestate in Cyprum reiectus, insulam cepit, & præsidio firmauit. Inde Ptolemaidem progressus, cum Philippo Gallorum rege eam obsedit, & oppugnauit. Cyprum verò regno Hierosolymitano permutauit. Vnde rex Hierosolymorum, cum posteris suis nominatus est. In reditu ex terra sancta interceptatus à Leopoldo Austriæ duce ad Henricum Imperatorem ductus, & in vincula coniectus est. Vnde pecuniæ summa ingenti sese liberauit. Anno

Anglia fit beneficium pontificis Romani. 1212. Innocentius III. Romanorum pontifex Ioanni III. Angliæ regi, misso Pandulpho, imperium abrogauit, eumq́ iureiurando sponsionem facere coegit, se cum posteris regibus deinceps imperata pontificis Romani facturum, regnumq́ beneficij loco ab illo accepturum. Hic propinato veneno necatus est à monacho.

Anno

Anno 1257. Ricardus Henrici Anglorum regis frater, Romanorum imperator creatus est, vt supra de imperatoribus Roman. dictum. Anno 1259. optimates regni Henrico regi rebellarunt, eumq; in pugna cum Ricardo fratre, & Eduardo filio ceperunt. Non multo post Eduardus è manibus hostium suorum elapsus, prælio eos vicit, & patrem liberauit. Pontifex verò ad sedandum tumultus, legatum misit Othobonum Cardinalem, quem Londinenses in carcerem coniecerunt: Sed mox liberatus est, & gratia inter regem, & nobiles reconciliata. Ex hoc rege nati duo filij, Eduardus Vualliæ princeps, & Edmundus Lancestriæ comes, factionum suarum insignia rosæ albæ & rubræ post se reliquerunt. Ricardus imperator creatus. Rosa alba & rubra.

Anno 1346. Edouardus III. Anglorum rex, qui ordinem Garteriorum equitum instituit, bellum graue cum Gallis suscepit, in quo post multos conflictus tandem ad Cressiacum victi Galli, præter Ioannem Boiemiæ regem, aliosq; duces Garterij.

duces belli socios, circiter 3000. homines amiserunt. Angli verò mox Caletum per deditionem acceperunt. Mansitq́; ea vrbs in Anglorum potestate annos 212. vsque ad annum Christi 1558. quo à rege Gallorum Henrico II. per Cauisium recuperata est. Dauid quoq; Scotiæ rex Angliam infestis copijs vexans prælio vincitur ab Anglis, & per annos decem captiuus in Anglia detentus, tandem numeratis decem aureorum millibus in regnum restituitur.

Caletum in Angl. potestate.

Dauid Scotus.

Anno 1370. Robertus Stuardus Dauidis Scotorum regis ex sorore nepos regnum Scotiæ adeptus est, cuius familia à fœmina incoata ad VI. vsque regem sese extendit, & in fœmina rursum desijt. Anno 1412. Iacobus I. Scotorum rex in Galliam nauigans, captiuus in Angliam ducitur, & post decennium pactis conditionibus in regnum restituitur. Tandem suorum coniuratione in cubiculo confoditur. Ab eo quatuor reges perpetua successione propagati, idem nomen fatale quidem, & in-

Stuardica familia in Scotia.

& infelix prorsus tenuerunt. Nullus enim ex illis est, qui non miserè occubuerit.

In Anglia verò Henricus V. Normanniam, & Rhotomagum cepit, regis verò Caroli filiam in vxorem accepit, ea lege, vt liberi ex eo coniugio nati, in regno Franciæ succederent, & ipse Henricus Angliæ rex, Franciæ verò Rector cognominaretur. Post hunc Henricus VI. rex XXV. anno 1451. Normanniam totam amittit, quam ante annos 30. Henricus V. occupârat. Sequente anno etiam Aquitaneiam amittit, quam ante annos 299. Henricus V. iure dotali acquisierat, Henricus verò III. recuperârat.

Henricus V.

Angliæ rex Franciæ Rector.

Regnante Henrico VII. circa annum Christi 1509. repurgatæ literæ Latinæ & Græcæ in Angliam infusæ; & Gymnasijs compluribus, Cantabrigiensi, Oxoniensi, & Londinensi acceptæ, successu felici longè lateq; propagatæ sunt. Anno 1513. Henricus VIII. Anglorum rex, instinctu pontificis Romani, & Maximiliani Imperatoris in Galliam instructißimum ducit exercitum. Imterim verò Ia-

Literarum doctrina in Anglia repurgata & amplificata.

rò Iacobus IV. Scotorum rex, impetu in Angliam milite vacuam facto, in pugna occiditur. Inter Galliæ verò & Angliæ reges anno sequente pax inita matrimonio Ludouici Gallorum regis, & Mariæ Henrici Anglorum regis sorore firmata est. Anno 1524. idem Henricus VIII. cum exercitu Galliam ingressus, Picardiam vastat: sed sequente anno bellum componitur. Interea acerbè inuectus Henricus in Lutherum, Ecclesiæ reformatorem, libro edito, doctrinam fidei Catholicæ & Sacramentorum defendit. Ob idq́ue defensoris fidei titulo à pontifice Leone X. insignitur, à Clemente verò VII. aurea rosa donatur. Vxorem habebat Catharinam Caroli V. Cæsaris materteram, cum qua annos amplius 20. in coniugio vixerat. At postea eam repudiabat, ac Annam Boleniam, dissuadente pontifice Romano, ducebat. Quare is, lata contra illum sententia, connubium rescindit. Rex verò mox decretum facit, quo pōtifici primatum per suum regnum abrogat, & in se proximum à Christo potestatem

Henr. VIII.

Aduersarius Lutheri.

Diuortia Henrici.

statem ecclesiasticam transfert. Tum Petri etiam numum annuum pontifici detrahit. Improbabāt autem hoc diuortium regis, dignitatisq́; pontificiæ abrogationem plerique eruditi in regno, Elisabetha monacha, & aliquot sacrarum literarum professores, qui propterea laquei supplicio necati sunt. Thomas Morus quoque regni Cancellarius, & Ioannes Fischerus Roffensis episcopus ob eandem caussam securi percutiuntur. Catharina repudiata veneno, vt plerorumque fert opinio, extinguitur. Anna verò Bolenia adulterij damnata cum fratre, & nobilibus aliquot capite plectitur. Rex postridie vxorem tertiam Ioannam Semeriam, & post eam quartam, Annam Cliuensium principis sororem ducit. Hac iterum repudiata, Catharinam Hauardam quinto matrimonio sibi copulat, biennio post etiam Hauardam adulterij insimulatam capite plectit, & Catharinam Pariam viduam sibi coniungit.

Tumultus in regno varij fuerunt hoc tempore: sed compositi tamen sunt,

Eduard. VI. religionem mutat.

& regnum ad Eduardum VI. Henrici VIII. filium ex Ioanna Semeria Anglicana natum deuenit. Hic γχσιζό-τμητ@ fuit; & Eduardus VI. est appellatus, qui anno 1548. religionem antiquam profligauit, Missam abrogauit, & Euangelij doctrinam recepit. Post eum verò Maria eiusdem Henrici VIII. filia, Angliæ regina salutata, Euangelica religione abolita, pontificiam restituit, vnde exulum & martyrum cateruæ magnæ extiterunt; quas sua incitatione non parum auxit Polus Cardinalis, ea de caussa à Pontifice in Angliam missus. Accessit anno 1554. coniugium reginæ cum Philippo Hispaniarum rege, qui vnà cum regina etiam regno Angliæ, inuitis regni proceribus, [illegible]tus est. Soror verò reginæ Elisa[illegible] in custodiam data, & in Euan[illegible]os promiscuè sæuitum: alij alijs sup[illegible]ijs necati: in custodias nonnulli dati, [illegible]idam extincti.

Philippus. Hisp. potitur Anglia.

At anno 1558. mortua Maria, [illegible] eius Elisabetha ex Anna Bolenia

ad

ad regnum euecta pontificiam religionem iterum abolet, & Euangelicam introducit. Hæc rebus Angliæ ita hactenus præest, vt & religionem Euangelicam constanter tueatur, & regnum opibus, orbem verò terrarum rerum gestarum magnitudine compleat. Classem Hispanicam nauium 130. præter minores, quæ sibi anno 1598. de Angliæ regno, omnibusq; vicinis insulis victoriam certam spoponderat, sic excepit, vt partem eius bonam armis delêrit, partem verò reliquam in tantas angustias adegerit, vt tempestatibus absorpta sit. Hoc tempore Euangelicorum necessitatibus in Gallia seruit, pecunia & opera. Tum per Drakium classis præfectum, tanquam Neptunum alterum viride promontorium, quo Hispani in Americam nauigantes appellunt, item S. Dominici insulam in Hispaniola, & alia cepit, quibus Hispanorum opes imminuit, conatus vehementer infringit.

Anno 1589. Drakio & Norrysio ducibus, classis Anglica quatuordecim

cim legionum, quarum maxima mille milites habet, in Lusitaniam ducitur, solicitante & instante Antonio, quem Hispanus regno Lusitaniæ exuit. Transportantur autem primum Holandicis nauibus sexaginta Plimotham, mense Martio, vbi recensentur, & ventis aduersis mensem amplius detinentur. Inde ventis secundis in Lusitaniam pergunt nauibus onerarijs regijs sex, bellicis viginti, centum & quadraginta alijs bene instructis. Exeunte Aprili coronam attingunt, in cuius oppugnatione multum laborant, sed vbi eius deditio pertinaciter denegatur, dato & accepto, vt fit, vtrinq; detrimento, sic discedunt, vt oppidum inferius totum exurant. Hinc Vlyßiponem petunt, & Norrysius quidem exercitum sex militum eo adducit, Drakius verò cum classe mille quingentorum apud Cascalim considet: vt loco opportuno suis subsidio venire, hostem verò aditu & commeatu prohibere poßit. Ad vrbem laceßitur quidem hostis: sed is intra mœnia sese continet; quod

quod mora frangi ac debilitari Anglos facilius posse arbitratur, quàm prælio. Interim Angli incommodis & difficultatibus multis afficiuntur, commeatus inopia, tormentorum & pulueris penuria, & morbo epidemio. Ad confligendum quidem satis parati sunt cum Hispanis: sed ij pugnam omnem detrectant. Quin ad monomachiam etiam prouocat Essexiæ comes fortissimum quenque Hispanorum. Sed vbi obtineri nihil potest, in Angliam redeunt ineunte Iulio.

In Scotia verò Iacobus VI. dominatur, cuius ingenij magnitudo & virtus, tum eruditio etiam fama celebratur. Natus est is ex Henrico Stuardo, matre verò Maria Iacobi V. regis Scotorum filia, quæ coniuncta prius cum Francisco II. Gallorum rege, post mortem eius nupsit Henrico Stuardo, illumq; necandum anno 1565. curauit. Vnde parricidij conuicta, ad carceres perpetuos damnata est. Sed elapsa inde anno 1568. in Anglia intercepta est. Iacob. VI. Scotorum rex.

Ibi detenta ad annum 1586. conspirationis rea facta est aduersus Angliæ reginam, quam per proceres aliquot Angliæ, & duas in gynæceo virgines veneno tollere tentauit. Iccirco Londini in carcerem damnatorum coniecta est, & anno 1587. securi percussa. Duxit Iacobus in matrimonium Annam regis Daniæ filiam, die Nouembris 23. anno 1589. nuptijs in Noruegia celebratis: quo cum sex nauibus appulit, postquā tempestatibus, ventisq; aduersis eò reiectam esse sponsam, in Scotiam nauigantem; cognouit. Ex Noruegia in Daniæ arcem munitißimam & splendidißimam Cronburgum venit cum sponsa inuitatus literis ac legatis Danorum regis, vbi etiam honorificentißimè habitus hybernauit.

GALLI.

IN *fine millenarij quinti, anno 997. Hugoni Capeto satori stirpis regiæ, quæ in hodiernum vsq; diem rerum potitur, succeßit in regno Robertus rex* Robertus.

pius

pius & doctus, qui composuit cantica sacra, quæ extant: O Iuda & Hierusalem: O constantia martyrum: Cornelius Centurio: Spiritus sancti adsit nobis gratia. Templa complura condidit, & ducatum Burgundiæ ex Henrici legato, ad Franciæ regnum adiunxit.

Anno 1030. Roberto successit filius Henricus I. Henrico I. filius Philippus anno 1060. Philippo Ludouicus Crassus filius anno 1109. Ludouico Philippus filius, anno 1129. Philippo de equo per suem lapso & extincto, frater Ludouicus anno 1131. Ludouico Ludouicus filius, anno 1137. qui ducatum Aquitaniæ ex dote coniugis Leonoræ, Guilelmi ducis Burgundiæ filiæ accepit, & regno Galliæ adiecit. Restitit hic pontifici Romano Innocentio, cum ipso inscio & inuito archiepiscopum Biturigibus obtrudere voluit. Exercitum numerosum duxit in Syriam, ad iuuandum Imperatorem Cunradum in bello Saracenio, anno 1148. Tandem repudiata Leonora, ex qua duas fœmellas

Henricus I.

Ludouicus.

Aquitania.

susceperat, Constantiam duxit, Alphonsi regis Galiciæ filiam. Leonora verò nupsit Henrico Andegauensium duci. Cum verò Ludouicus nec ex altera vxore sobolem masculam susciperet: communes pro se preces paßim fieri iußit: quas etiam exaudiuit Deus, & anno 1165. filium Philippum dedit.

Philippus. Anno 1179. Philippus Ludouici filius rex inauguratus est, & regnauit annos 44. Expeditionem suscepit in Syriam, anno 1190. Infestis signis illatus est in Othonem imperatorem, eumq; vicit ad pagum Bouinas, anno 1214.

Ludouicus IX. Post Philippum regnauit filius eius Ludouicus IX. mitis, qui statim renouauit, & confirmauit fœdus, fraternitatem, & amicitiam cum Romano Imperatore, & Germanis, anno 1223. Mortuus est in expeditione contra Albianos, qui

Albiani. in comitatu Tolosano, pro hæreticis habebantur, propterea quod corpus Christi in pane esse, vt in alijs rebus, censuerunt.

Anno 1226. Ludouicus filius regnat annos

annos 44. mortuus in expeditione in Africam contra infideles, postquam Carthaginem cepisset, & peste à Tuneti obsidione depulsus esset. Tunetum verò paulò post frater ipsius Carolus Siciliæ rex occupat, & tributariam facit, tum vt Euangelij præconium liberum per Africam sit, efficit.

Anno 1270. Philippus Ludouici filius, rex in castris designatur, qui annos regnat quindecim. Post eum filius eius Philippus IV. pulcer, anno 1285. regnat annos viginti nouem. Vetat ne pecunia ex regno suo ad pontificem Rom. Bonifacium VIII. vehatur. Pontifex autem vindictæ cupidus, regnum ei abrogat, & Alberto imperatori tradidit. Rex concilium aduocat ecclesiasticorum in quo pontificem hæreticum pronunciat, & ab eo ad concilium generale prouocat. Tum etiam per Sarram Columniensem Anagniæ, refractis valuis, noctu illum capit clam, & Romam in custodiam ducit, vbi ex indignatione & mœrore obijt.

Philippus.

Concertatio regis & pontificis.

Ante

rò Iacobus IV. Scotorum rex, impetu in Angliam milite vacuam facto, in pugna occiditur. Inter Galliæ verò & Angliæ reges anno sequente pax inita matrimonio Ludouici Gallorum regis, & Mariæ Henrici Anglorum regis sorore firmata est. Anno 1524. idem Henricus

Henr. VIII.

VIII. cum exercitu Galliam ingressus, Picardiam vastat: sed sequente anno bellum componitur. Interea acerbè inuectus

Aduersarius Lutheri.

Henricus in Lutherum, Ecclesiæ reformatorem, libro edito, doctrinam fidei Catholicæ & Sacramentorum defendit. Ob idq; defensoris fidei titulo à pontifice Leone X. insignitur, à Clemente verò VII. aurea rosa donatur. Vxorem habebat Catharinam Caroli V. Cæsaris materteram, cum qua annos amplius 20. in coniugio vixerat. At postea eam repudiabat,

Diuortia Henrici.

ac Annam Boleniam, dissuadente pontifice Romano, ducebat. Quare is, lata contra illum sententia, connubium rescindit. Rex verò mox decretum facit, quo pōtifici primatum per suum regnum abrogat, & in se proximum à Christo potestatem

statem ecclesiasticam transfert. Tum Petri etiam numum annuum pontifici detrahit. Improbabāt autem hoc diuortium regis, dignitatisq; pontificiæ abrogationem pleriq; eruditi in regno, Elisabetha monacha, & aliquot sacrarum literarum professores, qui propterea laquei supplicio necati sunt. Thomas Morus quoq; regni Cancellarius, & Ioannes Fischerus Roffensis episcopus ob eandem caussam securi percutiuntur. Catharina repudiata veneno, vt plerorumq; fert opinio, extinguitur. Anna verò Bolenia adulterij damnata cum fratre, & nobilibus aliquot capite plectitur. Rex postridie vxorem tertiam Ioannam Semeriam, & post eam quartam, Annam Cliuensium principis sororem ducit. Hac iterum repudiata, Catharinam Hauardam quinto matrimonio sibi copulat, biennio post etiam Hauardam adulterij insimulatam capite plectit, & Catharinam Pariam viduam sibi coniungit.

Tumultus in regno varij fuerunt hoc tempore: sed compositi tamen sunt,

Eduard. VI. religionem mutat.

& regnum ad Eduardum VI. Henrici VIII. filium ex Ioanna Semeria Anglicana natum deuenit. Hic γκεσζό-τμητ⊗ fuit; & Eduardus VI. est appellatus, qui anno 1548. religionem antiquam profligauit, Missam abrogauit, & Euangelij doctrinam recepit. Post eum verò Maria eiusdem Henrici VIII. filia, Angliæ regina salutata, Euangelica religione abolita, pontificiam restituit, vnde exulum & martyrum cateruæ magnæ extiterunt; quas sua incitatione non parum auxit Polus Cardinalis, ea de caussa à Pontifice in Angliam missus. Acceßit anno 1554. coniugium reginæ cum Philippo Hispaniarum rege, qui vnà cum regina etiam regno Angliæ; inuitis regni proceribus, potitus est. Soror verò reginæ Elisabetha in custodiam data, & in Euangelicos promiscuè sæuitum: alij alijs supplicijs necati: in custodias nonnulli dati, quidam extincti.

Philippus. Hisp. potitur Anglia.

At anno 1558. mortua Maria, soror eius Elisabetha ex Anna Bolenia

Elisabetha.

ad

ad regnum euecta pontificiam religionem iterum abolet, & Euangelicam introducit. Hæc rebus Angliæ ita hactenus præest, vt & religionem Euangelicam constanter tueatur, & regnum opibus, orbem verò terrarum rerum gestarum magnitudine compleat. Classem Hispanicam nauium 130. præter minores, quæ sibi anno 1598. de Angliæ regno, omnibusq; vicinis insulis victoriam certam spoponderat, sic excepit, vt partem eius bonam armis delêrit, partem verò reliquam in tantas angustias adegerit, vt tempestatibus absorpta sit. Hoc tempore Euangelicorum necessitatibus in Gallia seruit, pecunia & opera. Tum per Drakium classis præfectum, tanquam Neptunum alterum viride promontorium, quo Hispani in Americam nauigantes appellunt, item S. Dominici insulam in Hispaniola, & alia cepit, quibus Hispanorum opes imminuit, conatus vehementer infringit.

Anno 1589. Drakio & Norrysio ducibus, classis Anglica quatuorde-

cim legionum, quarum maxima mille milites habet, in Lusitaniam ducitur, solicitante & instante Antonio, quem Hispanus regno Lusitaniæ exuit. Transportantur autem primum Holandicis nauibus sexaginta Plimotham, mense Martio, vbi recensentur, & ventis aduersis mensem amplius detinentur. Inde ventis secundis in Lusitaniam pergunt nauibus onerarijs regijs sex, bellicis viginti, centum & quadraginta alijs bene instructis. Exeunte Aprili coronam attingunt, in cuius oppugnatione multum laborant, sed vbi eius deditio pertinaciter denegatur, dato & accepto, vt fit, vtrinq; detrimento, sic discedunt, vt oppidum inferius totum exurant. Hinc Vlyßiponem petunt, & Norryßius quidem exercitum sex militum eo adducit, Drakius verò cum classe mille quingentorum apud Cascalim considet: vt loco opportuno suis subsidio venire, hostem verò aditu & commeatu prohibere poßit. Ad vrbem laceßitur quidem hostis: sed is intra mœnia sese continet:
quod

quod mora frangi ac debilitari Anglos facilius posse arbitratur, quàm prælio. Interim Angli incommodis & difficultatibus multis afficiuntur, commeatus inopia, tormentorum & pulueris penuria, & morbo epidemio. Ad confligendum quidem satis parati sunt cum Hispanis: sed ij pugnam omnem detrectant. Quin ad monomachiam etiam prouocat Essexiæ comes fortissimum quenque Hispanorum. Sed vbi obtineri nihil potest, in Angliam redeunt ineunte Iulio.

In Scotia verò Iacobus VI. dominatur, cuius ingenij magnitudo & virtus, tum eruditio etiam fama celebratur. Natus est is ex Henrico Stuardo, matre verò Maria Iacobi V. regis Scotorum filia, quæ coniuncta prius cum Francisco II. Gallorum rege, post mortem eius nupsit Henrico Stuardo, illumq; necandum anno 1565. curauit. Vnde parricidij conuicta, ad carceres perpetuos damnata est. Sed elapsa inde anno 1568. in Anglia intercepta est.

Iacob. VI. Scotorum rex.

Ibi detenta ad annum 1586. conspirationis rea facta est aduersus Angliæ reginam, quam per proceres aliquot Angliæ, & duas in gynæceo virgines veneno tollere tentauit. Iccirco Londini in carcerem damnatorum coniecta est, & anno 1587. securi percussa. Duxit Iacobus in matrimonium Annam regis Daniæ filiam, die Nouembris 23. anno 1589. nuptijs in Noruegia celebratis: quo cum sex nauibus appulit, postquã tempestatibus, ventisq; aduersis eò reiectam esse sponsam, in Scotiam nauigantem; cognouit. Ex Noruegia in Daniæ arcem munitissimam & splendidissimam Cronburgum venit cum sponsa inuitatus literis ac legatis Danorum regis, vbi etiam honorificentissimè habitus hybernauit.

GALLI.

IN fine millenarij quinti, anno 997. Hugoni Capeto satori stirpis regiæ, quæ in hodiernum vsq; diem rerum potitur, successit in regno Robertus rex Robertus.

pius

pius & doctus, qui composuit cantica sacra, quæ extant: O Iuda & Hierusalem: O constantia martyrum: Cornelius Centurio: Spiritus sancti adsit nobis gratia. Templa complura condidit, & ducatum Burgundiæ ex Henrici legato, ad Franciæ regnum adiunxit.

Anno 1030. Roberto successit filius Henricus I. Henrico I. filius Philippus anno 1060. Philippo Ludouicus Crassus filius anno 1109. Ludouico Philippus filius, anno 1129. Philippo de equo per suem lapso & extincto, frater Ludouicus anno 1131. Ludouico Ludouicus filius, anno 1137. qui ducatum Aquitaniæ ex dote coniugis Leonoræ, Guilelmi ducis Burgundiæ filiæ accepit, & regno Galliæ adiecit. Restitit hic pontifici Romano Innocentio, cum ipso inscio & inuito archiepiscopum Biturigibus obtrudere voluit. Exercitum numerosum duxit in Syriam, ad iuuandum Imperatorem Cunradum in bello Saracenio, anno 1148. Tandem repudiata Leonora, ex qua duas fœmellas

Henricus I.

Ludouicus.

Aquitania.

susceperat, Constantiam duxit, Alphonsi regis Galiciæ filiam. Leonora verò nupsit Henrico Andegauensium duci. Cum verò Ludouicus nec ex altera vxore sobolem masculam susciperet: communes pro se preces passim fieri iussit: quas etiam exaudiuit Deus, & anno 1165. filium Philippum dedit.

Philippus. Anno 1179. Philippus Ludouici filius rex inauguratus est, & regnauit annos 44. Expeditionem suscepit in Syriam, anno 1190. Infestis signis illatus est in Othonem imperatorem, eumque vicit ad pagum Bouinas, anno 1214.

Ludouicus IX. Post Philippum regnauit filius eius Ludouicus IX. mitis, qui statim renouauit, & confirmauit fœdus, fraternitatem, & amicitiam cum Romano Imperatore, & Germanis, anno 1223. Mortuus est in expeditione contra Albianos, qui

Albiani. in comitatu Tolosano, pro hæreticis habebantur, propterea quod corpus Christi in pane esse, vt in alijs rebus, censuerunt.

Anno 1226. Ludouicus filius regnat

annos

annos 44. mortuus in expeditione in Africam contra infideles, postquam Carthaginem cepisset, & peste à Tuneti obsidione depulsus esset. Tunetum verò paulò post frater ipsius Carolus Siciliæ rex occupat, & tributariam facit, tum vt Euangelij præconium liberum per Africam sit, efficit.

Anno 1270. Philippus Ludouici filius, rex in castris designatur, qui annos regnat quindecim. Post eum filius eius Philippus IV. pulcer, anno 1285. regnat annos viginti nouem. Vetat ne pecunia ex regno suo ad pontificem Rom. Bonifacium VIII. vehatur. Pontifex autem vindictæ cupidus, regnum ei abrogat, & Alberto imperatori tradidit. Rex concilium aduocat ecclesiasticorum in quo pontificem hæreticum pronunciat, & ab eo ad concilium generale prouocat. Tum etiam per Sarram Columniensem Anagniæ, refractis valuis, noctu illum capit clam, & Romam in custodiam ducit, vbi ex indignatione & mœrore obijt.

Philippus.

Concertatio regis & pontificis.

Ante

Ante mortem hortatus est filios suos ad caritatem mutuam. Ludouicum verò natu maximum sic affatus est: quoniam, ô fili, pluribus vectigalibus, & tributis populum meum vexaui, & eę re mihi odium acerbum conflaui: tu miserere patris animæ, & quæ male à me gesta sunt, ipse emenda.

Ludouicus X.

Anno 1314. Ludouicus X. Ludouici filius, cognomento Hutinus fit rex. Cui succedit anno 1316. filius Ioannes Hutinus: Ioanni Hutino Philippus Longus anno eodem, Philippo Longo frater eius Carolus VII. pulcer, anno 1321: Carolo VII. Philippus Valesius, anno 1328. Hic cum Edouardo Anglorum rege pugnauit mari de Flandriæ comitatu: In prælio succubuerunt Galli, qui classem quadringentarum nauium habebant: & ceciderunt ex vtroq; exercitu 30000. Creuit hoc tempore disceptatio inter Edouardum, & Philippum de regno Francorum, quod ille sibi iure vendicabat, iccirco quia ex regibus nepos, & masculus erat. Philippus verò lege

Ioannes Hutinus.

Carolus VII

Philippus Valesius.

Bellum Gallorum & Anglorum.

lege Saliqua sese tuebatur, quæ vetat vllam hæreditatis portionem de terra Salica ad mulierem deferre. Pro Edouardo Ludouicus imperator pronunciauit, regnum Franciæ ei deberi, tanquam legitimo hæredi. Sed veniam petens Philippus Imperatori reconciliatur.

Terra Salica, hoc est solius regis, seu Francica

Anno 1340. prælium atrox committitur, inter Gallos & Anglos, in quo vincit Anglus, & Gallorum naues omnes partim capit, partim confringit.

Anno 1346. iterum ad Creßiacum pugnatur ab ijsdem, vbi cæsi dicuntur Gallorum 30000. Tum Caletum etiam ab Anglis occupatur. Delphinatus verò Viennensis in Philippi regis Francorum potestatem venit hoc modo: ingreditur Imbertus Delphinus prædicatorum ordinem sacrum: Principatus verò successorem atque hæredem instituit Philippum, vt supra in vita Imperatoris Caroli IIII. Anno 1350. rex Franciæ fit Ioannes Valesius, Philippi Valesij filius,

Cales Delphinatus

Ioannes Valesius.

qui anno 1356. in conflictu cum Ricardo Anglorum rege captus est, & Burdegalam cum Philippo filio perductus, post sex verò annos dimissus. Anno

Carolus V. 1364. Carolus V. Ioannis Valesij filius rex creatur: post eum anno 1380.

Carolus VI. Carolus VI. filius, qui annos 42. regnat. Hic in Britones suscepta expeditione, dum per syluam Cenomanniæ proximam iter facit, admonetur ab homine pannoso, & mendico simili, ne vltrà pergat. Proditus enim es, inquit, ô rex, in potestatem hostis tradent te domestici tui. Territus hac voce rex mussitat. Adolescentium verò duorum, qui

Insanus. eum sequebantur, alter, qui lanceam gerebat, dormitans, forte eam in alterius sequentis caßidem decidere sinit: ex quo tinnitu rex in furorem actus, districto gladio in proximos quosque sæuit, & quatuor ex illis interimit. Inde comprehensus, & in diuersorium adductus mortuo similis aliquandiu iacet. Postea verò precibus pro eo factis, paululum respirat. Iouius scribit, Philippum

pum Burgundiæ ducem, inita pace & & amicitia cum Henrico Anglorum rege, tradidisse ei hunc Carolum regem cum regina, & vrbe Lutetia, impulisseq; Caroli regis filiam, vt regi Anglorum sese desponsari pateretur, ea conditione, vt eius liberi hæredes essent regni Franciæ.

Anno 1422. Carolo VI. succedit filius Carolus VII. & regnat annos 38. Interim Angliæ rex Henricus VI. titulum, & insignia regni Angliæ & Franciæ vsurpat, Parisijsq; in templo summo vtriusq; regni rex renunciatur. Manet ita in Anglorum potestate Galliæ regnum vsq; in annum decimum quintum, Christi verò 1436. quo, eiectis Anglis Galli illud recuperant. Anno verò 1450. etiam Normanniam ijdem Anglis eripiunt, quam hi annis triginta obtinuerant. Paulò post anno 1452. Aquitaniam quoq; recipiunt, vt supra in rebus Anglicis. Anno 1461. Carolo VII. succedit filius Ludouicus XI. & regnat

Carolus VII.

Galli parent Anglis.

Gallia recuperata.

Ludouicus XI.

gnat annos 23. Oppugnatur à fratre Carolo, qui cum proceribus Galliæ conspirârat, ab eoq; in pugna vincitur. Mortuo Carolo Burgundiæ duce, anno 1477. Flandriam, & Burgundiam occupat. Moriturus filio suo successori aulæ ministros commendat, quorum fidem ipsemet explorârat. Lucis huius vsuram diuturniorem summis votis expetens, sacrum liquorem cælitus olim Clodouæo missum Remis, virgam item Aaronis, & victoriæ crucem Carolo Magno diuinitus datam, vt fert opinio, afferendam sibi curat, sed frustra.

Remedia contra mortē tentata.

Anno 1404. Galliæ rex creatur Carolus VIII. qui regnat annos quatuordecim. A patre iussus est hæc quinque tantum Latina verba discere: Qui nescit dißimulare, nescit imperare. Desponsa est ei filia Maximiliani imperatoris Margareta, infra bimatum. Regnum Neapolitanum occupauit anno 1494. quod postea anno 1503. Hispanus in suam potestatem redegit contra fœdus pactum. Post eum ab anno 1407.

Carolus VIII.

regnat

regnat Ludouicus XII. Aurelianensis dux, qui Mediolanum occupat, duce eius Ludouico Sfortia profligato. Hic verò post menses sex, eiectis Gallis ducatum recipit. Anno sequente, qui est 1500. Ludouicus iterum armis Sfortiam oppugnat, cædit, & captum secum in Galliam abducit.

Ludouicus XII. qui solo contactu potuit mederi strumis

Anno 1515. mortuo Ludouico XII. succedit in regno Franciscus I. Valesius, & regnat annis 31. Primo statim anno Heluetios ad Marignanum in agro Mediolanensi cædit, & vincit prælio memorabili, quod biduum durasse dicitur, ducatumq́ Mediolanensem recuperat. Anno 1521. bellum graue & diuturnum contra Carolum Imperatorem suscipit, & anno 1525. capitur, vt supra in historia Caroli V. In VValdenses sæuit, quod à pontifice Romano dissideant.

Franciscus I. Valesius.

Anno 1547. Francisco I. succedit filius Henricus II. qui Clementis Papæ instinctu neptem ipsius Catharinam ex Laurentio Medice duxit vxorem. Cui

Henric. II.

Catharinæ neptis Papæ. *pontifex dotis nomine, præter maternâ oppida in Auernis, largitus est centum millia aureorum, gemmas, vniones, & suppellectilem tori preciosam. Francisco autem patri cornu bicubitale vnicornis donauit. Hic est Henricus ille, cum quo fœdus fecerunt Mauritius Saxoniæ Elector, & marchio Albertus, vidicandæ libertatis Germanicæ caussa. Quare cum exercitu egressus ille per Lotharingiam, Tullum, Verdunum, & Metim vrbes imperiales contra fidem datam occupat, vt in historia Caroli V. & Mauritij Saxonis dictum est.*

Caletum Picardiæ vrbs & portus celeberrimus, quem Cæsar Iccium appellat. Hunc Angli 211. annos tenuerunt, & clauem ianuamq; Galliæ nominabant. *Caletum item recuperat, & in Euangelicos sæuire incipit. Bellum cum Carolo V. & Philippo eius filio in annum vsq; 1559. continuatum componit, data sorore sua Elisabetha Hispanorum regi Philippo: & dum in nuptijs cupiditate ludi equestris, siue certaminis ludicri nimis effertur, vulnus in capite accipit, hastæ fragmento per galeam adacto in cranium à Montgomerio, quo extinctus est.*

Anno

Anno 1559. Franciscus II. patri Henrico II. successit, & altero anno post ex cerebri apostemate mortuus est. Hoc regnante Hugonoti cœperunt vocari quotquot Euangelium per Galliam profitebantur, vel à S. Hugone Capeto, ad cuius portam apud Aurelianos primum religionem suam exercuerunt Euangelici: vel à Hugone Capeto, cuius stirpis sunt Burbonij principes & assertores Euangelicæ doctrinæ: vel à nocturnis conuentibus Euangelicorum, quos pontificij laruis Hugneti monachi noctu apud Aurelianos vagantibus per contemtum & ridiculum compararunt. Francisc. II.

Hugonotti.

Anno 1561. Carolus IX. Francisci frater Galliæ rex coronatur, ætatis anno vndecimo: cui rex Nauarræus vicarius, mater verò gubernatrix regni ßignatur. Carolus IX.

Hoc rege colloquium de religione institutum est Poßiaci inter Catholicos, & Euangelicos; cui ex Catholicis præfuere Cardinales Franciscus Tommouius & Carolus Lotharingus, ex Euan- Colloquium Posiacum.

gelicis verò Theodorus Beza, Petrus Martyr. Tentata est quidem conciliatio in doctrina, sed fieri nulla potuit, quod neque Pontificij de ecclesiæ Romanæ decretis, neque Euangelici de reformatæ suæ ecclesiæ dogmatibus concedere vellent. Postulabant pontificij à reformatis, vt Augustanæ confeßioni subscriberent: sed fraude & dolo id faciebant, vt, si subscribere recusarent, ab ecclesia Protestantium seiungerentur. Reformati verò, quanquam in toto colloquio non nisi honorificè sentiebant, & loquebantur de Augustana confeßione: iudicari tamen ex ea de omnibus controuersis articulis nolebant. Hoc vero nomine pontificijs præferebantur à plerisque; quod absq; tergiuersatione regio mandato paruissent; nec vlla re propositas in colloquio conditiones violassent, nec congredi cum aduersarijs renuissent.

Libertas Euangelicis data.

Eodem anno, edicto regio, potestas data est Euangelicis extra mœnia vrbium conueniendi, negociaq; suæ religionis

gionis obeundi, vsq; ad concilij Tridentini determinationem, vel donec per regem aliud statueretur. Idq; promulgatum est in senatu Parisiensi: sed sequente anno 1562. bellum ciuile ob religionem exarsit, ducibus Guisio, & Condæo, in quo rex Nauarræ Condæi frater à Guisio stans in obsidione Rhotomagensi interfectus est, alijq; duces partim capti partim cæsi sunt. Ipse Guisius dum Aurelianos Andelotio propugnante, obsidione premit, globo bombardæ ictus à Poliroto interijt, author verò cædis quatuor equis discerptus est. Euangelicis opem tulit Angliæ regina: Sed rex Galliæ, inito cum illis fœdere, edictum pacificationis, anno 1566. promulgat.

Bellum ob religionem primum. Sunt enim quinq; bella ciuilia propter religionis caussam in Gallia gesta.

Non multò post noui tumultus Galliam obruunt, quibus Montmorantius, Comestabilis, & alij intereunt. Sed sequitur altero anno pax, quam id simulatam seu insidiosam vocant, quod id vnum à Catholicis eò quæsitum esse res postea docuit, vt Euangelici dimissis è re-

Bellum ciuile secundum.

gno Germanicis copijs, mox imparati opprimerentur. Ea, vix dum bene inita, dissoluta est. Anno 1569. bellum tertium
Bellum 3. oritur, in quo cum Euangelici opem à principibus Germaniæ peterent: rex Galliæ à Maximiliano Imperatore & imperij principibus flagitat, ne copijs vllis à se missis Condæum, & socios eius iuuent. Cui respondet Cæsar Maximilianus, clementia & moderatione opus esse, si imperare
Anno 69. velit. In hoc bello Ludouicus princeps Condæus captus, mox contra fidem datam, globulo ad occiput traiectus est à Montesquio ducis Andegaui excubitorum præfecto, qui ipsum à tergo adortus erat. Habuit in ore & animo hic Ludouicus Burbonius Condæus princeps hæc verba, tanquam symbolum: pro Christo, & patria dulce periculum. VVolfgangus Palatinus febri pestilentiali extinctus est, cum Euangelicis opem laturus per medios hostes penetrans viam sibi ad socios cum ingenti equitatu aperuisset. Deniq; ad 1400. hominum hoc ipsum bellum absumsit.

Anno

Anno 1570. tertium pacificationis edictum in Gallia promulgatur. Sed anno 1572. Amiralius Caspar Colignius Castilioni dominus, cum genero, & multis proceribus regni reformatam religionem profitentibus, ad nuptias Henrici regis Nauarræi, & sororis Gallorum regis Caroli IX. vocatus, die Augusti 24. cum nihil hostile metueret, interdiu vulneratus, noctu in lecto trucidatur cum suis. De quibus cruentissimis nuptijs versus numeralis est factus, diem cædis continens:

BartholoMaeVs fLet, qVIa gaLLICVs oCCVbat AtLas.

Sunt etiam compositi versus alij, quibus pietas, & robur animi inuictum huius herois exprimitur. Dixit enim sæpius malle se mortem oppetere millies, quàm religionis caussam deserere. Sic Pietas & Amiralius colloquuntur.

P. Ille Dei miles iacet Amiralius armis
Omnibus inuictus, victus ab insidijs,
Sic ego te video, dolor, ô dolor, ergo iacentem?
A. Sic iaceo, non me, vera, iacente, iacent.
P. At quis erit, sanctũ qui nunc propugnat ouile?
A. Ipse suum tutum pastor ouile dabit.

Erant autem destinatæ nuptiæ ad cædem promiscuam omnium reformatorũ: sed ab Amiralio factum initium, qui multis vulneribus confectus, per fenestram in vici pauimentum proiectus est. Caput verò à trunco abscissum, aromatibusq; conditum, vt Romã missum pontifici & cardinalibus ludibrio esset. Alij manus & pudenda reciderunt, mutilumq; corpus per vrbis vicos triduo raptarunt, & ad Monfalconium, quæ sunt damnatorum furcæ, suspenderũt. Durauit laniena ad complures dies in vrbe: sed tribus tamen primis diebus acerrima fuit, ac supra decem millia hominum sustulit, Parisijs, vt quidam scribunt 30000. per regnum vniuersum 100000. perierunt, nulla sexus, nulla ætatis, nulla cõditionis ratione habita. Vnde copia sanguinis tanta emanauit, vt per vrbem instar riuorum difflueret. Ad eundem modum sæuitum est Meldis, Tricaßibus, Aurelianis, Biturigibus, Lugduni, Tolosæ, Rotomagi, & per omnes regni prouincias & agros. Nec prius furens turba conquieuit, quàm regis edicto coerceretur.

Ami-

Amiralij cadauer Guisius ipse inspicere voluit, non prius mortuum illum esse credens, quàm vita priuatum vidisset. Itaque faciem eius linteo abstersit, vt penitus cognosceret, tum in mortui faciem pedem impegit. Tantum denique immanitatis habuit hæc ipsa laniena, vt non solum vicos, profluentem, & portas sanguine respersertit, sed naturæ etiam ipsi vim attulerit. Nam & liberi in parentum cruore volutati sunt, & mulieres grauidæ inflictis vulneribus abortire coactæ, ex nonnullis etiam fœtus extracti, ad terram, vel parietes allisi sunt, alij alios prodiderunt, liberi parentes, mariti vxores, vxores maritos, frater fratrem: quin etiam gratias quidam egit interfectori vxoris suæ, ægrotantes ex lectis in plateas abiecti sunt. Et quod immanissimum est, non vlli sensum doloris vllum præ se ferre impunè licuit.

Hoc sibi interiecto terrore mortis, plerique reformati exhorrent quidem vehementer: sed animum illis mox dedit

Rupellanorum constantia, quibiscum pontificiorum conatibus nefarijs prudenter ac fortiter restiterunt. Ex quo bellum quintum conflatum est, in quo Rupellani exercitum regium vi magna sustinuerunt: donec pax negotiatione Polonica præsertim vrgente, ea conditione concederetur, vt Rupella, Montalbanum, & Nemausum religionis suæ exercitium liberum & integrum in baptismo, cœna domini, & matrimonijs, non pro se solum, sed pro omnibus, qui aliunde ad eos venire vellent, haberent. Nec minus interea Sanserrani obsidentur, & vndiq; sic premuntur, vt famis periculum summum impendeat. In eas enim angustias veniunt, vt tergora boum, vaccarum, ouium, cingula coriacia, capistra, frena, boum vngulas, & id genus alia vorent. Deditione facta malè seruata fides. Præfectus Iohannilius vir literatus & pius occiditur, tolluntur & alij ad victoris libidinem, vrbis in excelso positæ disiecta mœnia, fœdata omnia. Muniebant se itaq; præsidijs

Bellum V.

Pacificatio.

refor-

reformati, per Narbonensem militum delectus habebant, & imperatorem sui exercitus deligebant Sanromanium, ex Chaumontiorum familia nobili in Segusianis, olim Aquarum Sextiarum Episcopum, postea Euangelicorum partes amplexum & è laniena Parisiana elapsum. Eius ductu bellum aduersarijs omnibus viribus inferunt.

Anno 1574. Henricus III. Caroli IX. frater in regno succedit, è Polonia vocatus. Antequam verò è Polonia veniret, reformati cum politicis fœdus faciunt, in eum finem, vt religionis vtriusque libertatem, & patriæ salutem defendant. Ac reformatorum quidem Imperator Condæus iunior eligitur. Interim rex nouus adueniens edictum promulgat, quo iubet omnes, qui vrbes aliquas occuparant, eas restituere, & qui id facere recusent, ijs bellum minatur. Hinc noui belli impetus emergit, quem Pusinum & Libero primum, mox etiam aliæ ciuitates sentiunt. Nec sibi desunt reformati, sed & ipsi, quæcunque

Henric. III. rex Gallorum 61.

Condæus iunior Euangelicorũ Imperator.

Nouum bellum VI.

cunque possunt, occupant. Sic certatur vtrinque donec rex permittat reformatis, vt vbicunque in regno habitandi ius habeant, nullaque ipsis molestia ob religionem afferatur: dummodo ex edictorum praescripto pacatè, & modestè viuant, religionem suam liberè exerceant in omnibus ijs locis, quae in eorum potestate sint, modò à Lutetia viginti passuum millibus absint, & ab aula regia quatuor millibus.

Casimirus Palatinus. Anno 1576. nouum foedus fit inter Condaeum, & Ioannem Casimirum, ducem Palatinum. Ac cum Condaeo se etiam coniungit Alenconius, qui rege inscio, èx aula excesserat, & multos nobiles magnificis promißis ad se illexerat. Ita autem conuenit inter Condaeum & Casimirum, vt ille èxercitus reformatorum summus dux, hic verò eius legatus habeatur. De stipendijs item pacta fiunt. Accedit eodem tempore etiam Henrici regis Nauarrae postulatum à rege, vt liberum èxercitium religionis reformatae per vniuersum regnum

regnum permittat. Rex Condæi, Casimiri, Alenconij, & Nauarræi postulatis, maxime tamen, Casimiri victoria, suorum verò clade compulsus, ad superiora priuilegia reformatis concessa aliquid addit. Sed cum ijs nondum contenti sint reformati: regina sese interponit, & post varias disceptationes tandem transactio fit; quæ iureiurando, & sigillo contrahentium comprobatur. Tum per tubicines etiam in castris, & vniuerso regno promulgatur. Comprehenditur transactio articulis sexaginta, quorum primarius est de libero per vniuersum regnum exercitio reformatæ religionis, & de libero omnium rerum, quæ ad integram illius administrationem pertinent, vsu: excepta vna Lutetia. Sic exercitus vtrinque dimissi sunt. Sed quia pontificijs permolesta erat transactio, stabilis esse non potuit. Verè igitur pax fuit πολεμοποιός, quæ pontificijs occasionem præbuit, & conuicijs contumelijsque deterrendi Euangelicos à suæ religionis vsu, & sæ-

Henricus Nauarræ rex, Antonij filius.

Transactio

Pax πολεμοποιός.

Fœdus sanctum.

& fœderis noui, quod sanctum vocabant, sanciendi. Deprehendi equidem manifestè potuit, edicta pacificatoria id temporis in Gallia edita, plus incommodi quàm commodi Euangelicis attulisse: cum pulcro pacis nomine sex hebdomadum spacio plus quàm sex millia hominum trucidati sint, antea verò totidem mensibus vix quingenti è vita expulsi. Erat autem formula fœderis sacri id comprehensum, vt quicunq; eo tenerentur, deuouerent se, vxores, liberos, & facultates suas pro religionis Catholicæ defensione. Idq; iurisiurandi religione confirmabant, fallentes verò anathemati, & damnationi æternæ adstringebant. Reformatis durum atque adeo intolerabile hoc fœdus videbatur, vtpote in quo, quicunque ei adscribi recusarent, hostes iudicabantur, & digni quos confœderati omnibus modis persequerentur. A pontifice tamen confirmatum est. Itaque illud tanquam ignominiosum abolendum esse reformati censent. Pontificij verò contra edi-

ctum

ctum pacificatorium, vbicunque pos-
sunt, Euangelicorum exercitia impedi-
unt. Quæ res caussam præbet fœderatis,
siue reformatis, vt nouas de aduersario-
rũ iniustis conatibus querelas ad regem
afferant. In primis quidem Casimirus
queritur, metu in multis ciuitatibus de-
terreri concionatores Euangelicos; ne
secundum edictum liberè præconium
faciant; & religionem suam exerce-
ant. Idem facit Condæus, & socij.
Quibus se quidem excusat rex, sed non
satisfacit. Mittit quoque legatos ad
principes Palatinos, & Landgrauium;
quibus significat, pontificios, quod ferre
reformatorum insolentiam non possint,
fœdus commune inter se iniisse, vt
auitam religionem contra omnia ad-
uersariorum tela tueantur. Petit
item, ne auxilio suo, aut fauore refor-
matos iuuent. Cui respondet Casimi-
rus & Landgrauius, mirari se admo-
dum, pati regem, vt pacificatio ea
violetur, quæ ad pacem & quietem re-
gni spectet, & principum curiarumq́

Legatio regis ad Palat. & Hessum.

Responsio Palat. & Hessi.

consensu summo confirmata sit. Quod verò rex dicat, se libertatem conscientiarum relinquere sine religionis exercitio, id perinde esse, ac si vitam velit concedere subditis absq; cibarijs.

Dedit rex hoc ipso anno 1584. etiam literas ad Augustum Saxoniæ ducem, imperij VII uirum, quibus ad curam pacis publicæ ipsum hortabatur. Ad quas respondit Elector, nihil se dubitare, quin is edicta sua præclara & salutaria quibus pax Gallico regno nuper reddita erat, fide & constantia summa seruaturus sit. Tum monuit etiam, vel rogauit potius, & obtestatus est, ne vocibus inquietorum hominum aures patefaceret, nec incitari se ab illis sineret, aduersus fideles, & pietatis veræ amantes ciues suos, qui tot mala & aduersa perpessi essent, vt Deo honorem, regi verò obedientiam debitam præstarent. Præsertim cum constaret, perditissimos illos homines pontifici Romano nimis addictos, aliud nihil quærere, nisi vt regem fide & fama spolient :

Con-

Contra vero Papæ idolatriam eum tyrannide immani coniunctam, tum suam etiam ipsorum libidinem stabilire possint. Ad eundem fermè modum rex Daniæ Fridericus II. in suis literis ad regem Henricum III. Iacobo Segurio regis Nauarræ legato datis monebat, vt edicti pacificatorij formulam semel approbatam fide integra & inuiolata conseruaret, nec se dimoueri ab eis seditiosorum hominum clamoribus pateretur, contra eos, qui in Gallico regno, reiecta pontificiæ ecclesiæ idolatria religionem sinceram amplexi essent, & profiterentur.

Nauarræus hac iniuria, seu violatione pacificatorij edicti permotus, tutelam omnium fœderatorum reformatorum suscipit, testaturq́ coram Deo, se regis nomine & authoritate vtriusq́ religionis homines in sua præfectura tutaturum esse, omnesq́ in hostium numero habiturum, qui pactam pacem interturbent. Condæus verò protestationem publicat, qua significat, & iurat, se au- Nauarræus tutor vtriusque religionis. Condæi protestatio.

 tho-

thoritate iussuq; Nauarræi arma induere ad defendendam patriam, & depellendam iniustam vim ac crudelitatem. Hinc ad arma vtrinq; recurritur, & omnis penè impetus belli à pontificijs in Rupellenses conuertitur. Sed pax tandem opera Nauarræi & Monpenserij conciliatur inter regem, Nauarræum & Condæum, qua etiam Palatinus Casimirus dux comprehenditur, omnesq; regni fideles incolæ.

Nouum bellum.

Anno 1585. de integro bellum aduersus regem & reformatæ religionis coniunctos comparatum est à Carolo Cardinali Borbonio, Francisco Guisio, & alijs fœderatis, pontificiæ religionis propugnatoribus. Etsi enim rex non verbis solum, sed re etiam & facto declarabat suum in religionem Catholicam animum constantem & integrum: tamen cum hæredem regni nullum susciperet, metuebant, ne eo mortuo, Nauarra rex præcipuus regij sanguinis princeps in locum eius succederet. Itaq; bellum mouent, eiusq; caussas publico program-

Nouum bellum contra regem.

grammate explicant, nempe, vt ecclesiæ Catholicæ dignitatem tueantur, & à regni administratione arceant hæreticum Nauarræum, vtpote qui à religione pontificia defecerit, & iurare in coronatione non poßit, se eam solam in regno defendere velle. Addebant alia, quæ ad statuum, aut ordinum dignitatem pertinebant. De quibus respondet rex, sibi nunquam defuisse studium tuendi Catholicam religionem, neque spem omnem procreandi hæredis ademtam esse. Itaq; caussam iustam nullam se inuenire, cur bellum isti moueant. Deinde, vt placatiores eos habeat, ligæ ipsorum sanctæ caput sese profitetur, Guisium verò legatum facit: tum abrogatis prioribus edictis, Hugonotos ab omnibus muneribus publicis remouet, commeatum siue conductum saluum Rupellensibus, & eorum socijs denegat: & quod durißimum est, omnes ministros Euangelicos intra mensis vnius spatium regno exire iubet. Ciuibus verò, vt vel regno cedant, venditis bo-

nis, vel ad ecclesiam catholicam redeant, rebus saluis, mandat. Qui post sex ab edicto, menses (quod postea spatium contraxit) deprehendatur, capitale esto. Tantus autem huius temporis furor erat, vt postea breuiori etiam spatio migrare & solum vertere Euangelici iuberentur.

Nauarræus excommunicatus.

Hæc noua asperitas, noua arma induit Nauarræo. Itaq; scripto publico significat, se necessitate summa cogi, vt defensionem patriæ laborantis suscipiat. A regina verò Angliæ confœderata pecuniam, à Germanis equites petit. Papa interim Nauarræum & Condæum tanquam hæreticos excommunicat, iure successionis in regno priuat, & subditos eorum ab obedientiæ vinculo liberat, potestatem iaciendi & immittendi in eos iniurias cuiuis facit. Idq; vt rex & fœderati eius exequantur, mandat. Imperatori præterea scribit, vt prouideat, ne Germaniæ principes hisce excommunicatis opem ferant.

Verum non contenti hac regis indulgen-

dulgentia fœderati pontificij, in regem ipsum non minus, quàm in Euangelicos conspirant: nec quiescendum sibi arbitrantur, priusquam eo sublato imperium ipsi consequantur. Dux conspirationis huius erat Guisius, qui cum socijs omnes vias persequebatur, quibus ad id, quod volebat, perueniri posse sperabat. Ac primum quidem de includendo rege in monasterio consilium init, quod vbi minus ex sententia succedit, occasio tollendi eum è medio quæritur. Quod rex cognoscere pluribus rebus potest. Iccirco firmiore præsidio 4000. Heluetiorum, & 2000. Gallorum sese munit. Sed nihilominus tumultu in vrbe Lutetia ex ingressu Guisij, anno 1588. excitato, fugæ se mandare cogitur. Pontificij, quamuis sese purgare regi studeant, literis tamen demonstrant satis, quæ ipsorum sententia sit, nempe, vt repudiato duce Espernonio, & fratre eius Valetto, omnis potestas extirpandi Euangelicos Guisio & Maynio fratribus concedatur. Etsi enim caussam regis agebat

Guisius.

Annus 88.

Espernonius

bat Espernonius: tamen non satis videbatur crudelis esse in Hugonotos, quos viuere præter ius & æquum omne ipsi putabant.

Adferuntur ad regem etiam literæ Guisij, & Cardinalis eius fratris manu scriptæ, quibus insidiæ contra ipsum omnes continebantur. Quas cum alio pacto effugere non posset: consilium de occidendis illis capit. Mox comitia Blesijs indicit: quo cum Guisij etiam venirent, accersit eos, & coram insidias sibi ab illis paratas exponit. Quas cum ipsi negare non possent, per ministros suos in conspectu suo occidi Guisium & Cardinalem iubet. Carolum verò Burbonium Cardinalem, & Petrum archiepiscopum Lugdunensem in vincula conijcit. Sublatis hisce ducibus, Maynius frater Guisij statim à Catholicis caput, & dux belli contra regem designatur, Lutetiamq; sine mora occupat. Parisienses ipsi quoq; à rege deficiunt, & contumelijs conuicijsq; eum adficiunt, imagines & insignia eius demoliuntur, Henricum Valesium

sum quondam regem, appellant tyrannum, Herodemq́ vocitant. Deficiunt etiam aliæ vrbes primariæ in regno, Aureliani, Lugdunum. Contra quas bellum sibi paratum esse rex intelligit. Ante omnia ergo ducem Maynium, & Annalium fratres patrueles publicè proscribit, bonaq́ ipsorum fisco siue ærario publico adiudicat. Vrbes verò à rebellione ad obedientiam reuocare scriptis publicis conatur. Tum, missa ad pontificem legatione, dari sibi petit veniam facinoris necessarij, & absolutionem. Etsi verò Cardinales nonnulli excusatum habere voluerunt regem; pontifex tamen excommunicationem ei intentans, prius Romam ad dicēdam caussam citat illum cum omnibus complicibus. Cui quidem citationi vbi minus paret rex, anathemate feritur, & excommunicatur ita, vt absolui à nullo mortalium, nisi ab ipso pontifice queat.

Ab alia parte etiam Sabaudiæ dux regem laceßit, erepto, & occupato marchionatu Salußiano. Rex verò au- Sabaudus.

xilium à vicinis Heluetijs & Germaniæ principibus petit: pro pignore Metim, Tullum & Verdunum offerens, tum Nauarræum etiam aduersus rebelles sibi adiungit. Huius enim fidem probè iam cognôrat. Idq́; cur faciat scripto publico declarat. Nauarræus verò ea Nauarræi cum rege coniunctio. *conditione oblatas à rege inducias, pacemq; accipit, vt libera sit religio vtraq; in ijs locis, quæ iam ante Euangelium acceperant, vsq; ad synodum. Dum hoc modo coniuncti ambo rebelles inuadunt, & ad obsidendum Parisios propius accedunt, existit monachus quidam prædicatorij ordinis, Iacobus Clemens, à fœmina quadam Manij sorore inductus, à concionatore verò Iesuita Viradio adductus, qui anno 1589. Calendis Augusti, mane Lutetia egressus, venit in castra ad regem, quæ erant ad sanctum Clodouæum duobus Gallicis milliaribus à Lutetia, arcani aliquid se habere, quod cum rege communicet, indicans. Intromissus verò in regis cubiculum, re-* Monachus regis, rex monachi interfector. *moueri petit nobiles qui aderant, vt solus*

solus cum solo colloquatur. Mox literas ab Achille Herlæo Parlamenti Parisiensis præside, regi legendas exhibet, & inter legendum veneno illitum cultrum ancipitem in ventrem eius adigit. Rex cultro educto sicarium bino ictu vicissim sauciat. Interim accurrentes regij ministri in monachum inuolant, eumq; obtruncant, cadauer verò equis quatuor discerptum comburunt. Inde rex quandiscerptum comburunt. Inde rex quamquam vulnus non lethale esse suspicatur, peius tamen itentidem habens, Henricum Nauarræ regem accersit, & successorem in regno designat: tum omnem etiam exercitum ei iurare iubet. Ita Gallorum rex factus in castris Henricus IIII. Nauarræus, pro Ecclesia & Republica perturbatissima cum aduersarijs pontificijs summa contentione dimicat. Inprimis vt regni legitimè ad se delati legitimus hæres, atque successor esse, ita omnibus opibus viribusq; elaborat, vt illud à dissensionibus intestinis in pristinum decus, atque tranquillitatem restituat. Ac vt incommodis, quæ reli-

In hoc Henrico III. deficit linea, siue genealogia Valesiorum.

Henric. IV. anno 1589. ineunte Aug.

gionis dissidium parit, medeatur: vtriusq; religionis pontificiæ & Euangelicæ professionem liberam permittit. Tum ad obedientiam subditos clementia potius, quàm vi traducere enititur. Vnum genus est aduersum, infestumq; illi maximè, eorum scilicet, qui cum Romana ecclesia fœdere quodam se coniunxere. Dux eorum est Mænius, qui regi copias per prouincias distribuenti, & manu exigua Normanniam lustranti cum exercitu numeroso, in quo ad triginta millia erant, occurrit. Propositum ei omnino erat, idq; etiam magnificè iactârat, se aut regno toto eiecturum illum, aut Lutetiam captiuum esse secum adducturum. Rex verò fossam ad oppidum Arques, cui Diepa, portus Angliam conspiciens, vicina est, ducit ad milliaria Gallica tria. In ea exercitus sui partem collocat Mænius. Diepam oppugnat, sed conatu irrito. Rex verò, quanquam vix quinq; hominum millia secum habebat, ad pugnam illum prouocat, crebrisq; prælijs ita copias eius atterit, vt sæpius

sæpius fusus cedere tandem satius esse, quàm militum tantam iacturam facere existimet. Dum hæc geruntur, ecce duo millia Germanorum peditum à Mænio ad regem perfugiunt, & dato iureiurando ab Heluetijs intra fossam recipiuntur. Qui postquam occasionem, quam optauerant, se adeptos putant, emißis vno momento globulis in regem, ad Mænij castra reuertuntur.

Depulsus ab hac spe conatuq; Mænius, in Picardiam contendit. Rex verò præter opinionem omnem Parisios adortus suburbia Academiæ vicina primo impetu capit, tormentis nonnullis potitur, & aliquot millia hostium cædit. Nec quicquam ei tunc ad occupandam vrbem defuit, præter voluntatem: quippe qui seruare, non perdere eam in animo habuit. Quod simul ac ad Mænium allatum est, propere accurrit, sic tamen vt Sequana inter ipsum & regem intercedat: vrbem ingreditur. Cui rex instructa acie prælij ineundi potestatem dat. Quod cum ille

detre-

detrectat, ipse in Vindorinos, Turones, Cenomannos, & inferiorem Normanniam se confert, vbi vrbes & oppida occupat. Mænius verò auxilia à Parmensi duce petiturus in Belgium proficiscitur. Interim rex Drusium, oppidum Druidarum, Dreux Gallis appellatum obsidet. At vbi aduentare Mænium cum Egmondano comite, recentiq́; milite Belgico, Italo, Hispano, Albanensi comperit, relicto Drusio, obuiam ei prodit, locum pugnæ hincinde circumspicit, Mænioq́; nihil tale opinanti, quamuis militum numero inferior, aciem exercitus ostendit, concurritur ad IV. Martij anno 90. funditur, & fugatur Mænius, perit Egmondanus, capiuntur promiscuè Galli, Belgæ, Heluetij, Hispani: cæteros ad miliaria aliquot insecutus rex in castra redit, sanguine ita respersus, vt saucius vndiq́; videatur. Sed vulnus tamen nullum acceperat, ferocissimos verò hostes complures sua manu confoderat. Victos verò captosq́; sic habet, vt Heluetios viatico instructos dimittat,

Belgas

Belgas verò, reliquosq́ exteros humaniſſimè tractet.

Mænius hac clade affectus à Parmenſi duce auxilia iterum petit. Rex verò à partâ victoriâ, oppida Lutetiæ vicina partim vi, partim deditione capit, ſuburbia omnia ſubigit, & vrbem adeo ipſum circumſidet: ita tamen vt animi paterni & clementiæ documenta plurima, violentiæ verò & crudelitatis nulla det. In vrbe plebs propter penuriam rerum neceſſariarum in egeſtate & tumultibus varijs, hac vna ſpe è Caietano legato pontificio & Mendoza Hiſpano ſuſtentatur, fore ſcilicet, vt breui adueniente præſidio Hiſpanico liberetur. Quod etiam accidit. Nam exeunte æſtate anni 90. contra regis ac plerorumq́ opinionem in Galliam venit Parmenſis. Cui rex pugnandi cupiditate incenſus, ad aliquot milliaria, exercitu non magno quidem, ſed valido & acri occurrit. Huius aciem vbi Parmenſis vidit, tametſi numero militum multò erat ſuperior: tamen neſcio quomodo

modo perculsus, confligere cum eo recusat. Itaq; paludibus sese, tum vallo etiam & fossa munit. Rex verò in acie compluribus diebus commoratur, & hostem ad pugnam quibuscunq; modis potest, allicit. Vbi nihil impetrat ex locis, quæ prælij obtinendi spe, vltro illi concesserat, iterum eijcit, exercitumq; suum labore æstuq; languentem, iamq; inopia etiam rerum necessariarum laborare incipientem dimittit: ipse vt hostis consilia atque conatus præripiat, in Gallia media consistit. Parmensis post obsidionem longam Ligniacum oppidulum, & Corbelium ad Sequanam situm non sine suorum clade expugnat, & Parisienses, quantum potest, recreat. Quibus peractis in Belgium redit, maiori parte exercitus amissa, reliquis verò morbis ita confectis, vt pauci euaserint. Post discessum eius rex paucis diebus sine sanguine omnia recuperat, quæ ille multo labore & tempore ceperat. Neque verò satis habuit Hispanus, per Parmensem ducem Galliæ regnum tentasse

tentasse, sed Lotharingum etiam, & Sabaudum ambitione, & regni cupiditate furentes contra illud armat, & instruit. Vnde Lotharingus Iammetium armis occupauit, quod Buillionea duci ssæ oppidum est, & Gallica etiam oppida in finibus suis sita inuasit. Sabaudus verò in prouinciam irrupit. Quin in Occitaniam etiam idem Hispanus militem Germanum, & Hispanum immittit, & Britanniam Armoricam classe tentat.

HISPANI.

Hispaniam superiori millenario, primum imperatores Romani per suos præfectos, aut præsides rexerant, vsque ad Honorium, qui Gothis eam habitandam aßignauit. Gothi autem Hispaniam gubernarunt vsque ad Rodericum postremum ex gente Gothica regem, fermè, ab anno Christi 400. ad annum 713. Hoc enim regnante Mauri Hispaniam inuaserunt, miserè vastarunt, Præsides Romani. Gothi. Mauri.

runt, & diripuerunt. Etsi autem Christiani coniunctis viribus infideles istos expellere conati sunt: tamen vix tandem anno 717. Hispaniam recuperarunt. Ab eo igitur tempore rursum numerantur reges Legionis & Castellæ, à S. rege Pelagio, vsque ad Carolum V. & Philippum continua successionis serie, à patre ad filium, vel filiam, vel nepotem, vel cognatum.

Carolus Magnus.

Conatus quidem est Carolus Magnus regnum hoc ad se transferre, sed clade accepta, victoriam tradere Hispanis coactus est. Anno 1006. etiam Nauarræ regnum Castellæ adiunctum est. Anno 1250. Alphonsus IX. regnauit, qui Astronomus & Mathematicus insignis fuit, tabulasq; Mathematicas conscripsit. Instituit etiam ordinem equitum S. Iacobi apostoli, cui insigne tribuit gladij sanguinolenti: quod in prælio cum Mauris ipsi apparuisset ille Apostolus equo candido vectus per aerem, cum gladio cruento, & sanguine Maurorum stillante. Inde etiam tutelaris

Nauarra.

Alphonsus Astronom.

Equites S. Iacobi.

laris Deus Hispanorum habetur. Scribitur Alphonsum sæpe ingressum scholas in docentes pariter ac discentes inquisiuisse, vt quemadmodum vnusquisq; in officio suo sese gereret, cognoscere posset. Quod si quem deprehendit minus commodè aut perspicuè rudiores erudientem, schola eum exire iussit.

Anno 1453. Henricus IV. rex Aragonia. *castiliæ decimus octauus Aragoniam per matrimonium acquirit, & ad Castiliam adijcit.*

Anno 1492. Ferdinandus regis Ferdinandus *Aragonum & Neapolis ex fratre Ioanne* Catholicus. *nepos, Mauros ex Betica, quam annos 789. tenuerant funditus eijcit. Tum Hæbræos etiam vniuersos, quorum ingens erat numerus, Hispaniæ finibus excedere iubet, & Saracenos expellit, superstitionem omnem abolet, & Christianam religionem inuehit. Inquisitio-* Inquisitio. *nis quoq; officium instituit, vt ad omne tempus hæretici extirpentur. Inde Catholicus est cognominatus. Primus is est, qui per Christophorum Columbum,*

Nouus orbis. *nauigationem in Americam inuenit. Vnde in nouum orbem aditus Hispanis patefactus est. Regnum item Neapolitanum, & Nauarræum, eiectis possessoribus iniustis, subegit. Reliquit filiam Ioannam, quæ cum Philippo Maximiliani* Philippus. *Imperatoris filio nupta est. Erat autem Philippus archidux Austriæ, dux Burgundiæ, & rex castellæ, totiusq́; Hispaniæ. Genuit anno 1500. Carolum V. cuius historia supra in Imperatoribus Romanis exposita est.*

Philipp. II. *Carolo filius Philippus II. in regnis, & ducatibus amplissimis successit, Hispaniæ, Neapolis, Siciliæ, Mediolani, noui orbis, Flandriæ, Brabantiæ, & totius Belgij. Potitus est etiam Angliæ regno per connubium Mariæ, Henrici VIII. Anglorum regis filiæ, sed illud non retinuit, vt supra in rebus Anglicis. Lusitaniam verò, cæso in conflictu cum Abdemelecho rege Fesæ in Africa, Sebastiano, & profligato Antonio notho anno 1580. occupauit. Contra verò Tunetanum regnum & Goletam in Africa à Carolo V.*

partam

partam anno 1574. amisit. Angliæ regnum pontificis Romani decreto & sententia sibi adiudicatum repudiata, eius regina Elisabetha propter Euangelicam religionem classe 130. nauium militarium, præter minores, quas Carauellas, & Faluas vocant anno 1588. adortus, de spe conatuq́ depellitur, cladeq́ ingenti accepta comperit non omne esse à Deo, quod pontifex Romanus decernit.

DE BELLO BELGICO ob religionem suscepto.

ANno 1565. Margarita Belgij gubernatrix mandatum regis Hispanorum Philippi de inquisitione, & concilij Tridentini executione publicauit. Quod cum durum videretur multis, qui Euangelij doctrinam cognôrant, & colebant: sequente anno coniuncti nobiles amplius 400. supplicarunt gubernatrici, ne intolerabile inquisitionis iugum imponeret, sed libertatem in religione concederet. Eodem tempore etiam per libellum supplicem rogarunt

De bello Belgico. Inquisitio, & concilij Tridentini executio.

Supplicatio.

Maximilianum Imperatorem, vt authoritate & interceßione sua, inquisitionem impediret, & in comicijs negocium religionis tractaret, ne tantum innocentis sanguinis profunderetur. Miserunt non ita multò post legatos suos principes quidam Euangelici in Germania ad Gubernatricem, petentes vt conscientiarum libertas supplicantibus concederetur, erratorumq; præteritorum venia concederetur.

Intercessio principum Euangelicorum.

Dicti sunt hi supplicantes in Belgio Geusij, hoc est, mendici & nibili homines ab aduersarijs: cuius tamen nominis ipsos non puduit, dummodo mitigationem mandati regij consequerentur. At vrgebant fata Belgium, propter luxum, libidinem, & superbiam. Itaq; nullis precibus flectere obstinatum regis vel pontificiorum potius animum potuerunt. Eijciebant hi eodem anno statuas è templis Antuerpiæ, & alijs locis compluribus. Quare grauißimè offensi pontificij, & Lutherani, sese contra Caluinistas Antuerpiæ coniungunt.

Geusij.

Fatum Belgij.

Anno

Anno 1567. exercitium religionis reformtæ tam Antuerpiæ, quàm in reliquo Belgio aboletur, & concionatores omnes dimittuntur. Fœderatorum dux erat princeps Vraniæ. Contra verò Hispanus Ferdinandum ducem Albæ gubernatorem Belgij constituebat. Hic ergo 1567. cum exercitu venit in Belgium; cui sese opponens Aurantius cum copijs suis ab eo profligatur. Hoc successu elatus Albanus crudeliter in omnes Euangelicos sæuit, & Lemoralum principem Egmondanum, & Philippum comitem Hornanum Bruxellæ capite plectit. Aurantium verò, & cæteros proscriptos, irritoq; conatu sese defendentes Belgio excedere & in Galliam ad Condæum profugere cogit. Inde politiam Belgi reformat, decimum numum exigit, edicto sancit, vt omnes religionem veterem colant, & condonationem, quam Pardonam vocant, promittit omnibus, qui à religione diuersa ad catholicæ Ecclesiæ gremium confugiant. Denique cum crudelia multa egisset in

Exercitium euangelicum aboletur.

Princeps Vraniæ, siue Aurantius.

Sæuitia Albani, qui gloriatus est, se plus quam octodecim millia hominum in Belgio carnificis manui trucidandos dedisse.

Pardona

Belgas, vimq́ auri ingentem inde exportasset, anno 1573. in Hispaniam cum filio Friderico reuertitur. Huic ob rem ita gestam in Belgio misit pontifex Pius V. ensem, & pileum insignem. Albano in gubernatione Belgicarum ditionum succedit Ludouicus Requesenius, magnus Castiliæ commendator.

Albani reuersio in Hispaniam.

Anno autem 1577. Ioannes Austriacus in Belgium missus gubernator pacem inprimis fecit, quæ tamen post paucos menses rupta, in bellum funestum erupit. Sequente anno nata est noua male contentorum secta, quæ nec regis, nec ordinum partes sequebatur, quod vtrinq́ reperiebat, quod improbaret. Hanc dum comprimere Austriacus studet, peste in castris ad Namureum, anno 1578. interit. Ei ergo eodem anno Alexander Farnesius Parmæ & Placentiæ dux succedit, qui partim moderatione, partim vi & impreßione frangere ac debilitare dissidentes ab ecclesia Romana conatur. Venit hoc anno in Belgium accersitus Matthias archidux Austriæ: sed nulla re memora-

Ioannes Austriacus.

Male contenti.

Parmensis dux.

Matthias Austriacus.

morabili gesta inde discedit. Parmēsis verò multa occupat, Traiectum expugnat, Guilelmum Aurantiū pub. literis proscribit: Is verò scripto opposito se defendit

Anno 1561. Status Belgici Franciscum Alenconium, Andegauensium ducem Gallum sibi præficiunt, reiecto Hispano hæreditario domino, qui sequente anno ritu solenni Antuerpiæ introducitur, & Brabantiæ dux salutatur. Sed is Gallorum & Heluetiorum copijs instructus præter spem & opinionem Antuerpiam, & alias vrbes complures opprimere & subiugare conatur, anno 1583. Idcirco à ciuibus profligatur quidem, sed paulò post tamen reconciliatus, & receptus ab ijs morbo perit. Aurantius verò anno 1582. globo per vtramq; maxillam traijcitur, & postea anno 1584. à sicario, quem Alenconius subornasse dicitur, traiectus globo sclopeti interficitur. Inde Parmensi magis patet Belgium, ac Gandauum quidem hoc ipso anno in summas angustias adductum recipit, Antuerpiam verò diu & gra-

Franciscus Alenconius.

Aurantij mors.

grauiter obſeſſam anno 1585. Neomagum Geldriæ metropolim anno eodem recuperat. Reliquæ ſunt prouinciæ duæ, Selandia & Holandia. *Holandia & Selandia, paucæq; aliæ cum illis vnitæ, quæ nondum Hiſpanicum imperium receperunt. Hæ ergo cum regina Angliæ ſeſe coniunxerunt, accepto ab* Anglicus gubernator. *ea gubernatore generali Roberto Dudleo, comite Liceſtriæ. Hic inprimis oppido Geldriæ Graua ab Hiſpanis obſeſſo opem fert: ſed prælio cum hoſte commiſſo repellitur, oppidum verò Parmenſi traditur. Mox etiam Venlo eiuſdem prouinciæ vrbs munita in Hiſpanorum potestatem venit. Occupatur etiam ab iiſdem Hiſpanis Noueſium infra Coloniam, quod Erneſtus Truchſeſius tenebat. Aliaq; domantur, capiuntur, atq; in fidem regis Hiſpaniæ rediguntur. Quod quidem ferri poſſet facilius, niſi homines miſeri vix è tenebris in ſpem lucis multo labore & ſanguine erecti, priſtina ſuperſtitione inuiti, repugnantes, & dolentes conflictare cogerentur.*

DE

DE BELLO TVRCICO

Oratio

MATTHÆI DRESSERI.

EX RATIONIBVS, ET HISTORIIS DEPROMTA, & ad acuendos Christianos hoc tempore accommodata.

In Academia Lipsica.



MAGNIFICO VIRO DOMINO D. MARCO GERSTENBERGIO, IVRISCONSULTO, VVimariensisq; Ducatus in superiore Saxonia Cancellario, ingenio, doctrina, virtute, & fide antecellenti,

SALVTEM DICIT

Matthaeus Dresserus.

CRedo te, magnifice clarissimeq; domine Cancellarie, non minus hac noua irruptione Turcorũ in Germaniae fines commoueri, quàm vel ego, vel alius quisquam, cui Ecclesiae & patriae salus curae est, angi solet. De me quidem omni ratione hoc confirmare possum, nihil mihi tristius, nihilq; acerbius iam diu accidisse, quàm hoc ipsum de Turcorum in Croatiam & vicina loca excursionibus nuncium. Scimus enim gentem hanc immanitate sic efferatam esse, vt quamcunque in oram aut partem terrarum irrumpit, excisionem, inflammationem, euersionem, depopulationem, vastitatemq; vrbibus, tectis, & agris infe-

rat.

rat. Nec id solum, sed in homines etiam deuictos tantam sæuitiam adhibet, vt eos vel crudeli morte mactet, vel in seruitutem intolerandam abducat.

Percipimus etiam oculis & omnibus sensibus vim fati, quod vrget nostram rempublicam in hac mundi senecta, & ad interitum ruente Romana monarchia: quæ in gigantea illa Danielis statua sic depingitur, vt iam vix talus eius superesse videatur, qui compagem adhuc fulcit atq; sustinet: donec regnum suum æternum filius Dei incoet. Quò autem quidque infirmius atque ægrius est, eò plures grauioresq; casus, quos Symptomata medici vocant, habet. Minus igitur mirum est, nobis etiam in his miseris & afflictis pristinæ monarchiæ reliquijs ea euenire, quæ ruinam atque interitum vniuersalem mundo denuncient. Et nisi me omnia fallunt, hic est fragor ille mundi, quem filius Dei inter signa vltimum diem præcessura numerat, &, quibus existentibus, aduentantem ad iudicium liberatorem nostrum,| sublatis

oculis & animis, expectare iubemur. Ad huncigitur excipiendum totis animis nos paremus. Interim verò, dum paulisper ille cunctatur, vota facere non desistamus, vt ferrum & flammam nobis minitantem Turcam reprimat, & halcyonia nobis in hac prope acta iam & decursa ætate concedat.

Non pauca sunt, quæ mihi non opinione solum, sed etiam ad veritatem persuadent, hanc esse vltimam scintillam verbi cælestis, & ciuilis pacis, quæ hoc tempore eminet & apparet, quo inclytus Saxoniæ dux FRIDERICVS GVILELMVS, *eiusq; in hoc tutorio Septēuiratus Saxonici munere collega,* IOANNES GEORGIVS *Elector Brandepurgicus Ecclesiam huius ducatus, atque adeo nos omnes, concepta formula, ad orthodoxum genuinumq; sensum Augustanæ confeßionis adstrinxerunt. Hoc enim pacto à commentis hominum, qua variare dies solet, ad verbum diuinitus traditum simpliciter fideliterq; amplectendum atque sequendum deducimur.*

Tum

Tum in pacis etiam atq; coniunctionis vinculo, quo non tantum in hoc ducatu, sed vniuerso etiam imperio colligati sumus, magis confirmamur. Pro tanto igitur beneficio gratias immortales debemus in primis Deo, qui hoc quasi corollario nos in hac extrema ætate mundi ornauit & auxit: Tum Principi etiam Administratori FRIDERICO GVILELMO cuius consilio, prudentia, & cura hoc totum negocium gubernatum atque confectum est. Deniq; omni laude celebrandi sunt hi etiam, quorum opera & industria hoc opus adiutum atq; absolutum est.

Quò autem hæc ὀρθοδοξία καὶ ὁμόνοια, hoc est, puritas doctrinæ, & concordia, ornamenta & firmamenta præclariora sunt Ecclesiæ & politiæ, eò maiorem curam & solicitudinem nobis affert bellum Turcicum: ne illius moles, tanquam fluctus, nos inundet, & hæc bona vel obscuret, vel deleat. Videmus enim fortunas & opes illius tyranni nouis accessionibus identidem amplificari, nec ferè esse reliquam gentem vllam, quæ ob-

sistere

ſiſtere eius furori amplius poſſit, præter Chriſtianam. Fieri itaque poteſt, vt omnem regni ſui vim, furorisq; impetum in noſtram perniciem conuertat. De Perſico bello certi nihil comperi ab anno vſq; octogeſimo ſexto, quo Tauriſium ab Oſmanno Baſſa in poteſtatem Turcorum redactum eſt. Perſici verò regni eum ſtatum eſſe iam ex hiſtoria, quæ extat, intelligo, vt pace magis, quàm bello egere iam videatur. In cæteris partibus terrarum orbis nihil vſpiam reperio, quod negocium faceſſere Turcis poſſit. Eſt ergo hæc orbis Chriſtiani pars, quam Deus nobis reliquam fecit , pænè ſola in hoc tempore tanquam ſcopus, Turcis propoſita, in quam omnia eorũ tela intendãtur.

Ex noſtra verò parte, tametſi vires non contemnendæ ſunt, tamen languidiore ſtudio in cauſa ſumus, & dum hoſtem potentem, acrem, & omnes occaſiones rei gerendæ captantem, negligimus, metuo ne pœnam noſtra inſolentia, ignauia, & luxuria dignam ſubire cogãmur. Neceſſarium igitur mihi hoc

de bello Turcico visum fuit argumentum, in cuius explicatione curam & cogitationem attentam ponerem: in hoc præsertim tempore, quo aspectus Turcorum ante oculos pænè versatur, furorq; eorum in limine Germaniæ bacchatur: vt inde magnitudo & necessitas Turcici belli cognoscatur, tum præsidia etiam, quibus vti ad repellendum tantum periculum conuenit, magis perspiciantur.

Oratorum quidem hoc munus proprium fuit in omnibus bene constitutis rebuspublicis, vt de rebus ad communem patriæ salutem spectantibus dissererent, & ex causis exemplisq; ex intimo historiarum thesauro depromtis ab impendentibus periculis præmonerent. Quod ipsum ego quoque, tametsi orator non sum, exequi tamen pro mea professione & facultate, quæ exigua est, conatus sum. Orationem verò ad te lectissime Cancellarie, mitto, vt pro tua sapientia, dicendiq; grauitate, & copia, iudicium de ea facias. Quod quidem tanti

ego

ego facturus sum, vt quicquid statueris, id non solum probaturus, sed etiam secuturus sim. Vale, Lips. Cal. Martij. Anno CHRISTI, *1593.*



ORA-

ORATIO.

ORationem ad vos adfero, auditores ſuauiſsimi, pro temporum ac rerum triſtitia & aſperitate, triſtem & acerbam: ſed neceſſariam tamen, & ad exuſcitandas mentes noſtras, vt ſeriam cogitationem periculorum, quæ nos circumſtant, ſuſcipiamus, vtilem. Commonefaciam enim vos magnitudinis ac neceſsitatis belli, quod â potentiſsimo omnium, quos Sol videt, tyranno Turca, patriæ noſtræ infertur, tanto ardore atque impetu animorum & armorum, vt non tam adducere nos in perpetuam ſeruitutem, quàm deuorare penitus velle videatur. Huius ergo belli, quò maior vis atq; atrocitas eſt, eò magis commouere nos debet, vt omnes vias honeſtas expediendæ ſalutis perſequamur. Vt enim exardeſcente flamma, niſi in tempore reſiſtatur, conflagrare oppidum aut vicus totus ſolet: ſic niſi inſatiabili cupidita-

ti atque furori huius immanissimi tyranni maturè occurratur, nulla pars patriæ nostræ ex illius faucibus eripi atque seruari poterit. Quocirca adeste animis, quotquot adestis corporibus, & facite, vt vestra in me attentè audiendo benignitas orationem meam de re tanta prouehat. Circumdabo mihi ipse cancellos, extra quos euagaturus non sum, & primum de magnitudine belli Turcici, deinde de necessitate, tum de armis atque præsidijs ad propulsandum illius impetum necessarijs breuiter planeq; conabor explicare. Faxit Deus immortalis, cuius nutu atque consilio omnia reguntur, vt precibus & armis ad oppugnandum Turcam nos totos effundamus, votiq; nostri compotes quamprimum fiamus.

Est autem belli Turcici magnitudo tanta, quanta est ipsius imperij Mahometici amplitudo atq; potentia. Patet autē potestas huius imperij tam latè, vt siue Europam, siue Asiam, siue Africam spectes, vestigia tyrannidis Tur-

cicæ

ricæ vbique ferè impressa videas. Et quod mirandum est magis, successuũ atq; victoriarum eius monumenta in singulis penè partibus orbis terræ collocata inuenias. In Asia primum & antiquissimũ regnũ Babylonicum tenet, & Assyrijs, Mesopotamiæq; populis dominatur. Ab his enim Solymannus anno Christi 1534. receptus, & more instituto q; gentis illius regni insignibus atque ornamentis à Calypha sacrorum principe ornatus est. Inde progressus in Mediam, Taurisium vrbem & sedem quondam regum Persicorum occupauit. Quam ante ipsum etiam Selymus ceperat & diripuerat: Amurates verò anno Christi 1586. recuperauit. Idem Amurates Georgiam quoque, quæ Christianorum sedes est, & Iberia olim fuit dicta, inter Colchidem & mare Caspium, anno eodem edomuit. Quin Turcomanniam etiam, quã Armeniam maiorem plerique esse existimant, multò maxima ex parte in potestatem suam redegit. Quid de Arabibus dicam, qui dominum nullũ

præter Turcam agnoſcunt? Parthiam verò toties non inſolenter ſolum, ſed immaniter etiam petiuit Solymannus, vt vno impetu abſorbere totam velle videretur: quanquam vltra Tebriſium, quantum ego compertum habeo, nondum peruenerit.

Superest Perſicum regnum, quod partim inteſtinis diſſenſionibus miſerabiliter laceratum eſt, partim Turcorum crebris irruptionibus ita fractum, debilitatum, & diminutum, vt vix ſuſtinere amplius Othomannici furoris vim poſſe videatur. Sic ergo vnius dominatu populi orientis ad Euphratem, ad Tygrim, ad Araxem, incolentes vſque ad Caſpium mare longe lateque tenentur. Quid Syria? quid Palæſtina? An non penitus imperio Turcico ſubiectæ ſunt? Verſus Septentrionem cuinam Aſiæ regna maxima niſi Turco parent: Tartariam minorem, quæ & Taurica Cherſoneſus vocatur, inter Pontum Euxinum & Mœotidem verſus ortum ad Boſphorum Cimmerium porrectã,

Amu-

Amurates anno 1584. in ditionem suã redegit. Idem etiã Crimæos Tartaros inter Borysthenem & Tanaim liberos & prope inuictos multis seculis eodem anno sub imperium suum subiunxit.

Mahometes verò secundus duo florentissima imperia Christianis eripuit, Constantinopolitanum, & Trapezuntinum, indéque primus Imperatorium nomen titulumq; sibi vendicauit: regna verò duodecim ademit, & ducentas vrbes Christianam religionem professas cepit. Hinc Colchis, Armenia, Pontus, Cappadocia, Asia minor, quæ & Anatolia appellatur, Bithynia, Galatia, Phrygia, Pisidia, Caria, Cilicia, & Græcia, omnium disciplinarum & artium mater barbaris parere coacta, & decore floreq; omni spoliata in fœdam barbariem conuersa est. Atq; tot tantorumq; regnorum in Asia dominus est Turca. Maris verò mediterranei imperium potestatemque idem sibi vendicat, vt nauigare nulli ferè genti aut nationi in eo liceat, nisi cui is commeatum liberum dederit.

Iam ad alterum mundi latus, quod Africam continet, conuersi, quid vspiam reperimus, quod Turcicam vim tyrannidemque non sentiat? Ægyptus ipsa, & Arabia felix, quid aliud quàm tyrannidis & idolomaniæ Turcicæ sedes sunt? Algeria porro ante Iulia Cæsarea, Tripolis ante Leptis vocata, item Tunis, vel regnum Tunetanum, quod Carolus V. multo labore & sanguine acquisiuit, nunc à Selymo subiugatum seruitutem miseram perpetitur. Ita quocunq; aspicimus, Mahometica idolomania atq; tyrannide omnia completa reperimus. Atque hæc quidem longinqua & procul à nobis remota loca sunt: propiora multò sunt in Europa, quæ tyrannus ille obtinet: Thracia, Macedonia, Bulgaria, Albania, Mysia, Seruia, Bosna, Walachia, maxima item pars Vngariæ, Dalmatiæ, Moldauiæ, Croatiæ, Slauoniæ, & finitimarum regionum vsq; ad Carinthiæ, Stiriæque fines, ad quos iam furor Mahometicus cædibus & rapinis bacchatur, bellique moles

penè

penè vniuersa consistit. Quin Viennam vsque Solymannus anno 1529. excurrit, eamq; immanibus armatorum agminibus terra mariq; circumsedit & oppugnauit. Triennio verò post, cum sexcentis millibus hominum in Pannoniam reuersus, totum imperium occidentis in ditionem suam redigere conatus est.

Et ne nunc quidem quiescendum sibi esse arbitrantur, quicunq; Turcicis rebus præsunt, priusquam Christianos, quos ingenti odio plerique omnes Turci prosequuntur, vel conciderint, vel sub potestatem suam subiunxerint. Certum est Solymannum, qui sese regem regum, dominum dominantium appellauit, omni ope atque contentione pugnasse, vt Romanum imperium sibi subijceret. Sic enim existimauit, se vnum esse, ad quem imperium illud iure omni pertineret: iccirco quod Mahometes, sublato Constantino, Græcorum imperatorum vltimo, sede & sceptro imperij Romani cum vrbibus eius iamdu-

dum potitus esset, omneque successionis ius ad familiam Othomannicam transtulisset. Itaq; Carolum V. non Cæsarem, sed Hispaniæ regem, quoties mentio aliqua de eo facta est, appellare consueuit. Amurates verò, qui hactenus imperium gessit, tanta superbia fuit, vt dominum terræ, gubernatorem mundi vniuersi, nuncium Dei, fidum seruum magni prophetæ Mahometi, in literarum inscriptionibus sese nominarit. Quanquam non quantum voluerint, aut conati sint Turci, sed quantum valeant, effecerint, aut consecuti sint, spectandum est.

Soleo quidem mihi ob oculos ponere sępius aliorum regũ atq; imperatorum opes & potentiam, sed nescio quomodo vires Turcicæ mihi omnium regnorum & imperiorum, quæ in orbe terræ sunt, facultates superare videntur. Nec inconsulto aut temerè Martinus Lutherus dixit, si Hispania, Gallia, Anglia, Germania, Italia, Boiemia, Vngaria, Polonia, Dania vires suas cõiunge-

iungerent, opes tamen Turcarum vix æquarent. Quò igitur imperij Mahometici magnitudo amplior eſt, eò molem belli Turcici à ceruicibus noſtris depellere difficilius eſt.

Ac ſi ex regnorum amplitudine minus intelligi, quanta vis ſit belli Mahometici, poteſt: ex numero copiarum, quas educere ſolet Turca, æſtimare eam non difficile eſt. Nec neceſſe eſt id à capite arceſſere, & ex veteri hiſtoria repetere exercitum Xerxis ex Perſia contra Græcos adductum, qui vt Herodotus ſcribit, complexus eſt peditum decies ſepties centena millia, præter Arabes, qui Camelos, & Pœnos, qui currus agitarunt, numero ad viginti millia. Nihil etiam attinet commemorare, quantas olim copias ex Ægypto contra Iudęos eduxerit Siſac rex, quæ conſtiterunt mille, & ducentis curribus, ſexagies mille equitibus, & peditum multitudine innumerabili. Satis ſit, quantæ hoc tempore vires ſint imperij Turcici, ex multis breuiter ſummatimq; deſcribere.

Totum regnum siue colluuies Turcica, quanta est, non nisi ex armis conflata est, armis cepit, armis creuit, armis adhuc stabilitur & amplificatur. Sancitum enim est lege & iure Mahometico, vt cum homines præceptis retineri in officio nequeant, gladio, vi, & armis coërceantur. Et quoniam armis ferè semper gauisus est mundus, & adhuc delectatur gladijs, cædibus & rapinis hæc labens, & inclinata ætas: passus est Deus in medio terræ loco exoriri armamentarium hoc Turcicum, ex quo arma in omnes partes mūdi expediantur, & bellis cædibusq; homines miserè diuexentur. Quid enim aliud est porta siue aula Othomannica, quàm belli officina, ex qua in Asiam, Africam, Europam hostiles exercitus educuntur? Videas in hac ordine omnia sic disposita & comparata ad militares vsus, vt ad oppugnandum, ad cædendum, ad subigendum, & domandum nihil deesse ex vlla parte videatur.

Principio imperatorem siue tyrannum

num ſtipant quatuor millia ſelectiſsimorum equitum, cum ingenti famulorum multitudine, rei militaris ſcientia, audacia, celeritate, & immanitate cæteris antecellente. Hos ſequuntur duodecim millia Ianizarorum, qui ex Chriſtianorum liberis ſelecti quidem ſunt, ſed Turcos ipſos truculentia ſuperant, & firmiſsimum imperatoris Turcici præſidium, ac propè inuicti pedites ac Sclopetarij habentur. Sunt alij, præter hos, Ianizari numero ad decem millia, qui imperatorem comitantur, & rurſum ſexies mille per arces diſtributi. Ac ne decedentibus ex his aliquibus inopia ſit, decem millia iuuenum paſsim ad vſus belli, vt ſuccedere in locum defunctorum queant, inſtruuntur. Ad quam quidem rem quarto quoque anno ex Chriſtianis vltra decem millia maſculorum colliguntur.

Atq; hi quaſi robur atque medulla exercitus Turcici exiſtunt: equitum verò ductores ſummi Beglerbegi, hoc eſt, dominorum domini ex ſingulis

præ-

præfecturis, quarum supra quadraginta & octo numerantur, sena vel septena millia equitum, si amplæ sunt, ad duo verò millia, si angustæ sunt, educere in aciem possunt. Accedunt ad hos voluntarij equites, qui nullo stipendio militant, sed ex præda & rapto viuunt: horum ad centum millia esse dicuntur. Quanquam alij pauciores ponunt. Antecedere solent hi exercitum bidui itinere, tanquam exploratores, & quacunq; incedunt, incendijs & rapinis omnia longe lateq; vastant. Hæc quotidiana præsidia sunt aulæ Turcicæ, & quidem ad expeditionem in quamcunque partem orbis parata atque facilia.

Bassarum verò, ex quibus duces belli deliguntur, tanta est copia, vt de imperio, quoties expeditio suscipienda est, inter se certent. Qui verò sponte sua exercitum sequuntur, nullo conducti stipendio, eorum tanta est multitudo, vt sæpe dimitti eos, ne vel oneri sint vel cõmeatus deficiat, necesse sit. Tanta præsidij militaris copia in nulla alia aula

aula facilè reperitur: nisi fortè in Æthiopum regis Dauidis, qui præto Ioannes cognominatur. Huius enim equitatus & peditatus dicitur tantus esse, vt nemo percensere numerando queat. In China verò, nuper admodum peruestigato & cognito Christianis regno, vicies centena & quinquaginta millia peditum, & quater centena millia equitum circa regem esse feruntur: Vt taceam de multitudine, quæ in singulis eius prouincijs inuenitur.

Copias duntaxat persequar eas, quas patrum memoria & nostra Solymannus, filius eius Selymus, & nepos Amurates duxerunt. Primum bellum quod Solymannus anno Christi 1521. Christianis intulit, contra Belgradum, portam, clauem, & propugnaculum Vngariæ, totiusq; Christianæ reipub. susceptum est: in quo trecenta millia armatorum fuêre. Alia centum millia duce Mechmetbego in Transyluaniam, totidem in Croatiam & Dalmatiam irrupêre. Pax erat per id temporis facta cum Persis,

fermè

fermè vt nunc; compositis rebus in Persia, Turci successibus elati magnos Spiritus sumunt. Lacessitus autem à Solymanno Ludouicus Vngariæ rex opem vicinorum Christianorum implorauit, sed frustra. Inter cæteros Polonorum rex responsum dedit ad deijciendum animos Christianorum magis quàm ad erigendum accōmodatum. Putauit enim impares esse Christianorū opes tanto hosti, ideoq; pacem, quibuscunq; conditionibus ab eo redimendam. Sequente anno idem Solymannus Rhodum afflictæ Græciæ propugnaculum, peregrinantium diuersorium, naufragorum portum, miserorum Asylum, quadringentis nauibus, ac bis centenis millibus armatorum, accurrente itentidem recenti milite ex Anatolia, expugnauit & euertit. Anno 26. iterum indicto bello, de summa rei decertaturus cum Ludouico rege Vngarorum, bis centena millia virorum contra eum duxit. Ludouicus verò vix viginti quatuor millia ei opposuit, & in conflictu cum quin-

decim millibus Christianorum occubuit. Anno 29. rediijt in Vngariam cum bis centenis & quinquaginta armatorum millibus, Budam oppugnauit, & Viennam Austriæ circumsedit, horribili fremitu, fragore, minis & crudelitate incredibili eam quassans, lacerans, & ignes, cuniculos, & tormenta omnis generis admouens. At cum nauare & efficere tunc nihil potuisset, anno 33. auctis copijs, in Pannoniam reuersus est, vt maioribus viribus Viennam oppugnaret. Habuit in hac expeditione ad sexcenta hominum millia, & in ijs trecenta millia equitum. In itinere oppidulum Vngariæ Gunzium terdecies oppugnauit, eo tamen nisi per deditionem potiri non potuit.

Anno 37. emissa classe centũ & quinquaginta triremium, octoginta biremium, & ducentorũ ac quinquaginta varij generis nauigiorum, Corcyram Venetæ ditionis insulam oppugnauit, suburbia incendit, agros populat9 est, multos occidit, non paucos abduxit,

tum

tum Zazynthum &* Citheram vastauit, Aeginam expugnauit, & solo æquauit, Parum cepit, ab Anaxo tributum exegit, ex Apulia, & Tyrrheni maris ora prædas magnas fecit. Anno 41. iterum in Pannoniam cum ingenti exercitu effusus Budam & Pestum occupauit, tum agmina magna ad vastandam cædibus & incendijs Austriam & Morauiam emisit. Anno 43. & 44. circiter ducenta viginti millia contra Vngaros duxit, & arcem Walpo in confinibus Bosnæ, Croatiæ & Vngariæ sitam, Quinqueccclesiam, Soclosiam, Strigonium, & Albam regalem in potestatem suam redegit. Anno 50. Temesuarum cum castellis multis cepit, & Agriam, quæ Erla dicitur, validissimè oppugnauit. Anno 52. ab Henrico Gallorum rege, quod turpissimum est dictu, contra Carolum V. incitatus, classe ingenti ditiones eius infestauit. Anno 53. Zigetum obsedit, ac plus quàm decem millia globorum in eam vrbem & arcem displosit.

Sed

Sed nihil eſt neceſſe omnes expeditiones Turcorum contra Chriſtianos exiliter perſequi: certum eſt, Solymannum viuo rege Ferdinando, sexies in Pannoniam irrupiſſe, eamq; ſpatio centum triginta milliarium occupaſſe, vrbes, arces, & oppida munitiſsima quæque cepiſſe: de quibus paucula quædam virtute & induſtria Lazari Schuuendij recuperata ſunt. Meliten quoq; inſulam acerrimè oppugnauit Solymannus, adductis centum & ſexaginta octo triremibus munitiſsimis, præter naues onerarias, nauigia & ſcaphas quamplurimas, & ad ſeptuaginta octo millia pilarum in eam iaculatus eſt. Mortuo autem Ferdinando, extremum furorem in Vngaros effuſurus, anno 66. tantas copias ad excidendum & euertendum Zigetum adhibuit, vt aliquot milliaria in longitudinem compleuerint. In qua quidem obſidione ipſe quoque tremens & frendens mortem obiuit, ſed Zigeto tamen exercitus eius potitus eſt, & Chriſtianos, quotquot Martis vis

reliquos fecerat, concîdit: exceptis paucis, qui Turcicis pileis tecti, cum mulieribus & infantibus in seruitutem rapti sunt. Eadem expeditione etiam Giulam cepit.

Quid dicam de externis copijs, quibus ipse, & post eum Selymus & Amurates Christianos in Cypro, Georgianos, Persas, & Mauros aggressi sunt? Contra Tammasum Persarum regem agmina militum ingentia sæpius duxit Solymannus, & quandoq; ad centum & triginta millia hominum in pugna amisit. Selymus verò anno 70. contra fidem iurisiurandi religione firmatam, missis triremibus centum sexaginta, biremibus & alijs nauibus quamplurimis, Cyprum Venetis eripuit. Idem anno 74. classe nauium longarum rostratarum centum sexaginta, onerariarum triginta, terrestri verò exercitu quadraginta millium armatorum, Tunetum in Africa, & Guletam cepit. Amurates anno 75. rerum potitus, omissa ferè aliorum bellorum cura, omnes cogitationes, & vi-

res

res ad domandum Persicum regnum ancipiti contentione distractum, & miserabiliter conuulsum conuertit. Itaque missis identidem nouis Bassis cum ingenti exercitu, Georgianos primum, tum Persas tentauit, & cædibus rapinisque horrendum in modum vsque ad annum Christi 1587. grassatus est. Quid enim postea in hoc regno gestum, actumúe sit, compertum non habeo. Tanta multitudo, copia, numerus, atque vis armatorum hostium non solum aspectu, sed etiam auditu terribilis est. Quacunque enim insistit, aut ingreditur, longe lateq; omnia depopulatur, & tanquam eluuies quędam homines & pecudes abripit, domos incendit, agros vastat, & nihil incorruptum aut inuiolatum relinquit. Ac si vita ipsa non priuat, bonis tamen omnibus spoliat, & in tristem, morteque ipsa acerbiorem seruitutem abducit.

Si quis verò adeo ferreus est, vt neq; numero, neq; vi tantorum hostium percellatur, is horribili crudelitate,

quam hæc immanissima gens exercet; commoueatur necesse est. Tantæ enim sæuitiæ atque iniquitatis exempla nobis Turcica historia suppeditat, vt eorum recordatione nemo sit, qui non intimis sensibus exhorrescat. Nolo attingere longinqua, nec exemplum Mahometi allegabo, qui anno Christi 1474. in pugna ad Euphratem sex millia Persarum & octingentos cepit, de ijsque, singulis diebus, quib. statiua habuit quingentos iugulari; insepultosq; dispergi iussit, vt totam Armeniã horrendo cadauerum spectaculo compleret. Vnus Solymannus tot documẽta barbaræ ferocitatis præbuit, vt terrorem inijcere summum queant. Anno 29. in obsidione Viennensi in imbellem turbam ira & fremitu ingenti percitus ita sæuijt, vt infantes medios secuerit, fœminas & senes palis infixerit, verubus transfoderit, & gladijs disciderit: captiuorum verò suprà sexaginta millia in seruitutem rapuerit; vites & arbores in agris succiderit, & nullum immanitatis genus prætermiserit.

ſerit. Anno 1557. Corcyram inſulam cum claſſe inuaſit, oppidula cum vicis prædatus eſt, & amplius ſex millia captiuorum cuiuſuis ætatis & ſexus Conſtantinopolim adduxit, vbi facto præconio, fœminæ, mares, iuuenes, & ſenes Chriſtiani perexiguo precio venditi ſunt, quod in theſauros regios repoſitum eſt.

Anno 43. capta per deditionem Alba regali, quingentis viris fortibus virilia membra execuit, eosq́ue raſit, & paſsim per Græciam diſperſit, vt victoriæ partæ teſtes eſſent. Captus quoque eodem tempore Tartarus vnus ex ijs, qui prædas maximas in ea regione fecerant, bimulum infantem ambeſum in pera habuit. Ex quo coniectura capi potuit, quantopere gens illa immanis, in carnes & viſcera Chriſtianorum ſæuiat. Mortuo autem ad Zigetum Solymanno, Tartari infantes medios diſſecuerunt, haſtisq́ue affixos ad ignem aſſarunt. Adeo hoc immane genus hominum carne Chriſtianorum, & vberibus fœminarum

delectatum est. Anno 66, cum classis Turcica, Melitensi obsidione relicta, Constantinopolim reuerteretur: in itinere Chium insulam Ægæi maris adorta est. Fuit autem ea inde vsq; à Græcorum Imperatorum temporibus libera, & ne à Turcis inuaderetur, spōte sua tributum annuum pensitauit. Nihilominus classi præfectus Pialis tunc in ferijs Paschatis, quas more institutoq; maiorum Christiani illic celebrabant, nihil tale metuentes, multò minus meritos ex insidijs oppressit. Euocauit enim præsidem, reliquũ magistratum in prætoriam triremem: mox palatium & arcem Turci occuparunt, Christianos magistratu abdicarunt, Turcos in locum eorum substituerunt, templaq; Christiana solo æquarunt, relicto vnico S. Dominici, quod statim ritibus Mahometicis initiatum est & idolomaniæ Turcicæ consecratum. Abdicatus verò magistratus cum familia tota Constantinopolim missus est, indeq; in varias regiones deportatus. Hæc miseranda clades ad Gallo-

rum

rum regem delata permouit illum, vt pro oppreſsis Chriſtianis deprecaretur. Qui etiam pro fœdere & coniunctione, quę eſt inter ipſum & Turcam, obtinuit, vt exulibus in patriam redeundi poteſtas daretur & vmbra aliqua libertatis reſtitueretur: ea tamen conditione, vt prouocatio ad Imperatorem Turcicum fieret.

Anno 1571. expugnata Cypro, ſupererat Famaguſta, quæ tamen deſtituta Chriſtianorum ope, Turcorum violentam & diuturnam impreſsionẽ ſuſtinere amplius non poterat. Itaq; Baſſæ Turcico ſeſe dedidit, ea conditione, vt liceret Venetis, qui in obſidione erant, ſaluis corporibus, armis, facultatibus, & quinq; machinis bellicis in Cretam diſcedere, Chriſtianis verò illic manſuris, tam religione, quàm reb. ſuis frui. Hanc cõditionẽ probauit Muſtapha, Baſſa Turcicus, & ſubſcriptione ſua cõfirmauit. Sine mora igitur Veneti nauib. imponere ceperũt ea quę à duce Turcico impetrârãt. Ante diſceſſum verò Venetorũ pręfect⁹ Bragadin⁹

quosdam de suis ad Bassam Turcicum misit, clauemq; more dedititiorũ tradidit. Bassa quidem missos ad se humanissime accepit: Sed videre sese cupere ostẽdit prius Bragadinum, aliosq; primarios milites, à quibus tanta fide & fortitudine Famagusta defensa esset. Ideoq; vt ad se veniret postulauit. Accessit necessitate compulsus Bragadinus, quinquaginta selectioribus militibus comitatus. Acceptus est primùm benignè: sed præter spem & opinionem in tentorio Bassæ detentus audiuit conficta quædam aduersus se crimina, quasi ad se missos legatos contra ius gentium malè tractasset, & caussam necis eorum dedisset. Ob id ira incitatus Bassa vinciri iussit cunctos, nec multò post productos ante tentorium in conspectu suo in frusta secari, Bragadinum verò, auribus prius amputatis, viuum excoriari. Est autem digna omnium posterorum memoria huius Bragadini in summis cruciatibus patientia fides, & constantia in confessione Iesu Christi. Hunc enim

quo-

quoties astantes magno numero Turci & Iudæi per contumeliam nominarunt, illuserunt, aut ei exprobrarunt, ille inuicto animo defendit, inuocauit, & salutem se ab eo petere & expectare æternam ostendit.

Anno 1586. capto Taurisio Persicorum regum sede antiqua, potestas data est Turcis prædandi, rapiendi, inuadendiq; fortunas & homines, quantum quisque posset. Mox libido, auaritia, crudelitas, & furor tantus vrbe tota exarsit, vt planè nullum flagitium, nullum scelus, nullum maleficium teterrimum prætermitteretur. Neque est vllius hominis facultas tanta, vt vel atrocitatem effrenatæ ac furiosæ cupiditatis efferre, vel gemitum, squalorem, eiulatum liberorum & parentum, lacrymas sauciatorum, deprecationes senum, communem deniq; incolarum formidinem, trepidationem, dolorem in extrema miseria atq; calamitate eloqui posset. Virgines vitiatæ sunt, liberi à parentũ complexu auulsi ædes fractæ

 & ex-

& exustæ, omnia bona direpta, nec vlla particula ciuitatis inuiolata est relicta. Nec semel id factum, sed iterum & tertiò multò crudelius & miserabilius. Prædæ tanta fuit magnitudo, vt aliquot millia Camelorum ijs onerata sint. Ac inter manubias ferè vnusquisque puellulam aut adolescentem, in quibus species aut forma erat liberalis secum abstulit.

Vnicum adhuc crudelitatis ingentis exemplum adiungam de Drusis, qui reliquiæ sunt Gallorū illorum, qui tempore quodam ad recuperandum sepulcrūm Domini in Iudęam profecti sunt, & loca inter Ioppen supra Cæsaream palæstinam, & Iordanis fontes, ad Libani latus incolunt. Christianam quidem religionem profitentur, sed ductum tamen Prophetæ sui Ismani sequuntur, vitamq́; professioni prorsus contrariam agunt. Turcicam tamen idolatriam & dominationem detestātur, omniq́; contentione, velis, vt ita dicam, remisq́; fugiunt. Ad eos igitur delendos missus Ebraim Bassa non

tam

tam vi manifesta, quàm fraude & perfidia occulta eos adortus est. Nam & ducem eorum verbis & promissis humanissimis ad colloquium allectauit, & quotquot ad ipsum venerunt, eos immaniter excruciatos sustulit. Erant autem de his Drusis viri trecenti quinquaginta, præter cæteros ad defendendam Patriæ suæ libertatem parati. Præfectus verò eorum erat Macademus, qui honoribus & præmijs ab Ebraim Bassa ad se delatis inductus, in castra cum selectis illis viris ad tyrannum accessit. Quid Bassa? Præfectum mox in vincula conijcit, viros verò, qui cum eo erant, in vineam duci iubet, & ad vnum omnes concidi, præfectum autem ipsum per summum scelus violata fide, viuum excoriari: prius tamen, vt diu cruciaretur, tergo eius perforato, & in tribus partibus carne execta.

Quid est, quod ad magnitudinem & acerbitatem huius crudelitatis accedere possit? Quid est, quod tã augeat belli Turcici atrocitatem, quàm augẽt hæc

hæc ipſa tam horrendæ immanitatis exempla? Quæ quia peruulgata ſunt & patent omnibus: minus mirum eſt, nonnullos, quibus libertas & pietas cordi eſt, vitam ipſam profundere malle, quàm tyrannidem tantam ſubire. Quare dubitandum non eſt, quin omnibus votis, ſummisq; gemitibus tãtam belli molem deprecari debeamus, tum ſtudio etiam & viribus cunctis in id incumbere, vt armis iuſtis vim tantam à ceruicibus noſtris depellamus. Quò autem atrocius hoc bellum eſſe intelligimus, eò etiam maior neceſsitas illius gerendi nobis obuenit.

Concurrunt autem hoc loco multa quę neceſsitatẽ huius belli demõſtrãt, primum perfidia gentis Turcicæ, deinde ſeruitutis aſperitas, tum religionis periculum. Ac perfidiæ quidem exempla ſunt notiſsima, quæ ad vnam ſummam referuntur omnia, non eſſe fidem habendam Turcis, niſi cum nocendi aut violandi datam fidem facultas nulla datur. Qui autem fidem violat, oppugnat omnium commune præſidiũ,

vt no-

vt noſter Cicero ait. Itaque fruſtra ad Turcorum fidem confugiunt Chriſtiani, & nequicquam eorum opem victi implorant. Recentia duntaxat perſtringam. Anno 1529. Budam venerat Solymannus, eamq; fere vacuam ciuibus ob metum, arcem tamen militis Germani præſidio munitam repererat. Hanc cum euertere cuniculis conaretur tyrannus, Germani, defenſionis ſpe abiecta, cum hoſte pacti ſunt, vt ſaluis reb. ſuis abire ſibi liceret. Quid tyrannus? non habita vlla datæ fidei ratione abeuntes cum ſarcinis ſuis milites ad vnum trucidari iubet; cuſtodem verò arcis incolumem dimittit, quod illo inuito facta eſſet deditio.

Anno 1543. cum Quinqueccleſiam cepiſſet Solymannus, & Socloſiam arcem circumſideret, vicini populi metu fracti, ſponte deditionem fecerunt. Iuſsi autem ſunt commeatum omnem in caſtra tyranni apportare. Quo facto, iudices pagorum Solymannus accerſiuit, imperauitq; vt poſtridie ſinguli cum

li cum suis subditis redirent, reuersos verò instar pecudum iugulandos mactandosq; curauit. Idem tyrannus, cum Albam regalem cepisset, in loco quodam plano non procul ab vrbe conuenire iussit victos, quasi in fidem eos recepturus. Veneruntq eò, quibus imperatum erat, deposito squalore, armis ac vestitu solito induti, & in aciem ordinemq; redacti. Tyrannus aliquandiu obequitans, & aciem inspectans tandem vt arma abijciant, præcipit, nonnullos ex omni numero, viribus & corpore valentiores seligit, reliquos à tergo circumuentos gladijs suis concidendos curat. Erat tunc statutum deliberatumq; tyranno, nullum exemplum crudelitatis prætermittere. Iccirco alios suis gladijs confodit, alios iaculatoribus pro scopo opposuit, alios suis filijs, quorum duos secum adduxerat, obiecit, exploraturus vter eorum vulnera infligere profundiora, aut plagas edere conspectiores, atq; adeo plus sanguinis è corporibus Caurorũ, quo nomine Christianos appellauit, elicere posset. Me-

Memorat historia Noricum quendam magnitudine & robore corporis antecellentem, adductum esse ad Nanum tyranni filio apprimè carum, vt ab eo per ludibrium concideretur. Astitit hic prægrandis vir, celso & erecto corpore, instar Rulandi. Nanus verò vix genua eius attingebat, & ictus crebros cruribus illius infigebat: Spectaculum erat iucundum Turcis, at valde luctuosum Christianis. Tam diu enim impetitus est fortissimus miles, donec concidens vulneribus passim toto corpore acceptis expirauit. Compertum omninò est exploratumq; omnibus, pariter victos & deditos eodem loco à Turcis haberi; fidemq; Mahometicam nihil aut parum differre à perfidia.

Vnum exemplum seruatæ fidei à Solymanno legi in Rhodi expugnatione anno 22. Cum enim fortissimi milites Christiani de Christianorũ ope desperassent penitus, dedere vrbem & insulam hosti barbaro coacti sunt. Quod tamen factũ est ea conditione, vt saluis

uis corporibus & rebus suis abire eis concederetur. Datam fidem summa constantia seruauit Solymannus, misertus insuper etiam magistri ordinis, qui tanta fortitudine insulam & vrbem tutatus esset, & iam ætate affecta, viribusq; infirmis in exilium proficisci cogeretur. In cæteris fidem in perfidiam ferè conuertit, & cum beneuolentiam simulauit, acerbitatis & sæuitiæ virus effudit. Perfidiam autem Turcorum semper sequitur vel cædes deuictorum, vel in seruitutem traditio. Solet enim Turcorum exercitum comitari ingens turba mangonum cum longissimis catenis, quibus captos Christianos vinciant, & serie longa quinquagenos aut sexagenos trahant: ita vt vnius passus interuallo incedant, ne se mutuò conculcent. Hos nocturno tempore locis munitis includunt, ne aufugiant. Nonnulli etiam talium captiuorum pati libidinosa ab impuris mangonibus coguntur. Inde quàm miserabilis sæpe audiatur ploratus & gemitus non verbis explicari potest.

Non

Non enim ætas impubes à vi fœdissimæ libidinis tuta est. Turcorum verò quæstus hic longè vberrimus est. Ac de captiuis quidem decimum quenq; Imperator Turcicus sibi vendicat, eumque ad certum genus laboris, cui aptus est, destinat. Puellas quidem & iuuenes artificijs instruendas curat: viros ad agriculturam, aut alia opera adhibet. Nonnullis etiam virilia exciduntur cum magno vitæ discrimine, vt eorum vsus ad sceleratissimam libidinem esse possit.

Suntq; magistri ordinati, qui opera à singulis exigant, cessantesque flagris cædant. Puellæ & fœminæ quandoq; ad fœdissima munia detruduntur, vt heras suas sequantur cum aquæ vasculo, vt partes absconditas post alui exoneratione͂ purge͂t. Dura omnino & misera͂da est talium captiuorum conditio: Durior tamen longè eorum, qui nullam arte͂ mæchanicam didicerunt. Hi enim tanqua͂ inutilia terræ pondera absq; vlla commiseratione per saxa, per niues raptantur, fame, siti, & squa-

lore perpetuo macerantur. Nec finis miseriarum vllus apparet, præter mortem. Quin incantationibus etiam vtuntur Turci ad retinendos in seruitute captiuos, quibus credunt vel inuitos cohiberi posse. Fugere autem qui volunt, in periculum summũ sese inferunt. Aut enim naufragijs pereunt, aut à bestijs vorantur, aut fame contabescunt: aut ex fuga retrahuntur, & multo inclementius quàm antè tractantur. Talibus enim vel plantæ pedum scinduntur sale in fissuras insperso, vel furca ingens cum ferreo collari illis circundatur.

Non sinit me pietas hoc loco prætertire Armeniorum & Græcorum fidem & beneuolentiam insignē erga captiuos Christianos, quos quantum possunt in fuga adiuuare etiàm cum periculo suo interdum solent. Gratiam igitur illis debemus perpetuam: & si vicissim conferre aliquid in tales possumus, propensam nostram voluntatem in eos esse decet. In forũ quoties captiui tanquam ouium aut caprarum greges produc-

ducuntur, vt vendantur, detractis vestibus omnia membra eorum explorantur, nunquid vitij habeant. Venditi verò onera mandata ferre, vel iugo copulati aratrum ducere coguntur, nec licet cum vllo facilè colloqui. Si qui etiam liberos procreant, vernæ & ipsi fiunt. En tristis seruitus.

Sed tristius multò est conscientię periculū, quod in hac seruitute Christianis impendet. Simul ac enim puella aut iuuenis in seruitutem datur ad suscipiendā circumcisionem, abnegandamq; Christianam fidem solicitatur: & ferè semper meliore conditione esse solent, qui Christianam religionē abiurarūt. Hinc, proh dolor! fit, vt iuniores facilè religionis Christianæ obliuio capiat. Exemplum memorabile & recens est. Erāt duo fratres in Georgia, quos Mustapha Turcicus Bassa fraude & vi circūuentos Constantinopolim attraxit. Christianam religionem, more gentis suę, profitebatur vterque. Sed Turci operam dabāt enixè, vt à fide Christi ad Mahometicam religionē eos abducerent

rent. Quod cum nullo alio facto fieri posset, gubernationis munus ei polliciti sunt, qui è Christiano Turca fieret. Ac maior quidem natu animo magno has illecebras aspernatus est, & fidem in Christum retinuit, quamcunq; fortunam subire paratus: Minor verò gubernationis cupiditate incensus, Christum nefariè abnegauit, & circumcisione accepta, Mahometũ profiteri cœpit.

Habet quoq; Turcicus imperator ius potestatemq; optimum quemq; ex Christianorum liberis deligendi, & Mahometica religione imbuendi, vt eorũ vsus in obeundis reip. muneribꝰ esse possit. Quanto cũ gemitu & dolore parentum & cognatorũ id fiat, cogitatu, quàm dictu facilius est. Abstrahuntur enim liberi à parentibus & cognatis, & quod atrocius multò est, auelluntur à Christo, & addicũtur Mahometo. Narrant Græci ipsi, qui ad nos commeant interdum, pueros Christianorũ Turcicis ritibus atq; moribus informatos, Turcis ipsis esse truculentiores,

tiores. Ob id nigri diaboli vulgo appellantur. Maiores natu & Sacerdotes etiam in regno Turcico Christi quidem non tam facilè obliuiscuntur, sed miseris tamen modis tractantur. Turci enim pleraq; templa suo Mahometo consecrant: vix vnum aliquod humile aut ruinosum Christianis relinqunt. Campanas, organa, & musicam tollunt, potestatem conciones habendi adimũt, publicorum munerum armorumq́; vsu priuant, contumelias in Christum, vel in Christianos impunè iactant. Qui verò de Mahometo aliquid loquitur indignius, huic vim adhibent, aut incendium parant. Est ergo bellum contra Turcam non tam libertatis, quàm ipsius religionis caussa necessarium. Etsi enim ad religionem Turcicam non facilè quisquam compelli videtur in regno Mahometico: tamen non solum allectantur ad eam suscipiendam iuniores, sed attrahuntur etiam, & multi quotidie reperiuntur, qui spe honorum atq; præmiorum, relicta humili conditio-

ne Christianorum sponte se ad Mahometistas aggregant. Sunt reliqua Constantinopoli templa Christianorum complura, quæ hactenus per Mahometi II. sequentiumq; Imperatorum priuilegia steterunt. Annō autem 1584. parum abfuit, vt non omnia in Moscheas, siue templa Turcica conuersa sint. Vix Græcorum, Armeniorum & aliarum gentium Christianarum precibus obtineri potuit, vt duobus ereptis cætera, Christianis relinquerentur.

Quàm facilè verò in tanto contemtu Christianæ religionis sensus pietatis euanescit, & ex animis effluit? De nobis quid fiat quotidiè experimur. Languescit miris modis cultus Dei, & amittitur doctrinæ integritas, etiam cum assiduè tractatur & inculcatur, nedum in tanta contemtione, squalore & negligentia. Nullum præterea genus hominum deteriori loco & conditione est in regno Turcico, quàm Ecclesiasticum: quod labore manuum cogitur non victum tantum parare, sed etiam tribu-

tributum. Singuli enim singulos ducatos annatim pendunt, quod nisi faciunt, oportet eos vendere liberos, aut perpetuum subire carcerem. Quàm cara igitur nobis est religio pura & integra, tam curæ etiam nobis esse debet bellum contra Turcam, qui nullum pietatis Christianæ, nullũ legum, nullum libertatis officium inuiolatum relinquit. Vera enim est & omnium ætatum testimonio comprobata Poëtæ Græci sententia: Barbarus fit qui diu inter barbaros versatur.

Aliquando seuerius appellaui Græcos, qui stipis aut eleemosynæ, vt ipsi vocant, colligendæ caussa ad nos commeant, sacerdotes præsertim, quod nõ plus operæ aut studij in doctrina Ecclesiæ, aut inscientia linguæ patriç collocẽt. Barbari enim sunt pleriq; omnes, ignari sermonis patrij, nec doctores ecclesiæ Græcæ, Nazianzenum, Basilium, Chrisostomum legerunt, multò minus historicos, oratores, aut poëtas Græcos cognouerunt. Sed hoc responsum plerique dederunt, non

plus temporis aut ocij se literarum studijs tribuere posse, quàm labor & cura victus, tributiq; annui concedat. Et cum concionum vsus apud eos nullus sit, facilè intelligitur etiam discendi atq; docendi operas omnes negligi. Scholas planè nullas habent, nisi quibus Arithmetica, & fortè etiam musica traditur. Vbi autem sementis nulla fit, quæ spes frugum aut messis esse potest? Iacent literæ, friget religio, abolita est libertas, seruitutis iugo horrendo oppressa sunt omnia: Quod quò intolerabilius & formidabilius est, eô maiori necessitate nos impelli ad repugnandum obsistendumq; nefarijs Turcorum conatibus statuamus.

Quam quidem ad rem complura sunt, quæ nos excitare atq; inflammare debet, Inprimis gloria Dei, & filij ipsius Iesu Christi, cuius maiestas & honos agitur. Non enim patitur Mahometicus furor Christum ad dexteram Dei sedere, sed detestanda audacia imperium omne ei derogat, & authorita-

tem dignitatemq; Christo debitam impio & execrando suo Mahometo tribuit. Huic robur & potentiam, Christo infirmitatem affingit. Quâm igitur necessaria est nobis Christianis Domini nostri Iesu Christi professio: tam necessaria etiam est eiusdem nominis & gloriæ defensio, & à contumelijs Mahometicis vindicatio. Et quoniam aliud nomen nullum est datum nobis, per quod salutem consequi possimus, nisi nomen Iesu Christi: etiam propugnare pro hoc Seruatore nostro non minus quàm pro ipsa salute nostra debemus.

Postulat deinde ipsa mater ecclesia nostram in arcendis Turcis curam & diligentiā. Est enim Turcus hostis ecclesiæ Christi, & etiamsi, tributo accepto, viuere sub imperio suo sinit Christianos: tamen ecclesia sub tanto hoste atq; tyranno qualis potest esse? quàm est miserabilis status Ecclesiæ Græcæ? quàm tristis facies Ecclesiæ Asiaticę, & Africanæ? quàm immani & horrenda barbarie contaminata vbiq; sunt o-

uis corporibus & rebus suis abire eis concederetur. Datam fidem summa constantia seruauit Solymannus, misertus insuper etiam magistri ordinis, qui tanta fortitudine insulam & vrbem tutatus esset, & iam ætate affecta, viribusq; infirmis in exilium proficisci cogeretur. In cæteris fidem in perfidiam ferè conuertit, & cum beneuolentiam simulauit, acerbitatis & sæuitiæ virus effudit. Perfidiam autem Turcorum semper sequitur vel cædes deuictorum, vel in seruitutem traditio. Solet enim Turcorum exercitum comitari ingens turba mangonum cum longissimis catenis, quibus captos Christianos vinciant, & serie longa quinquagenos aut sexagenos trahant: ita vt vnius passus interuallo incedant, ne se mutuo conculcent. Hos nocturno tempore locis munitis includunt, ne aufugiant. Nonnulli etiam talium captiuorum pati libidinosa ab impuris mangonibus coguntur. Inde quàm miserabilis sæpe audiatur ploratus & gemitus non verbis explicari potest.
Non

Non enim ætas impubes à vi fœdissimæ libidinis tuta est. Turcorum verò quæstus hic longè vberrimus est. Ac de captiuis quidem decimum quenq; Imperator Turcicus sibi vendicat, eumque ad certum genus laboris, cui aptus est, destinat. Puellas quidem & iuuenes artificijs instituendas curat: viros ad agriculturam, aut alia opera adhibet. Nonnullis etiam virilia exciduntur cum magno vitæ discrimine, vt eorum vsus ad sceleratissimam libidinem esse possit.

Suntq; magistri ordinati, qui opera à singulis exigant, cessantesque flagris cædant. Puellæ & fœminæ quandoq; ad fœdissima munia detruduntur, vt heras suas sequantur cum aquæ vasculo, vt partes absconditas post alui exoneratione purgēt. Dura omnino & miserāda est talium captiuorum conditio: Durior tamen longè eorum, qui nullam artē mæchanicam didicerunt. Hi enim tanquā inutilia terræ pondera absq; vlla commiseratione per saxa, per niues raptantur, fame, siti, & squa-

lore perpetuo macerantur. Nec finis miseriarum vllus apparet, præter mortem. Quin incantationibus etiam vtuntur Turci ad retinendos in seruitute captiuos, quibus credunt vel inuitos cohiberi posse. Fugere autem qui volunt, in periculum summū sese inferunt. Aut enim naufragijs pereunt, aut à bestijs vorantur, aut fame contabescunt: aut ex fuga retrahuntur, & multo inclementius quàm antè tractantur. Talibus enim vel plantæ pedum scinduntur sale in fissuras insperso, vel furca ingens cum ferreo collari illis circundatur.

Non sinit me pietas hoc loco prætetire Armeniorum & Græcorum fidem & beneuolentiam insignē erga captiuos Christianos, quos quantum possunt in fuga adiuuare etiàm cum periculo suo interdum solent. Gratiam igitur illis debemus perpetuam: & si vicissim conferre aliquid in tales possumus, propensam nostram voluntatem in eos esse decet. In forū quoties captiui tanquam ouium aut caprarum greges produc un-

ducuntur, vt vendantur, detractis vestibus omnia membra eorum explorantur, nunquid vitij habeant. Venditi verò onera mandata ferre, vel iugo copulati aratrum ducere coguntur, nec licet cum vllo facilè colloqui. Si qui etiam liberos procreant, vernæ & ipsi fiunt. En tristis seruitus.

Sed tristius multò est conscientię periculũ, quod in hac seruitute Christianis impendet. Simul ac enim puella aut iuuenis in seruitutem datur ad suscipiendã circumcisionem, abnegandamq; Christianam fidem solicitatur: & ferè semper meliore conditione esse solent, qui Christianam religionẽ abiurarũt. Hinc, proh dolor! fit, vt iuniores facilè religionis Christianæ obliuio capiat. Exemplum memorabile & recens est. Erãt duo fratres in Georgia, quos Mustapha Turcicus Bassa fraude & vi circũuentos Constantinopolim attraxit. Christianam religionem, more gentis suę, profitebatur vterque. Sed Turci operam dabãt enixè, vt à fide Christi ad Mahometicam religionẽ eos abducerent

 rent

rent. Quod cum nullo alio facto fieri posset, gubernationis munus ei polliciti sunt, qui è Christiano Turca fieret. Ac maior quidem natu animo magno has illecebras aspernatus est, & fidem in Christum retinuit, quamcunq; fortunam subire paratus: Minor verò gubernationis cupiditate incensus, Christum nefariè abnegauit, & circumcisione accepta, Mahometũ profiteri cœpit.

Habet quoq; Turcicus imperator ius potestatemq; optimum quemq; ex Christianorum liberis deligendi, & Mahometica religione imbuendi, vt eorũ vsus in obeundis reip. muneribus esse posit. Quanto cũ gemitu & dolore parentum & cognatorũ id fiat, cogitatu, quàm dictu facilius est. Abstrahuntur enim liberi à parentibus & cognatis, & quod atrocius multò est, auelluntur à Christo, & addicũtur Mahometo. Narrant Græci ipsi, qui ad nos commeant interdum, pueros Christianorũ Turcicis ritibus atq; moribus informatos, Turcis ipsis esse truculentiores,

tiores. Ob id nigri diaboli vulgo appellantur. Maiores natu & Sacerdotes etiam in regno Turcico Christi quidem non tam facilè obliuiscuntur, sed miseris tamen modis tractantur. Turci enim pleraq; templa suo Mahometo consecrant: vix vnum aliquod humile aut ruinosum Christianis relinqunt. Campanas, organa, & musicam tollunt, potestatem conciones habendi adimūt, publicorum munerum armorumq́; vsu priuant, contumelias in Christum, vel in Christianos impunè iactant. Qui verò de Mahometo aliquid loquitur indignius, huic vim adhibent, aut incendium parant. Est ergo bellum contra Turcam non tam libertatis, quàm ipsius religionis caussa necessarium. Etsi enim ad religionem Turcicam non facilè quisquam compelli videtur in regno Mahometico: tamen non solum allectantur ad eam suscipiendam iuniores, sed attrahuntur etiam, & multi quotidie reperiuntur, qui spe honorum atq; præmiorum, relicta humili conditio-

ne Christianorum sponte se ad Mahometistas aggregant. Sunt reliqua Constantinopoli templa Christianorum complura, quæ hactenus per Mahometi II. sequentiumq; Imperatorum priuilegia steterunt. Anno autem 1584. parum abfuit, vt non omnia in Moscheas, siue templa Turcica conuersa sint. Vix Græcorum, Armeniorum & aliarum gentium Christianarum precibus obtineri potuit, vt duobus ereptis cætera, Christianis relinquerentur.

Quàm facilè verò in tanto contemtu Christianæ religionis sensus pietatis euanescit, & ex animis effluit? De nobis quid fiat quotidiè experimur. Languescit miris modis cultus Dei, & amittitur doctrinæ integritas, etiam cum assiduè tractatur & inculcatur, nedum in tanta contemtione, squalore & negligentia. Nullum præterea genus hominum deteriori loco & conditione est in regno Turcico, quàm Ecclesiasticum: quod labore manuum cogitur non victum tantum parare, sed etiam

tributum. Singuli enim singulos ducatos annatim pendunt, quod nisi faciunt, oportet eos vendere liberos, aut perpetuum subire carcerem. Quàm cara igitur nobis est religio pura & integra, tam curæ etiam nobis esse debet bellum contra Turcam, qui nullum pietatis Christianæ, nullũ legum, nullum libertatis officium inuiolatum relinquit. Vera enim est & omnium ætatum testimonio comprobata Poëtæ Græci sententia: Barbarus fit qui diu inter barbaros versatur.

Aliquando seuerius appellaui Græcos, qui stipis aut eleemosynæ, vt ipsi vocant, colligendæ caussa ad nos commeant, sacerdotes præsertim, quod nõ plus operæ aut studij in doctrina Ecclesiæ, aut inscientia linguæ patriç collocẽt. Barbari enim sunt pleriq; omnes, ignari sermonis patrij, nec doctores ecclesiæ Græcæ, Nazianzenum, Basilium, Chrisostomum legerunt, multò minus historicos, oratores, aut poëtas Græcos cognouerunt. Sed hoc responsum plerique dederunt, non

plus temporis aut ocij se literarum studijs tribuere posse, quàm labor & cura victus, tributiq; annui concedat. Et cum concionum vsus apud eos nullus sit, facilè intelligitur etiam discendi atq; docendi operas omnes negligi. Scholas planè nullas habent, nisi quibus Arithmetica, & fortè etiam musica traditur. Vbi autem sementis nulla fit, quæ spes frugum aut messis esse potest? Iacent literæ, friget religio, abolita est libertas, seruitutis iugo horrendo oppressa sunt omnia: Quod quò intolerabilius & formidabilius est, eò maiori necessitate nos impelli ad repugnandum obsistendumq; nefarijs Turcorum conatibus statuamus.

Quam quidem ad rem complura sunt, quæ nos excitare atq; inflammare debet. Inprimis gloria Dei, & filij ipsius Iesu Christi, cuius maiestas & honos agitur. Non enim patitur Mahometicus furor Christum ad dexteram Dei sedere, sed detestanda audacia imperium omne ei derogat, & authorita-

tem

tem dignitatemq; Christo debitam impio & execrando suo Mahometo tribuit. Huic robur & potentiam, Christo infirmitatem affingit. Quâm igitur necessaria est nobis Christianis Domini nostri Iesu Christi professio: tam necessaria etiam est eiusdem nominis & gloriæ defensio, & à contumelijs Mahometicis vindicatio. Et quoniam aliud nomen nullum est datum nobis, per quod salutem consequi possimus, nisi nomen Iesu Christi: etiam propugnare pro hoc Seruatore nostro non minus quàm pro ipsa salute nostra debemus.

Postulat deinde ipsa mater ecclesia nostram in arcendis Turcis curam & diligentiã. Est enim Turcus hostis ecclesiæ Christi, & etiamsi, tributo accepto, viuere sub imperio suo sinit Christianos: tamen ecclesia sub tanto hoste atq; tyranno qualis potest esse? quàm est miserabilis status Ecclesiæ Græcæ? quàm tristis facies Ecclesiæ Asiaticę, & Africanæ? quàm immani & horrenda barbarie contaminata vbiq; sunt o-

omnia? Videmus quanta vis sit & magnitudo iræ diuinæ, quæ vbi semel exarsit, non facilè restinguitur. Effudit Deus iamdudum furorem suum in eas gentes, ad quas omnia sua bona transtulerat, & quibus lucem verbi sui cumulatè tribuerat. Huius furoris reliquias omnes posteri sentiunt & Turcicæ tyrannidis iugum etiam nunc ferre coguntur, nec semel susceptum illud de ceruicibus suis deijcere possunt. Non dissimilis fortuna nostra erit, nisi maiori fide, cura & diligentia tueri communicata nobiscum Dei bona studuerimus. Quare prouidendum est etiam nobis, ne eodem modo iusta Dei ira aduersus nos exardescat, & in immanium Turcorum potestatem redigamur, vnde liberatio sperari nulla possit.

Flagitat hanc ipsam animaduersionem atq; studium etiam patria, cuius libertas omnis in hoc bello agitur. Turcica .n. tyrannis nihil libertatis reliquum facit. Vbi autem libertatis nihil est, ibi nec iuris, nec æqui cura est. Vbi

iuris & æquitatis nihil est, ibi neque ego meum, neque tu tuum tueri aut custodire possumus, sed iniuriæ, cupiditati, auaritiæ , & violentiæ subiecta sunt omnia. Tolle iura, & quis dicet, hoc meum est? Iam sub Turcica tyrannide ius neq; auditur, neq; admittitur. Quam igitur horribilis cõfusio in ea sit, æstimare quilibet potest. Ius dicunt non qui iura didicerunt, sed qui armis tractandis ab ineunte ætate assueuerunt. His subesse imbelles Christianos, his parere necesse est. Apud hos si de iure quærat aliquis, id ferè audire cogitur, quod ab Antigono seniore audiuit is , qui librum de iusticia conscriptum illi exhibuit. Sic enim respondit Antigonus, desipis, qui cum me videas alias vrbes armis vexare, de iusticia tamen mihi audes concionari.

Quin etiam superbia Musulmannorũ siue Turcorũ tanta est, vt despiciãt, & pro nihilo putent Christianos: adeo vt si quis eques Christianus Musulmãnum preterit, de equo descendere cogatur,

gatur, & cernuo vultu ſedentem Turcam adorare. Hoc niſi faciat, de equo deijci ſolet. Talis ſeruitus ſi nobis indigna, ſi turpis, ſi intoleranda deniq; videtur: impellere nos debet, vt omnes vias perſequamur, quibus tueri noſtram libertatem poſsimus.

Ac ſi nihil horum, quæ recenſui, tantam vim haberet, vt nos ad oppugnandum Turcam acueret, tamen ſuſpiria, gemitus, lacrymæ, & aſsidua vota captiuorum & detentorum ſub Turcico imperio Chriſtianorum flectere ad miſericordiam deberent. Hi enim defatigati ac languentes iugo acerbiſsimo ſeruitutis dies ac noctes animos & oculos ad nos conuertunt, precibusq; & ope noſtra ſe iuuari petunt. Deus bone, quàm grauiter hi ſub mole tanta ingemiſcunt, quantam vim lacrymarum profundunt! Quos quidem gemitus, plangores, & voces lacrymabiles ſi minus auribus exaudimus, animis tamen & intimis ſenſibus percipere poſſumus atque debemus. Decetq; adeo nos itentidem ad

eos

eos respectare, & vocesq; precesq; nostras cum illis coniungere, vt per lætum & desiderabilem aduentum filij Dei ad iudicium, si alia ratio fortè nulla inueniatur, ab hoc immanissimo iugo liberentur. Quod nisi facimus, tanquam immites & immisericordes conserui pœnas graues Deo exoluemus: ab his verò fratribus & sororibus nostris, quæ in seruitute sunt, diris & execrationibus deuouebimur. Hæ rationes satis magnæ ad demonstrandam belli Turcici necessitatem mihi esse videntur: acerba scilicet seruitus, quam Mahometicus dominatus importat, religionis imminutio, Ecclesiæ clades, gloriæ Christi obscuratio, libertatis omnis, iuris & æqui euersio, assiduus denique oppressorum Christianorum plangor, & spes auxilij in nostris precibus & adminiculo posita.

Superest, vt quibus armis præsidijsq; vti ad repellendum hostem tantū conueniat, explicetur. Sunt autem duo, quorum ope atq; opere profligari atq; euerti

euerti Turcam oportet: vnus est Christianus, alter Rudolphus. Christianus quidem precibus, Rudolphus verò armis & gladio pugnat. His nisi Turcarum potentia frangatur & debilitetur, tuti esse ab illorum impresſione violenta non poſsumus. His præsidijs iam olim Iſraëlitæ hoſtes ſuos Amalecitas, Midianitas, & alios fuderunt. Preces enim ſunt, quę diuinum numen ſceleribus noſtris violatum placant: arma verò, quæ vim hoſtilem atq; impetum à nobis propulſant. Orante Moſe, pro ſalute Eccleſiæ & Reipub. ſuæ propugnabant Iſraëlitæ in deſerto. Gemente & clamante populo, iudices Iſraëlitici pro lege & pro grege ſuo dimicabant, hoſteſq; deuincebāt. Sæuiente Maxentio & Maximino, Chriſtiani preces & vota pro Eccleſia faciebant: Conſtantinus verò manum cum hoſte conſerebat. Iuliano ignem & minas aduerſus Chriſtianos ſpirantē ipſi precibus ad Deum conceptis ſeſe muniebant, & tyrannum furentem, & crudelitatem ex infimo pectore anhelan-

helantem interimebant.

In Viennensi obsidione, cum Turcæ omni opere & machinis vrbem oppugnarent, eamq́; iam spe & cupiditate deuorassent: Christiani hymnos sanctos, & Domino suo Iesu Christo gratos cecinerunt. Philippus verò Palatinus Comes cum suis militibus arma ad arcendum hostem pro salute communi cepit. Etsi igitur tormentorum vim maximam adhibuit Turca, adeo vt cœlum tegi glandium & missilium multitudine, tellus verò tremere & ingenti mugitu percelli videretur; tantum tamen preces armaq́; Christianorum valuerunt, vt territus fractusq́; tyrannus cum indignatione summa recedere coactus sit. Cum idem tyrannus Guntzium exiguum oppidulum, neque arte, neque opere, neque natura munitum obsideret, eiusq́; oppugnationem die ac nocte vrgeret: inclinata iam ad ruinam omnia esse videbantur. In oppido enim centum duntaxat milites cum præside Nicolao Iurischitz erant. At hi

non-

non tam armis, quàm precibus summa contentione pugnabant. Et quanquam fortitudo ducis & militum tanta fuit, vt hosti etiam admirationi esset: tamen plus porfecerunt deprecationes Christianæ, quàm conflictiones cum hoste. Cum enim in extrema fortuna circumsessi starent: imbellis ætas, senes, pueri, matresfamilias, voce contẽta, & ad miserabilem sonum inflexa Dei fidem, misericordiam, & opem implorarunt. Estq; hoc eiulãtium clamore ita conterritus hostis, vt milite armato vndique oppletum esse oppidulum putaret. Itaque perculsus quasi diuino quodam pauore expugnationem in medio cursu victoriæ abrupit, & nemine persequente, aufugit. Vtrunque igitur præsidium ad oppugnandum Turcam adhibendum est, vt & domi precemur, & foris præliemur, animis vota faciamus, manibus verò hostem repellamus.

Preces verò oportet esse ardentes, frequẽtes, & puras. Nullus enim cult' nullaq; inuocatio potest placere Deo

aut placare iram eius, nisi mens incensa sit timore Dei, fide, ac sensu iræ diuinæ, vrgentiumq; vel certè impendentium malorum. Neq; etiam fieri potest, vt ardens oratio ad Deum perueniat, nisi ardeat, qui orat. Est ergo necessarium in hac parte, vt animis attentis cogitemus iram Dei aduersus nos inflammatam, & magnitudinem calamitatum nostrarum consideremus: tum iusto dolore scelera nostra detestemur, ac vero gemitu pœnam deprecemur. Hic enim locum habet id, quod Deus apud Ezechielem ait: Quæsiui, num quis esset, qui se opponeret quasi murum pro Ecclesia & populo, & sedare studeret iram meam. Rupturam sanè fecit Dominus magnam, dum iterum partem de Christianorum sede in Croatia detrahi à Turcis passus est. Huius enim extremum oppidum & arcem Wihitsch, quæ annos 150. iam propugnaculum Christianæ reipublicæ aduersus Turcas extitit, cum alijs castellis & vrbibus illi occuparunt, multa hominum

 millia,

millia ſine diſcrimine ſexus, ordinis, & conditionis trucidarunt, reliquam multitudinem in ſeruitutem ipſa morte duriorem abduxerũt. Quæ quidẽ repentina & violenta impreſsio, quô magis contra opinionem noſtram accidit, eô grauiùs mentes & animos noſtros percellere, & ad emendandum mores & vitam incitare debet.

Imminent ijdem ex omni parte infeſti in Styriam, Carinthiam, Carniam, Foroiulum, & erecti paſsim in Vngaria cum minis & immani terrore vagantur. Quò ſanè magis excitanda eſt cura & animaduerſio, & ita velut è ſuperiore loco concionandum: indies, Chriſtiani, magis exardeſcit ira Dei, & cumulatur pœna. Quia atrox infertur contra nos bellum, ingensq́; à Turca impendet periculum. Occurrite ergo flagranti numinis diuini iræ, placare Deum precibus ardentibus ſtudete, & dum in curſu eſt furor Turcicus, omni contentione reſiſtite. Ardere hic neceſſe eſt concionantem, vt ardens oratio eius ad auditores perueniat.

ueniat. Ardere oportet auditores, vt vero animi impetu ad mitigandum Deũ iratum, & auertendum horribile bellũ incumbãt. Vt.n. tubæ sono ad prælian-dum excitantur in acie armati: ita orationis grauitate ad orandũ inflammãdi sunt togati: vt, nisi seriò & ex animo orẽt, pereundũ sibi cũ omnib. quę possidẽt, statuãt. Cui ergo cara est patria, iucunda ecclesia, grata salus publica & priuata, dulcis vxor, liberi, domus, supellex, agri, is, nisi oret, omnia ab immanibus Turcis direptũ inflammatũq; iri sciat. Aspiciat modò vnusquisq; ea, quæ cara habet, & quò ægrius ea amissurus est, eò ardẽtiori animo precetur.

Philippus Melanchthon aliquando ex Mysnensis ludi visitatione domum reuersurus tractum amœnissimum ad Albim inter duos montes situm, flumine, valle vineis, pratis, & arboribus vndiq; vestitum accuratê intuens lacrymas profudit, idq; cur faceret interrogatus, respondit: doleo hæc tam culta loca prædæ barbaris Turcis fore. Sic tua domus, tuus hortus, tua

vxor & liberi, & quæcunq; alia cara habes prædæ hostibus erunt, nisi precibus iram Dei auertere, & mitigationem pœnæ flagrantis impetrare studueris. Siue enim omen hoc est Melanchthonis, sine opinio, siue coniectura: certum est, nisi pœnitentiam egerimus, nos cum omnibus, quæ habemus, perituros esse. Obseruatur animo meo dies & noctes terræ motus, qui anno 90 Viennam & vicinia loca conquassauit. Non enim obliuisci possum Pliniani dicti, quod de Romana vrbe pronunciauit. Nunquã vrbs tremuit, vt non futuri alicuius euentus ad prænuncium fuerit. Nihil opus est exemplis ex veterum aut recentium rerum memoria petitis. Facile est cuius ex iisdem caussis antegressis eosdem effectus ratiocinari.

Frequentes deinde preces nostras esse oportet, & crebras, quò enim maior est necessitas, eò magis vrgenda & frequentanda oratio. Sine intermissione, inquit Paulus, orate. Si cessat Turca, cessare potest aduersus illum nostra

oratio

oratio. Sed si is in opere suo noctes & dies pergit: res cogit nos etiam summo studio perseuerare in precatione. Hic iterum contendenda est vox, & exacuendi Christianorum animi, vt, quoad orant, consecuturos sese aliquid laxamenti arbitrentur: simul ac verò relanguent, aut de studio suo, perseuerantiaq; aliquid remittunt, periculum intendi existiment. Mosi quid acciderit, historia peregrinationis Israëlitarum indicat. An non, quoties ille manus leuabat, exercitus Israëliticus prosperè pugnabat, & hostem profligabat, simul ac verò manum suam remittebat, hostis vincebat? Ita dubium nullum est, inuentos esse hactenus Christianos, qui Turcam precum suarum asiduitate represserint, & à finibus nostris propulsarint. At nunc, quoniam iterum ille hostis adeo sæuire in nos incipit, argumento est, nos ocio & languore à cura precandi abductos esse. Quamobrem, si denuò quietis, si pacis vsuram aliquam expetimus, denuò orandum nobis esse

sedulò frequenterque statuamus.

Deniq; pura oratio nostra esse debet, quod Apostolus præcipit, cũ iubet nos manus puras leuare, hoc est, non pollutas malo proposito in peccatis perseuerandi. Nam & apud Esaiam Deus disertè negat, se exauditurum esse multitudinem precum, si manus sint repletæ sanguine. Sic igitur orandum nobis esse sciamus, vt omne propositum peccandi, omnem libidinem auaritiam, superbiam, luxum, priuatæ vindictæ cupiditatem, & alia delicta, quæ Deus odit, abijciamus, & mente sancta atq; integra ad Deum accedamus. Inspiciat modò seipsum quisque, & quæ in se deprehendit iniqua, superflua, aut inuisa Deo aut proximo, corrigat. Odit autem Deus etiam omnem insolentiam in gestu, vestitu, & victu. Hanc ergo quamdiu vsurpas, precari rectè non potes.

Hic iterum contendenda vox est, & ad curam abijciẽdi superbiam, libidinem, luxum & vestium nouitatem atq; inso-

insolentiam inflammandi Christiani, vt non prius credant, se exaudiri à Deo in hoc summo periculo posse, quàm manus puras tollere ad ipsum cœperint. Et est profectò amentia summa, in calamitate accedere ad Deum audere, nisi gestu & vestitu etiam luctum & squalorem præ te feras: Saccus enim & cinis est pœnitentium habitus.

Hoc vsus est in medio omnium rerum certamine atq; discrimine populus Israëliticus. Sic enim scribitur in historia Iudith capite quarto: Vniuersus populus seriò inuocabat Deum, & ipsi ac coniuges eorum humiliabant se cum ieiunio & precatione. Sacerdotes verò circumdederunt sibi saccos, & infantes iacebant in vestibulo templi Domini, & altare Domini tegebatur sacco. Et clamauerunt ad Dominum Deum Israël magno consensu, ne abducerentur vxores & liberi eorum, & ne ciuitates vastarentur, & Sanctuarium ne pollueretur, denique ne ipsi ludibrium fierent Ethnicis. Et Ioiakim sacerdos ma-

gnus Domini lustrabat regionem, & hortabatur populum Israël dicens, certò vobis persuasum sit, idq; exploratum omninò ducite, quod Dominus sit exauditurus preces vestras, si perseuerabitis in ieiunio, & precatione coram Domino.

Quanta item dementia est, Turcas, cum oppugnare Christianos volunt, tota die & nocte ieiunare, quemadmodum in oppugnatione Constantinopolis fecerunt: Christianos verò in necessaria & legitima sui defensione parem summissionem & curam adhibere non velle. Quoad agitur molliciem sectaris, ornatum ambitiosum geris, luxui indulges, puras manus ad Deum leuare non potes.

Profectò Deus non solum mentem contemplatur, sed incessum etiam tuũ obseruat, gestum, ornatum, calceos, fibulas, armillas, fimbrias, annulos, & alia minuta, quæ tuis oculis placent, ipse verò abominatur. De quo si dubitas, Esaiæ concio cap. 3. te confirmare potest. Non potest, non potest esse seria

ria precatio ſine abiectione propoſiti mali, & vera conuerſione ad Deum. Nec eſt melior portus pœnitenti, quàm mutatio conſilij. Quocirca arcere ſi volumus Turcā à noſtris agris, tectis, & mœnibus, vt ardens, vt crebra, vt pura ſit noſtra precatio, neceſſe eſt. Quod enim in acie ſtantes milites facere oportet, ſi vincere oppoſitum ſibi hoſtem cupiunt, idem nobis in publicis congreſsibus, & priuatis exercitationibus noſtris faciendum eſſe putemus: vt precibus depellere & concidere Turcam non minori contentione ſtudeamus, quàm milites profligare & delere eum nituntur ſclopetis & gladijs.

Non ſolus autem Chriſtianus eſt, qui Turcā proſternit & fundit, ſed op⁹ eſt etiam Rudolpho Cæſare, magiſtratu noſtro legitimo & ordinario. Huic enim attribuit Deus gladium, & mandatum dedit tuendi ſubditos, depellēdiq; ferrum & flammam ab aris & focis noſtris. Ad talem autem defenſionem opus eſt prudentia & pecunia.

 Pru-

Prudentia enim consiliorum rectrix est, sine quibus nihil valent arma foris. Pecunia verò neruus est belli, & sine ea nihil geri aut effici potest, quod decet aut conuenit. Iam prudentia in imperatore nostro, & adiunctis imperij principibus magna est. Vtinam adsit etiam efficiendi facultas, diuinusq; successus. In Dauidis Israëlitarum regis exercitu singuli milites poterant esse ductores copiarum. Vtinam etiam in Christiano hoc exercitu contra Turcas non solum copia, sed etiam delectus aliquis heroicorum bellatorum sit, qui non solum rei militaris scientia, sed etiam authoritate, fide & felicitate antecellant. Neque verò desunt vires imperio, sed firmamenti & roboris multum suppetit. Præterea nerui etiam belli in conuentibus imperialibus decreti sunt. Et quod optabile nobis omnibus est maximè, auxilia Christiani principes magno consensu & voluntate pro salute communi offerunt. Quæ quidem subsidia atque præsidia ego arbitror magna esse,

esse, ad quę si accesserit diuinum auxilium, industria in agendo, consilium in prouidendo, prosterni hostis, quamuis in orbe terrarum potentissimus, poterit.

At sunt, quæ dubium facere alicuius animum in hac caussa possint. Non enim hactenus ex sententia successit vllum ferè bellum contra Turcam susceptum. Non Ægyptus, non Asia, non Persia, non Africa, potuit de potentia eius quicquam detrahere, aut ex faucibus illius eripere, quæ semel ceperit, aut occuparit. Immò ne Christiani quidem milites, cum in eum iuerunt, amissas opes vnquam recuperare potuerunt. Anno 1395. ad Nicopolin cum Turcis conflixit Sigismundus imperator: sed victus cladem ingentem deportauit. Anno 1444. ad Varnam Vladislaus cum Amurate signa contulit: sed equo deiectus cum ingenti numero Christianorum perijt. Anno 1526. Ludouicus Vngariæ rex Solymanno in Panoniā irruenti occurrit: sed cum flore regni occu-

occubuit. Anno 1433. cum Solymanni exercitus in Styriam vsq; penetrasset, & iam in Germania pedem posuisset, delectæ ex Germanis, Italis, Hispanis, & Vngaris copiæ, imperatore Carolo V. contra illum ductæ sunt: sed fugiente hoste, opera & impensa inanis fuit: Christianorum verò circiter triginta millia partim capta, partim concisa fuerunt. Anno Christi 1542. in conuentu Norimbergensi triginta millia peditum, & sex millia equitum ab imperij ordinibus in Vngariam ad recuperandum Pestum & Budam decreta & missa fuere, duce Ioachimo Brandeburgico: sed irritus conatus omnis fuit. Anno 1566. cum Solymannus Zigetum obsideret, militum firma manus, imperatore Maximiliano, coacta est: sed frustra susceptus labor est.

Hæc profectò cuiusmodi sunt, vt deterrere à bello Turcico etiam fortem animũ posse videantur. Sed sunt in alteram partem quoq; rationes & exempla, quæ demonstrant, neq; inuictum

esse

esse Turcam, neq; vsq; adeo formidabilem, vt, si contra fidem aut pacta bellum inferat, vel latrocinijs & excursionibus fines Christianorum depopuletur, non omni ope & opere arcendus, & vis vi repellenda esse videtur. Primum enim caussa Dei est, cuius gloria agitur in hoc bello. Odit enim nos Turca & oppugnat propter professionem sanctissimi nominis Iesu Christi, quem ipse de gradu & maiestate conatur deijcere, & in locum eius Mahometum suum impium collocare. Etsi igitur maximas, vel innumerabiles etiam copias contra nos ducit: tamen verè illud ad nos applicare possumus, quod Deus per Prophetam ad Iosaphatum, & subditos eius dixit: nolite timere, aut animo angi coram hac maxima multitudine hostium. Non enim vestrum est prælium, sed Dei. In Dei igitur nomine prælium omne cum Turcis ineundum est, nec dubitandum, quin Iesus Christus, què profitemur, nomen suum à contumelia Mahometica defensurus sit. Hic enim est, qui in

media

media acie ſtans pro ſuo ſanctiſsimo nomine propugnabit, & præliantes in hoc ipſo ſuo nomine Chriſtianos, diuinitus ſuppeditato robore & ſucceſſu iuuabit.

Certum eſt etiam tale bellum contra Turcam eſſe legitimam defenſionem magiſtratui mandatam à Deo. Contra verò Turcicam tyrannidem eſſe Deo & legibus inimicam. Quod autem legitimè geritur, diuinitus etiam fortunatur, & exitum plerunq; habet ſalutarem. Tum res etiam probat, verum eſſe quod in verſibus dicitur:

Frangit & attollit mentes in milite cauſſa:
Quæ niſi iuſta ſubeſt, excutit arma pudor.

Memorabilis quoq; viri fortiſsimi vox eſt apud poëtam Græcū: in iuſta cauſſa decet eſſe inuicto infractoq; animo. Quod verò temere & abſq; diuino mandato ſuſcipitur, quamuis exiguo tempore procedat, & ſpem magnam præbeat: tandem tamen dilabitur, & perit. Quis ergo militum omnium eſt, qui non malit in exercitu Cæ-

ſaris

ſaris Rudolphi militare, quàm in turba & colluuione impia Turcorum? Quis eſt, qui non ſuccumbere, ſi ita Deus velit, aut res cogat, ſub vexillo imperatoris Chriſtiani & legitimi malit, quàm in caſtris, aut acie Turcici tyranni florere, aut vincere? Scimus quo pacto tantas opes pararit Turca, non profectò iure aliquo, multò minus Dei mandato, ſed vi, tyrannide, dolo, & perfidia. Quàm igitur firma aut ſtabilis eius potentia eſſe poſsit, quiuis intelligit. Et ſunt in promtu exempla infelicium pugnarum eius, quæ ſuperioribꝰ exemplis ſucceſſuum illius opponi poſſunt. Quis ignorat Ioannis Huniadis virtutem & felicitatem adeò terribilem fuiſſe Turcis, vt audito ſaltem nomine ipſius exhorruerint? Hic eſt, qui arma Turcorum ab Vngaris, quoad vixit, depulit, & victorias illuſtres ab illis reportauit. Matthias Baiazetē in ſummo curſu victoriarum acinacem ſuum aduerſus Vngariā ſtringentem eximia fortitudine repreſsit, ineaſq; anguſtias adduxit,
vt

vt miſsis legatis atq; muneribus inducias ab eo petierit. Memorabilis eſt Chriſtianorũ pugna naualis ad Naupactum, (hodie Lepantum vocant) in ſinu Corinthiaco, anno 1573. qua claſſem Turcicam vniuerſa, exceptis paucis triremibus ac nauigijs depreſſerunt, & quatuordecim millia Chriſtianorum liberarunt. Quanquam præter famæ celebritatem & gloriam immortalẽ nihil acquiſiuerunt. Quod verò ad Nicopolim malè contra Turcas à Sigiſmundo Vngariæ rege pugnatum eſt, ſuperbiæ & inſolentiæ pœna fuit. Feruntenim, vt Bonfinius lib 2. ſcribit, iactaſſe Sigiſmundum, ſe tam numeroſum ductare exercitum vt neq; Turcam, neq; cœlum ipſum, ſi forte rueret, formidare deberet. Huius enim, inquit, ruinam facilè haſtis noſtris ſubire poſſemus. Diuina igitur vltione factum eſt, vt parum abfuerit, quin is, qui cœli ruinam contemſerat, in manum hoſtium deueniret. Quod etiam Xerxi Perſarum regi contigiſſe ex Græca hiſtoria didicimus

Var-

Varnensis verò cladis quæ alia fuit caussa, quàm induciarum iureiurando ab vtraq; parte confirmatarum, impulsu Eugenij pontificis, & Iuliani Cardinalis violatio? Belgradum porro quid perdidit, & in potestatem Solymanni redegit, nisi superbia procerum Vngariæ? Sic enim habet historia Vngarica, & Boiemica. Miserat Solymannus initio imperij sui legationem in Vngariam, qua significauit, portam suam regiam omnibus patere, qui vel pacem vel bellum poscerent. Vtrum ergo mallent Vngari cognoscere ex ijs voluit. Hîc Vngari Solymannum iuuenem contemserunt, & legatum eius in custodia asseruarunt. Ea igitur contumelia irritatus Solymannus, Belgradum dissidentibus præsertim inter se, & discordantibus Vngaris, inuasit. Ludouico viuere & regnare per fata forte licuisset, nisi à suis ipse, & Turcus superbè essent contemti. Præterquam enim quod Episcopi infideliter neruos belli suppeditabant, etiam nobiles ocio & luxu diffluentes, manu exigua se

concisuros, & profligaturos esse Turcos iactabant. Accedebat Pauli Tomorei monachi imperiti & inepti temeritas, qui imperium militare cupidè inconsulteq; arripuit. Quid attraxit Turcam in Pannoniam, ad occupandam Budam, Pestum, & alia oppida munita, quàm Iohannes de Zapolia Transyluaniæ Weiuuoda, qui sublato Ludouico, regnum affectauit, & de consilio & ope Hieronymi Lasci in fidem tyranni Turcici sese dedidit? Quę res Giulam Turcis stipendiariam fecit, nisi nefaria Ladislai Kerezinij pręfecti proditio?

Sed hæc dico longius fortè, quàm instituta ratio postulat. Equidem Ferdinandus, vt reliqua etiam strictim attingam, quoniam bellator minus felix erat, sicut nec Augustus Cæsar ad arma natus fuit, pacem necessariam, cum iactura aliqua regni Pannonici, colere maluit, quàm armis cum potentiore decertare. Maximilianus verò in sua contra Solymannum expeditione nullam partem boni & fidelis Imperatoris

præter-

prætermiſit. Inprimis enim ad Deum confugit, ab eoq́; ope n & ſalutem petijt. Iccirco promulgato edicto mandauit, vt Viennæ, alijsq́; vrbibus, oppidis, & pagis, regnorum ſuorum, ſtatutis horis, quæ campanæ ſono indicabantur, preces Deo adhiberentur. Quod etiam factum eſt, & quoties campanæ ſonus auditus fuit, de equis deſcenderunt etiam ſuperioris conditionis homines, & genibus flexis, Dei auxiliũ implorarunt, ludos verò, aliaq́; inſtrumenta muſica prorſus intermiſerunt. Iuit hac fiducia diuini auxilij ipſemet Imperator, exercitu præclarè inſtructus in Vngariam: conſilia, ferocitatem, & impetum hoſtis vidit, ſed reprimere & frangere non potuit.

Quid igitur? num inuictus adeò tunc fuit Turca, vt neq; inuadi à Cæſarianis, neq; repelli ab obſidione Zigeti potuerit? Poſtremus ille furor tyranni fuit, calamitas verò fatalis, quam ferre Chriſtianos oportuit quoniam vi nulla depelli potuit. Sic tamen vl-

tus est Deus hunc tyranni furorem, vt in castris ante expugnatum Zigetum de vita eum cum fremitu horribili expulerit. Hæc & alia huiusmodi exempla intuentes, vim fati agnoscamus, & miseriam nostra culpa attractam deploremus. Nihilominus tamen facere, quod nostri muneris & officij est, constanter pergamus, & precibus hoc etiam tempore à magistratu nostro ordinatis placare Deum, & auertere meritas pœnas studeamus. Tum arma, quanta possumus in hostem expediamus, omnem spem salutis & victoriæ in fide Iesu Christi positam habentes.

Hæc copulatio precum & armorum si vllo tempore, hoc certè inprimis necessaria est, quo Turcicus furor in limine nostræ patriæ bacchatur: & à magistratu nostro vtrumq; mandatum est, vt & oratione contra tantum hostem pugnemus, & vires ad repellendum illum conferamus.

Non enim parua diminutio de Christiano orbe facta est, sed magna

pars

pars de Croatia & finitimis locis, superiori anno iterum detracta est. Nec finis est furentis ac violenti illius impetus, sed ineunte vere, innumerabilis multitudo contra nos ventura esse dicitur. At quanto satius est anteuertere, & precibus tantum tyrannum auertere studere, quàm committere, vt magnitudine exercitus tyrannici tanquam fluctu rapido obruamur. Et iam quidem precandi in ocio & pàce tempus est, quo si intemperanter abusi fuerimus, haud scio, an postea in magna vi tempestatum, & concursu calamitatum remedij salutaris locus aliquis futurus sit.

Quocirca cum magnitudinem belli perspiciamus, necessitatem intelligamus, & præsidia ad repellendum hostem diuinitus nobis suppeditata cernamus: non aliud nobis hoc difficilimo tempore maiori curæ esse debet, quàm vt vtraq; manu, totoq; pectore talia adminicula amplectamur, operamq; demus inprimis, vt in cœtu coëuntes, Deum quasi manu facta, preca

 bus

bus ambiamus. Idq́; non ſemel aut iterum, ſed ſedulò frequenterq́;. Tum domi etiam ſuæ vnuſquiſq; vota Deo nuncupet, hymnos decantet, & quod cor precationis eſt, in vera fide Christi, abiecto omni propoſito impio ſanctas manus ad Deum leuet, & ex animo ſerioq́; impendentes calamitates deprecetur. Quod niſi fecerimus, noſtra ignauia, petulantia, & in malis perſeuerantia Turcam vel nolentem, & inuitum attrahet, vt patriam noſtram, tanquam diluuium inundet & opprimat.

O carum imperium, quantumcunque eſt reliquum! ô beata Germania! quid tibi ad ſummam felicitatem, quæ quidem contingere vlli regioni poteſt, deeſt? habes verbum Dei ex puris fontibus Iſraëlis hauſtum, munita es iure & legibus, vales opibus, referta es vrbibus, & rebus omnibus ad victum cultumq́; neceſſarijs. At quo precioſiora & formoſiora hæc ſunt tua bona, eò horribilius deuaſtaberis, euerteris, & omni re poſſeſsioneq́; ſpoliaberis,

liaberis, nisi in tempore tibi caueris, & iram Dei mitigare pœnitentia & precatione seria studueris. Non procul sumus ab anno millesimo sexcentesimo, quo Hiltenius prædixit, hominem sæuissimum, millesimo verò sexcentesimo sexto, Gogum & Magogum regnaturum esse in vniuersa Europa. Cui quidem prædictioni tantum ego nequaquam tribuo, vt fatalem aliquam necessitatem, euentum, aut exitum in ea ponam: sed eò tamen pertinere illam prorsus arbitror, vt ad precationis assiduitatem nos accendere, & flectere ad modestiam debeat.

Beatos nos, si impendentes tempestates, procellas, ruinas, incendia & cladem à patria, ab Ecclesia, ab vxoribus, à liberis, à tectis & alijs, quæ cara habemus, in ocio & tranquillitate propulsare studuerimus. Miseros verò, imò miserrimos, si cœci furentesq; calamitates, cædes, flammam, seruitutem, & alia horrenda mala per fraudem & malitiam nobis & posteris nostris accersere perrexerimus. Adsit ve

rô honeſtis & pijs Chriſtianorum conatibus aduerſis tantum tyrannum ex impietate, blaſphemia, fraude, crudelitate, ſæuitia, & immanitate conflatum, is, qui nomen nobis de ſuo nomine impoſuit, Chriſtus Ieſus, in quo Conſtantinus Magnus hoſtes deterrimos, Maximinum, Maxentium, Licinium, Chriſtianis cruces & tormenta minantes vicit, quiq; ſedet ad dexteram patris, & dominatur in medio inimicorum ſuorum, donec ponat eos ſcabellum pedibus ſuis.

* * *

FINIS.



INDEX RERVM PRÆCIPVARVM IN HOC MILLENARIO sexto.

Essen-

 comm-

Ordo

R.

Reges

Sigis-

Vicelius

FINIS.



ERRATA.

Fol. linea:	Fol. linea:
7. vlt. lege missa	483. 15. compositum iri.
35. 17. lege cuiusdam	485. 10. lege alijq;
58. 2. l. moneretur	491. 1. expungatur quid.
77. 8. interim.	493. 6. ad marg. Euangelium
126. 24. sermone	496. 17. lege mutationem
132. 1. Iohannam.	501. 24. exitum.
142. 14. Non.	504. 21. lege Ferdinandus
176. 12. meretricio	505. 3. contra
190. 8. lege conatus.	507. 23. miserat.
202. 10. Borussia.	512. 5. deditionem.
214. 1. deleatur Est.	518 12. deleatur ab
245. 24. committam.	526. 5. expungitur co.
273 21. responsum.	570. 12. lege vastarent.
276. 10. deleatur or.	578. 23. successit.
278. 12. demonstrante.	580. 12. lege 17.
281. 1. iura.	598. 19. oppugnat.
284. 17. lege Quod.	602. 19. Filij.
289. 14. deleatur aut	613. 13. lege exitum.
296. 2. capti	615. 10. interemtus.
303. 7. Pompeiopolitanæ	629. 16. elegerant.
309. 4. deleatur punctus.	633. 18. peregrino
312. 1. in marg. l. Bābergē	648. 18. summus.
327. 12. lege cum	677. 22. conatusq;
343. 17. Ingelheimi.	691. 20. assignatur.
375. 22. tumultuantes.	693. 13. Poltroto.
407. 5. itaq;	728. 10. lege Grauæ.
410 3. inciperent.	IN ORATIONE.
412. 1. senatores.	Ccc 8. f b. V. 5. l. profecerunt.
423. 16. lege Belligardi.	Eee 4. f. b. V. 2. l. aduersus.
451. 15. alijs.	
457. 16. postulare.	



LIPSIÆ

EX OFFICINA ABRAHAMI
LAMBERGI.

Anno

M. D. XCVIII.

Impensis Iacobi Apelij.